S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA

A PATRIBUS MIN. CAPUCCINIS PROVINCIAE VENETAE

E TEXTU ORIGINALI NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA NOTISQUE ILLUSTRATA

SUMMO PONTIFICI PIO XII DICATA

VOLUMEN X

CODEX VINDOBONENSIS

PARS I

QUADRAGESIMALE QUARTUM

PATAVII

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA SEMINARII

MCMLIV

S. LAURENTII A BRUNDUSIO
ORD. FF. MIN. CAPUCCINORUM
OPERA OMNIA

Vol. I. *Mariale*
» II. *Lutheranismi Hypotyposis:*
» » Pars I. *Hypotyposis Martini Lutheri*
» » » II. *Hypotyposis Ecclesiae et Doctrinae Lutheranae*
» » » III. *Hypotyposis Polycarpi Laiseri*
» III. *Explanatio in Genesim*
» IV. *Quadragesimale Primum*
» V. *Quadragesimale Secundum* - Pars I.
» » *Quadragesimale Secundum* - » II.
» » *Quadragesimale Secundum* - » III.
» VI. *Quadragesimale Tertium*
» VII. *Adventus*
» VIII. *Dominicalia*
» IX. *Sanctorale*
» X. *Codex Vindobonensis* - Pars I. - *Quadragesimale Quartum*

IN PRAEPARATIONE:

VOL. X - PARS II

SERMONES DE TEMPORE

ET ALIA OPUSCULA

S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORD. FF. MIN. CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA



Auctor ignotus

In Conventu Cap. Rhodigii

Photo A. Piovesan - Patavii

S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA

A PATRIBUS MIN. CAPUCCINIS PROVINCIAE VENETAE

E TEXTU ORIGINALI NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA NOTISQUE ILLUSTRATA

SUMMO PONTIFICI PIO XII DICATA

VOLUMEN X

CODEX VINDOBONENSIS

PARS I

QUADRAGESIMALE QUARTUM

PATAVII

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA SEMINARII

MCMLIV

FR. BENIGNUS A SANT'ILARIO MILANESE

TOTIUS ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM MINISTER GENERALIS (l. i.)

Praesentium virtute annuimus ut volumen X, «Quadragesimale Quartum», Operum Omnium Sancti Laurentii a Brundusio O. Min. Cap., a Patribus Provinciae Nostrae Venetiarum iuxta textum originalem elaboratum ac adnotationibus illustratum, servatis de iure servandis, publici iuris fieri possit.

Datum Romae ex Curia Nostra Generali,
die 30 Augusti 1954

(L. S.)

FR. BENIGNUS A SANT'ILARIO M.
Minister Generalis O. F. M. Cap.

Cum attente perlegerimus Sancti Laurentii Brundusini «QUADRAGESIMALE QUARTUM», nihil in eo invenimus a mente Ecclesiae alienum, quinimmo omnia fidei et morum dogmatibus consona.

Venetiis, die 25 Augusti 1954

FR. MARINUS A VALSTAGNA O. F. M. Cap.
Lector Emeritus S. Theol.

FR. DAMASUS A TARNOVA O. F. M. Cap.
Lector S. Scripturae

Nihil obstat quominus Imprimatur
Patavii, die 7 Septembris 1954
Can.cus Doct. IAC. DAL SASSO
Cens. Eccl.

Imprimatur
Patavii, die 8 Septembris 1954
† FR. HIERONYMUS - Episcopus

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

Dal Vaticano, li 4 Settembre 1954

N. 333441

REV.MO PADRE,

Sua Santità dalla devota lettera della P. V. Rev.ma ha appreso con vero piacere che l' "Opera Omnia" di S. Lorenzo da Brindisi sarà integrata con la pubblicazione del suo "Quadragesimale Quartum", di cui in questi ultimi tempi si è trovato il manoscritto prezioso.

L' Augusto Pontefice si è degnato accettare con animo riconoscente quanto Ella anche a nome dei Confratelli Gli ha filialmente proposto, che cioè il nuovo volume sia dedicato alla Sua persona.

Sono lieto di trasmettere alla Paternità Vostra e a tutto l' Ordine dei Frati Minori Cappuccini la Benedizione Apostolica.

Con sensi di religioso ossequio mi confermo

della Paternità Vostra Rev.ma
dev.mo nel Signore
G. B. MONTINI

Rev.mo Padre
P. Benigno da S. Ilario Milanese
Ministro Generale dei Frati Minori Cappuccini
ROMA

PRAEFATIO

IN QUARTUM QUADRAGESIMALE S. LAURENTII

Iam ab anno 1944 typis editum prodierat ultimum, ut putabatur, volumen Operum Omnium S. Laurentii a Brundusio, *Sanctorale* inscriptum.

Quamvis ex multis suspicio nobis subesset alia etiam opera Sanctum Brundusinum scripsisse, [1] quae in aliquibus archivis recondita et incognita forte iacerent, cum tamen tantos post annos ab incepta editione [2] nulla nobis notitia usquam pervenisset, spem iam amiseramus aliud tandem alicubi reperiri posse.

Sed ecce, insperato, mense ianuario 1952 nuncium accepimus in archivo Conventus Nostri Vindobonensis alium codicem, Brundusini manu conscriptum, detectum fuisse, qui paulo post, benigna concessione Ministri Provincialis illius Provinciae, nobis remissus fuit, ut curatius inspiceretur et, si casus ferret, typis ederetur. [3]

Descriptio Codicis. - Codex pelle nigri coloris contectus est, sine ulla inscriptione externa, quae in ceteris omnibus codicibus prostat; folia con-

1) Cf. S. Laurentius a Br. Opera Omnia, vol. 1, *Mariale, Praefatio* in Editionem Universam, pag. XIII. 2) Primum volumen in lucem prodiit a. 1928, *Mariale* inscriptum. 3) Cf. Periodicum nostrum « Analecta Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum », vol. 68, fasc. 3, Martius 1952, pag. 43-44, ubi relatio exhibetur de inventione et natura huius codicis.

tinet n. 515, idest paginas 1030, quarum 758 scriptae sunt, reliquae vero 272 hic illic albae relinquuntur. Magnitudo eius externa est cm. 15 x 20, interna autem descripta 14 x 18.

AUTHENTIA huius manuscripti indubitatissime elucet ex argumentis cum externis tum internis. Re quidem vera, existentia huius codicis indicatur in antiquo summario archivi Provinciae Capuccinorum Vindobonensis, cum adiuncta mentione pallii et Rosarii S. Laurentii ibidem asservati.[4] In parte interna tegumenti codicis duae schedulae reperiuntur: una antiqua, quae hanc habet inscriptionem: « Conciones P. Laurentii Brindisi eius propria manu conscriptae, qui vivit in aeternum »; alia autem valde recentior simul iuncta, in qua legitur: « Praedicationes authographicae S. Laurentii a Brund. Ministri Gen. Ord. nostri ».

In prima pagina textus, ad calcem, legitur aliena manu inscriptum: « Ad usum fr. Franzisci Mariae de Veldkirchen Capucini »; unde erui licet manuscriptum hoc ab ipso Sancto Auctore primo illius Provinciae Vindobonensis alumno traditum fuisse, qui fuit P. Franciscus Maria a Feldkirchen, antea sacerdos saecularis dieque 24 Martii 1601 Vindobonae seraphicis lanis indutus, ab ipso S. Laurentio in Ordinem receptus.[5]

Praeterea scriptura sine ulla dubitatione manui ipsius Sancti assignanda est, quod nobis, qui iam a triginta prope annis Eius manuscripta sub oculis habemus, absolute affirmare licebit. Ipsissimus enim est modus litteras exarandi et voces breviandi, idemque stylus planus, sed elegans, et cum eadem sit materia quae in praecedentibus operibus concionatoriis tractata fuit, plurimae in hoc etiam ideae, phrases, conceptus continentur et exprimuntur, quae in ceteris reperiuntur; eademque prorsus est

4) Collocatio: « Kapuzinerkloster » in Wien. Fah Nr. 63, Buch Nr. 45. Sane valde dolendum est quod, non obstante hac manifesta adnotatione, notitiam huius codicis, durante editionis labore Operum Omnium S. Laurentii, iam anno 1928 incepto, nemo ex Nostratibus illius Provinciae Nobis communicaverit. 5) Cf. Analecta Ordinis Minorum Cap., l. c.

ratio et methodus conciones conficiendi, quamvis in hoc postremo forma oratoria, iudicio nostro, longe praestantior ceteris sit.

Praesens manuscriptum nullum sigillum nullumque signum praesefert, unde argui possit a S. R. C., prout ceteri omnes, excepto codice Brundusino, idest *Quadragesimale Tertium* revisum fuisse, nec in elencho manuscriptorum S. Laurentii recensetur.[6]

Conciones continet a Prima Dominica Adventus ad Dominicam Quinquagesimae inclusive; deinde totum tempus quadragesimale, videlicet a Feria Quarta Cinerum ad Feriam Tertiam post Pascha, sabbatis exceptis; tandem a Dominica in Albis ad Festum Corporis Christi.

Prouti in praecedentibus voluminibus adnotavimus, post primam ampliorem expositionem ac tractationem, S. Auctor alias partes breviores adiicit, quas nos titulo «Alia Homilia» distinximus, alio stylo alioque atramento generatim exaratas, quod probat posteriori tempore scriptas fuisse, ubi frequenter repetuntur, quamvis diverso modo, quae in praecedenti homilia dicta fuerant.

Editionem huius magnae molis codicis in duas partes divisimus, quarum prima integrum cyclum Quadragesimale comprehendit, videlicet a Feria Quarta Cinerum ad Feriam Tertiam post Pascha, et *Quadragesimale Quartum* inscribimus; altera autem reliquos omnes sermones continet, idest a Dominica Prima Adventus ad Festum Corporis Christi, Quadragesimali excluso, quam propterea *Sermones de Tempore* intitulamus.

Huic posteriori parti elenchum Auctorum, qui a Nobis vel a S. Laurentio citati fuerunt, necnon indicem alphabeticum etiam partis prioris apponimus; insuper una simul adiungimus publicationem opuscoli *De Rebus Austriae et Boihemiae*, ipsius S. Auctoris, quod iam R. P. Eduardo ab Alençon in citato Periodico nostro editum fuit et adnotatum.[7]

6) Cf. *Praefatio* in hanc Editionem Universam, vol. 1, pag. X.

7) Cf. Analecta O. M. Cap., anno 1909, fasc. 2-3. 5-10. 12; anno 1910, fasc. 2-4.

Aliud quoque opusculum, cui titulus: *De Sacris Mysticis Numeris in S. Scriptura occurrentibus Disquisitio,* publicabimus, latine confectum et graece translatum iterumque latine versum, de cuius inventione et authentia suo loco dicemus.

Inscriptiones homiliarum elegantiori stylo exaratae sunt, sicut in praecedentibus codicibus concionatoriis iam editis. Ex hoc diverso modo scribendi prius arbitrati sumus inscriptiones illas a collectore foliorum adiectas fuisse; sed nunc in errorem nos incidisse fatemur. Codicem enim hunc ab ipso S. Auctore F. Franciscus directe excepit, nulla alia interposita manu; ergo ipsemet S. Laurentius in omnibus suis partibus manuscriptum exaravit, ipsemet inscriptiones sua propria manu eleganti eo modo scriptas apposuit. Et quoniam inscriptiones huius codicis in nullo differunt a modo quo praecedentes exarantur, ad concludendum compellimur ipsum S. Auctorem eas omnes conscripsisse. Non enim admitti potest unum conciones huius codicis Vindobonensis inscripsisse et alium conciones ceterorum, qui in archivo Provinciae nostrae Venetae servantur, cum, uti diximus, eadem omnino sit ratio scribendi.

METHODUS AUCTORIS eadem prorsus est qua in praecedentibus operibus concionatoriis S. Laurentius constanter usus fuit. Itemque et nostra. [8]

TEMPUS quo conciones istae confectae vel saltem recitatae fuerunt ab eodem Sancto innuitur, dum in Dominica VI post Epiphaniam, hom. II, n. II, ait, cum novatoribus polemizans: « Quid nunc de novis haereticis diceret (S. Augustinus), qui post millesexcentos annos »... Cum autem in unaquaque fere concione, plus minusve extense errores novatorum afferat atque confutet, prout opportunitas vel argumentum, de quo agebat, illi dabat, arguere nobis licet eas in locis Austriae et Bohemiae recitasse, ubi haeretici

8) Cf. Opera Omnia, vol. 4, *Quadragesimale Primum, Praefatio,* pag. XVI-XIX.




Photo A. Piovesan - Patavii

Facsimile Codicis Vindobonensis magnitudine naturali

tunc temporis plurimum invalescebant, contra quos S. Auctor, dum in iis regionibus degebat, infatigatus ac strenuus semper pugnavit.[9]

Unde MOMENTUM etiam huius novi operis vel maxime patet, de cuius tamen valore nostrum non est ultimum proferre iudicium. Docti, quibus illud obsequenter offerimus, iudicabunt.

Patavii, in Festo SS. Stigmatum
S. P. N. Francisci
1954

PATRES EDITORES

9) Idest ab anno 1599 ad annum 1610, etsi non continuo. Cf. Opera Omnia, vol. 2, *Praefatio Generalis in Lutheranismi Hypotyposim*, pag. VIII-XIV.

QUADRAGESIMALE QUARTUM

FERIA QUARTA CINERUM

Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritae tristes, extermi-nant enim facies suas ut, etc. [1]

I. Praescribitur in hodierno Evangelio modus ieiunandi, datur regula recte sancteque vivendi. Sicut autem ab initio Deus, ut hominem per viam salutis dirigeret, qua eum a terrestri ad caelestem paradisum perduceret, duo praecepta et canones vitae instituit: *Ex omni ligno paradisi comede; de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas*: [2] unum praeceptum erat, ut perpetuo vivere posset, alterum ne unquam moriturus, sic lex illa et regula vitae data fuit homini tanquam via salutis et scala caeli, veluti pons divinitus fabricatus, quo homo transiret a terrestri ad caelestem paradisum. Ita plane hodie Dominus, ut transferat nos a paradiso carnalium voluptatum ad paradisum caelestium deliciarum, a paradiso Epicuri, Cereris, Bacchi, Veneris, ad paradisum Dei et sanctorum Angelorum, viam instruxit dans salutaria consilia et praecepta vitae.

Hodie Christus viam salutis indicat dans regulam sancte vivendi.

II. Dantur in hodierno Evangelio plures regulae et canones vitae sanctae ac vere spiritualis. Paratur via salutis fidelibus et scala caeli. Legimus in Sacris Litteris viam salutis et viam perditionis, viam iustorum et viam peccatorum: *Quoniam novit Dominus viam iustorum et iter impiorum peribit.* [3] Sed quaenam est via iustorum? *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum... sed in lege Domini*

Plures sunt regulae vitae sanctae,

1) Pericope huius diei Mt 6, 16-21. Cf. Missale Rom. 2) Gn 2, 16-17. 3) Ps 1, 6.

voluntas eius et in lege eius meditabitur die ac nocte.[4] Lex Domini est quam Paulus dixit legem mentis, via autem peccatorum lex membrorum est atque peccati: *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae et captivantem me sub lege peccati.*[5] Lex autem Domini duo tantum praecipit: *Diverte a malo et fac bonum.*[6] Sic Dominus hodie praecipit ut fugiamus hypocrisin: *Nolite fieri sicut hypocritae;*[7] ut fugiamus avaritiam: *Nolite thesaurizare in terra,*[8] hoc est declinare a malo. Praecipit etiam ut faciamus bonum: *Tu autem cum ieiunas unge caput tuum et faciem tuam lava;*[9] *Thesaurizate vobis thesauros in caelo.*[10] In via peregrini tria vel maxime desiderare solent: ut sit recta, nam quo rectior eo brevior est citiusque institutum iter perficitur; ut sit plana, nam alpestris semper multo laboriosior est; tandem ut sit expedita, absque impedimentis saxorum, luti, arenarum, spinarum. Desiderant, ut brevius dicam, ut via sit facilis, certa et secura; facilis, non multum laboriosa, nec perplexa, ut facile aberrari possit ab imperitis viarum; secura autem a periculis latronum, ferarum, praecipitiorum. Quod si praeter haec amoena etiam fuerit via, non est quod amplius desiderari possit.

prima omnium fugere a malo et facere bonum.

Lex autem Domini facilis est, hinc ait: *Iugum meum suave est et onus meum leve.*[11] Amoena etiam est: *Tollite iugum meum super vos... et invenietis requiem animabus vestris; Venite ad me omnes qui laboratis... et ego reficiam vos.*[12] De via hac per Isaiam Dominus ait: *Haec est via, ambulate in ea, et non declinabitis neque ad dexteram neque ad sinistram;*[13] et iterum alibi: *Erit ibi semita et via, et via sancta vocabitur. Erit vobis directa via, ita ut stulti non errent per eam; Non erit ibi leo et mala bestia non ascendet per eam nec invenietur ibi et ambulabunt qui liberati fuerint et redempti a Domino.*[14] Sic facilis est via haec et a periculis secura, via regia est.

Lex Domini facilis et delectabilis est.

Ad hoc venit Christus in mundum, ad docendum viam salutis, hinc Isaias ait: *Venite, ascendamus in montem Domini et ad*

4) Ibid. vrr. 1-2. 5) Rom 7, 22. Vulg.: *Video... in lege peccati.* 6) Ps 33, 15. 7) Mt 6, 16. 8) Ibid. vr. 19. 9) Ibid. vr. 17. 10) Ibid. vr. 20. 11) Ibid. 11, 30. 12) Ibid. vrr. 28-29. Affert ordine inverso. 13) 30, 21. Vulg.: *Non declinetis*, etc. 14) Ibid. 35, 8 sqq.

domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius, quia de Sion exibit lex et verbum Domini de Ierusalem.[15]

Christus venit ad docendam viam salutis, viam veram non falsam,

Quoniam vero reperitur via fallax, ut Sapiens ait: *Est via quae videtur homini recta, et novissima illius ducunt ad mortem,*[16] hinc praecipit Dominus ut evitemus viam hypocritarum. Quoniam vero per hanc viam facile incidere possumus in latrones, sicut homo ille qui descendit ab Ierusalem in Ierico,[17] nam Gregorius in homilia de *Thesauro abscondito* ait: « Maligni spiritus iter nostrum quasi quidam latrunculi obsident; depraedari ergo desiderat qui thesaurum publice portat in via »,[18] hinc iubet Dominus ne bona opera nostra cum hypocritis ostentemus, nam quia Ezechias rex ostendit Chaldaeis thesauros suos, obiurgatus fuit ab Isaia;[19] sed praecipit ut potius abscondamus, ut Deo tantum nota sint; sic enim tabulae legis in arca fuerunt reconditae atque absconditae,[20] et sancta animalia apud Ezechielem manus habebant sub alis absconditas:[21] Hinc etiam monet ut in caelo apud Deum, non in terra apud homines thesaurizemus, nam in terra, inquit, *fures effodiunt et furantur.*[22] Ut igitur certum sit iter, iubet ut hypocrisin fugiamus; ut autem facile, securum et expeditum, ne in terra thesaurizemus. Haec enim oneri sunt, impedimento sunt, magno periculo semper exposita sunt.

iubens ut ab hypocrisi maxime caveamus.

III. Non solum autem via salutis, verum etiam scala caeli posita nobis est in hodierno Evangelio, per quam spiritus noster in caelum ascendat, ut nostra conversatio in caelis sit.[23] Vult ut thesaurizemus in caelo, ut cor nostrum in caelo sit, nam ait: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.*[24] Constat autem scala haec septem gradibus virtutum: fide: *Ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo qui est in abscondito;* spe: *Pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi;*[25] temperantia: *Cum ieiunatis nolite fieri sicut hypocritae, nolite thesaurizare in terra,* temperandum a cupiditatibus rerum mundanarum; fortitudine, quae nobilitas et magnitudo animi est, vilia

Praeter viam salutis ostenditur etiam hodie scala caeli;

15) 2, 3. Vulg.: *Ad montem,* etc. 16) Prv 16, 25. 17) Cf. Lc 10, 30. 18) *In Evangelia,* lib. 1, hom. 11, (P. L. 76, 1115). 19) Cf. 4 Rg 20, 12-19. 20) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; Hebr 9, 4. 21) Cf. 1, 8. 22) Mt 6, 19. 23) Cf. Phil 3, 20. 24) Mt 6, 21. 25) Ibid. vr. 18.

docet enim Christus ut in caelo thesaurizemus,

contemnens, ad sublimia semper aspirans: *Nolite thesaurizare... in terra, thesaurizate autem... in caelo;* prudentia, quae discernit bona a malis et praefert meliora bonis, pericula fugit, securitatem quaerit, discernit veram virtutem a fallaci hypocrisi, utilem mercedem expectandam a Deo fallaci praefert gloriae mundi et humanae laudi; sic caelestes divitias terrenis, nam terrenae divitiae corruptibiles et amissibiles sunt, caelestes autem minime, sicut Petrus ait: *Regeneravit nos in spem vivam... in hereditatem incorruptibilem et incontaminatam et immarcescibilem conservatam in caelis in vobis, qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam revelari in tempore novissimo.*[26] Gradus etiam scalae huius iustitia est, constans et perpetua voluntas ius suum unicuique tribuens. Haec iubet ne cum hypocritis falsa virtutis specie homines decipiamus, nam laus et honor praemium est verae ac solidae virtutis; ut pro peccatis nostris carnem ieiuniis maceremus; ut si quid gloriae est in operibus nostris, Deo tribuamus: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam,*[27] ut in operibus bonis rectam sanctamque intentionem habeamus, sine qua inanis et vanus est omnis labor virtutis: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.*[28] Iustitia autem rectitudo animi est constans, solida atque perpetua. Tandem supremus scalae huius gradus caritas est: *Thesaurizate... in caelo; ubi thesaurus tuus est, ibi et cor tuum.*

operando secundum veras, non fictas virtutes.

Cum igitur in hodierno Evangelio parata nobis a Domino sit via salutis et scala caeli, necesse est, fratres, ut si qua salutis nostrae cura tangimur, si quo desiderio detinemur, per viam hanc iter instituamus et ad scalae huius conscensum nos ipsos accingamus.

Per hanc viam iter instituere oportet.

II. ALIA HOMILIA

I. Sicut in Veteri Testamento divinus legislator Moyses praescripsit canones sacrificiorum quibus Deus colendus honorandusque erat et placandus, populus autem a peccatis expiandus et divinis

Dat hodie Dominus regulas ieiunii.

26) 1 Petr 1, 3-5. 27) Ps 113, 1. 28) Mt 6, 2.

beneficiis cumulandus,[1] ita hodie Dominus dat canones regulasque sancti ieiunii; nam ieiunium spirituale sacrificium est, ut Paulus *ad Romanos* ait: *Obsecro vos... per misericordiam Dei ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum et nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri: ut probetis quae sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta.*[2]

Solum ieiunium rite factum Deo placet.

Multas circumstantias requirit Paulus in ieiunio, sicut Moyses in sacrificio. Ex praescripto legis non poterat offerri sacrificium, nisi a sacerdote Domini et in loco sacro, super altare sacrificiorum, nec nisi de mundis animalibus.[3] Si autem deerat aliqua huiuscemodi circumstantiarum, abominabile erat Deo sacrificium; hinc peccavit Saul offerens sacrificium Domino contra legis praescriptum.[4] Sic non omne ieiunium gratum Deo est, sed rite factum. Gratum fuit Domino ieiunium Ninivitarum,[5] non autem ieiunium Iudaeorum, qui apud Isaiam conqueruntur: *Quare... ieiunavimus et non aspexisti, humiliavimus animas nostras et nescisti?* Quibus Dominus: *Ecce in die ieiunii vestri requiritur voluntas vestra... ecce ad lites et contentiones ieiunatis et percutitis pugno impie. Nolite ieiunare sicut usque ad hanc diem... Nunquid tale est ieiunium quod elegi?*[6]

Docet D. Paulus quale sit ieiunium Deo vere gratum.

Ut igitur ieiunium Deo acceptum sit, obsecrat Paulus ut exhibeamus corpora nostra hostiam sanctam, idest mundam, absque immunditiis et inquinamentis luxuriae aliorumque vitiorum. Corpus cum castitatis munditie hostia est, mundum animal. Deinde ait: *Nolite conformari huic saeculo.* Non vult ut in saeculo, extra locum sacrum, offeramus ieiunii nostri sacrificium; in loco sacro sacrificandum erat. Si ieiunium in peccato fiat, in loco immundo fit, Deo non placet: *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*[7] Ieiunium factum in peccato satanae minime displicet; hinc Pharao Hebraeis dixit: sacrificate in terra; quid opus, inquit, est in desertum abire ut sacrificetis Deo vestro? Non potestis in terra Aegypti sacrificare Deo? Illi autem: Ibimus iter trium dierum in desertum, ut sacrificemus Deo nostro.[8] Elongari

1) Cf. Lv 1, 1-7, 1 sqq. 2) 12, 1-2. 3) Cf. Lv 1, 1 sqq.; Dt 16, 5-6. 4) Cf. 1 Rg 13, 9-13. 5) Cf. Ion 3, 5 sqq. 6) 58, 3-5. 7) 1 Cor 13, 3. 8) Cf. Ex 3. 18; 8, 25-27.

oportet nos a regno satanae opere, ore, corde, ut nunquam amplius in peccatum redire velimus. Tandem quia sacerdote ministro Domini opus est ad sacrificium offerendum, ait Paulus: *Reformamini in novitate sensus vestri.* Sacerdos est novus sensus, novus homo, *qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis.*[9]

Ieiunandum est pura intentione, cum vitae puritate et vera caritate.

Haec tria in ieiunio Dominus requirit a nobis: puram animi intentionem: *Nolite fieri sicut hypocritae, exterminant enim facies ut pareant hominibus,* etc.[10] Hic purus animi spiritus sacerdos est. Secundo, requirit abstinentiam a vitiis, a superbia et vanae gloriae appetentia, idemque ab avaritia: *Nolite thesaurizare in terra;* requirit munditiam: *Unge caput tuum et faciem tuam lava;* sic mundam requirit hostiam ex mundo animali. Tertio locum sacrum requirit: *Nolite thesaurizare in terra,* sed *thesaurizate in caelo; Ubi enim thesaurus tuus est, ibi est et cor tuum.*[11] In die ieiunii nostri vult ut cor nostrum in caelo sit, apud Deum sit, vult ut ieiunium ex caritate et in caritate fiat; sic offertur sacrificium ieiunii in loco sacro, in templo Domini.

Non poterat offerri sacrificium Domino, nisi in igne sacro, qui de caelo descendit. Filii Aaron, Nadab et Abiu, igne divinitus conflagrarunt, quoniam alienum ignem adhibuere.[12] Sacer autem ignis est caelestis gloriae desiderium; profanus autem vanae gloriae appetitus, cuius causa ieiunant hypocritae.

Ieiunandum est propter Deum,

II. Ex divinae legis praescripto ad sacrificium adhibendum erat sal, non mel.[13] Ionathas, regis Saulis filius, periculum mortis subiit, quia in die proelii contra patris edictum modicum mellis comedit.[14] Nullum autem homini dulcius mel est honore et laude, sed: *Soli Deo, honor et gloria;*[15] *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*[16] Ita ut sicut Deus principium est omnium bonorum operum ita etiam finis sit, nam ipse est A et Ω ; sicut autem prima est rerum omnium causa, ita ultimus finis propter quem omnia. Sal autem adhiberi [in] sacrificio nostro iussit Apostolus cum ait: *Rationabile obsequium vestrum.*

9) Eph 4, 24. 10) Mt 6, 16. 11) Ibid. vr. 21. 12) Cf. Lv 10, 1-2. 13) Cf. ibid. 2, 11-13. 14) Cf. 1 Rg 14, 24-45. 15) 1 Tim 1, 17. 16) Ps 113, 1.

Vult Dominus ut ieiunium nostrum sit sicut oblatio Abel, ad quam respexit Dominus, non sicut oblatio Cain, quam contempsit, nam sacrificia impiorum abominatur Dominus; *respexit* autem *Dominus ad Abel, et ad munera eius,*[17] grata fuere munera, quoniam gratus munerator; sic sacrificium Noe Deo gratissimum fuit,[18] quoniam ipse iustus erat atque perfectus et invenerat gratiam in oculis Domini.[19] cum animi puritate,

Vult ut ieiunium nostrum sit sicut sacrificium Abrahami, quod nocte Deo obtulit, a cuius carnibus nocturnas aves abigebat. Nec merito nec mysterio vacare credendum est, quod iussus fuit offerre Domino iuvencam trium annorum, capram similiter et arietem trium annorum, postea vero turturem et columbam.[20] Haec enim tantum animalia apta erant sacrificio et nullius alius speciei. Iuvenca autem nata ad iugum terendum obedientiae et humilitatis symbolum est, quam perpetuo servare debemus cum superioribus, aequalibus et inferioribus; capra autem symbolum poenitentiae, quae in contritione, confessione, satisfactione consistit; aries symbolum fortitudinis contra satanam, et carnem ad perferenda adversa omnia omnesque offensas contra bona, vitam, honorem propter Deum. Tandem adsit huic sacrificio turtur castitatis et columba fecunditatis operum bonorum. et spiritu mortificationis, humilitatis ac poenitentiae.

Vult Dominus ut ieiunium nostrum sit sicut oblatio Magorum, qui, stella duce, ad Christum adorandum perducti fuere et, apertis thesauris suis, aurum, thus et myrrham Domino obtulere.[21] Exigit a nobis aurum caritatis, ut thesaurizemus in caelo, ita ut cor nostrum semper in caelo sit; incensum piae devotionis erga Deum, ut Dei causa ieiunemus, recta in Deum intentione et caelestis gloriae desiderio, ut Deo non hominibus placeamus; myrrham etiam mortificationis carnis et cupiditatum, nam qui Christi sunt, *carnem suam crucifixerunt cum vitiis.*[22] Eiicienda est ancilla cum filio, sicut Abrahae iussum fuit.[23] Haec myrrha est mortificationis et abnegationis propriae: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem,* etc.[24] quae significantur in donis a Magis Christo Infanti oblatis.

17) Gn 4, 4. 18) Cf. ibid. 8, 20-21. 19) Cf. ibid. 6, 8-9. 20) Cf. ibid. 15, 9-12. 21) Cf. Mt 2, 1-11. 22) Gal 5, 24. 23) Cf. Gn 21, 10. 24) Mt 16, 24. Vulg.: *Si quis vult,* etc.

Duplex est ieiunium: corporale et spirituale.

III. *Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritae tristes,* tetrici. Requirit a nobis Dominus duplex ieiunium: corporale et spirituale, quod est a vitiis et peccatis abstinere: *Nolite fieri sicut hypocritae; Nolite thesaurizare in terra.* Primo quidem ieiunium corporale, nam quod ante omnia Deus ab homine requisivit ab orbe condito abstinentia fuit.[25] Non praecipit hodie Dominus corporale ieiunium, sed tantum regulat, tradit canones modumque ieiunandi, ut ieiunium nostrum Deo sit gratum, nobis autem utile et salutare, dignum retributione divina.

Refutantur haeretici ieiunium omnino negantes.

Insanos haereticos, psychicos sarcophagos, qui ieiunium omnino negant! Si ieiunandum omnino non est, ad quid Christus dat ieiunii regulas? Non praecepit Christus ieiunium. Age, quid inde? Neque Ninivitis praeceptum fuit ieiunium; num propterea non placuit Deo ieiunium absumptum in poenitentiam peccatorum? Nec Ioanni praecepta fuit vita tam aspera in deserto; num propterea Christo non placuit? Et quid est quod de Apostolis legimus: *Ieiunantibus autem illis et orantibus,*[26] si ieiunandum non est? Quid quod Dominus ait: *Auferetur ab eis sponsus et tunc ieiunabunt?*[27] Quid quod daemones non eiiciuntur, *nisi in oratione et ieiunio?*[28] In re autem tam necessaria saluti quid praecepto opus erat? Vides ignem in domo tua accensum, et praeceptum expectas ut aquam ad extinguendum adhibeas? Nosti te veneno infectum, habes praesentaneum remedium, et medici praeceptum expectas? Invadit te armatus inimicus, et praeceptum requiris ut arma sumas defensionis necessaria? Fame sitique conficeris, et praecipiendum tibi est ut necessarium cibum et potum accipias? O insanas hominum mentes! o pectora caeca! Et ad quid ieiunavit Christus, nisi ut suo nos urgeret exemplo ad domandum sensum carnis, ad castigandum corpus et in servitutem redigendum? *Exemplum... dedi vobis,*[29] *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia eius.*[30]

Requirit Dominus ieiunium

Sed non nudum ieiunium, quale erat pharisaicum, hypocritium, requirit a nobis Dominus, sed virtutibus ornatum: *Cum ieiunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava.*[31] Requirit spiritualem

25) Cf. Gn 2, 17. 26) Act 13, 2. Vulg.: *Ministrantibus autem illis et ieiunantibus.*
27) Mc 2, 20. 28) Ibid. 9, 28. 29) Io 13, 15. 30) 1 Petr 2, 21. 31) Mt 6, 17.

laetitiam: *Non ex tristitia aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus.*[32] Requirit virtutes purgatorias: *Nolite fieri sicut hypocritae; Nolite thesaurizare in terra.* Sicut autem dixit quod Pater agricola omnem palmitem ferentem fructum purgat, ut fructum plus afferat,[33] ita purgandus nobis animus est. Dum Gedeon purgaret triticum, laudatus ab Angelo fuit.[34] Paulus ait: *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio.*[35]

virtutibus ornatum,

Nec tantum purgatorias virtutes requirit, verum etiam purgati animi. Hoc enim est: *Thesaurizate in caelo,* quod purissimum est ab omni perturbatione et impressione metheorica. Virtutes etiam exemplares, ut sit perpetuo cor nostrum in caelo apud Deum, ubi thesaurus noster repositus est; nam alioqui nudum praestare ieiunium est, ut Gregorius ait, cum Simone Cyrenaeo crucem portare,[36] ille enim non nisi angariatus crucem portavit.[37] Hoc agit quicumque bonum opus sine bona voluntate operatur.

ut cor nostrum in caelo semper sit,

Vult Dominus ut vitam Nazaraeorum vivamus, quibus Dominus vinum omnino interdixit et luctum sacrorumque crinium attonsionem.[38] Abstinere nos monuit ab affectibus voluptuariis et turbidis, et ut mentis nostrae dicatas Deo cogitationes perpetuo illibatas servemus, ut caelestia semper cogitemus, caput mentis nostrae cum caelesti muliere inter sidera teneamus.[39] Sic Dominus a Nazaraeis puram sanctamque et omnino illibatam abstinentiam requirendo, quid veris Nazaraeis facto opus erat sub mysterio ostendebat.

Cum ieiunatis, nolite fieri tristes. Cum laetitia vult Dominus ut ieiunemus, unde etiam addit: *Cum ieiunas, unge caput tuum et faciem tuam lava,* quae Palestinis signa erant laetitiae,[40] et Hebraei magna cum laetitia ingressi fuerunt sacrum desertum cantantes et laudantes Dominum.[41] Magnum bonum ieiunium est, hinc ieiunium hodie Dominus cum thesauris coniungit, thesaurus est caelestium divitiarum. Sic legimus quod Daniel et socii magna cum laetitia a cibis Gentilium abstinebant Dei causa, ne cibis illorum pollueren-

ubi ieiunando thesauros divitiarum congerimus.

32) 2 Cor 9, 7. 33) Cf. Io 15, 2. 34) Cf. Idc 6, 11-12. 35) 1 Cor 5, 7. 36) Cf. *Moral.*, lib. 8, cp. 44, (P. L. 75, 846). 37) Cf. Mt 27, 32; Mc 15, 21. 38) Cf. Nm 6, 1-21. 39) Cf. Apc 12, 1-3. 40) Theophylactus: « Prisci in gaudii signum habebant, oleo ungi post lotionem ». *Enarr. in Evang. Matthaei*, (P. G. 123, 206); S. Hieronymus: « Iuxta ritum Palestinae loquitur, ubi diebus festis solent ungere capita ». *Comment. in Matt.*, lib. 1, (P. L. 26, 44). 41) Cf. Ex 15, 1-21.

tur.[42] Ieiunium nanque spiritui splendidum convivium est, horridumque desertum spiritui paradisus est caelestium deliciarum.

Ieiunium, nisi bene fiat, Deo non placet;

IV. Dantur a Domino in hodierno Evangelio utilia valde ac longe salutaria documenta. Et primum quidem, quod ieiunium, licet suapte natura bonum sit, nisi bene fiat, Deo non placet nec utile nobis est. Hinc ait: *Iuste quod iustum est exequeris;*[43] bona intentione et voluntate opus est in bonis operibus, sicut ad iaculandum et collimandum scopum diligenter inspiciendus prius est scopus, et antequam intorqueatur arcus, recta ad illum dirigenda sagitta est. Hinc David *praecepit ut docerent filios Iuda arcum,*[44] et de viris Beniamin legimus in libro *Iudicum* quod *fundis lapides ita ad certum iaciebant, ut etiam capillum possent percutere.*[45] Tantum valet peritia usu comparata! Nam multo difficilius est funda quam arcu aut fistula aenea scopum collimare. In manu autem hypocritarum arcus dolosus est, Oseae 7.[46]

rite factum vero, ingens est eius utilitas.

Alterum documentum est quod, si ieiunium rite fiat, longe utilissimum est, ingens eius utilitas, thesaurus est, nam purgat cor nostrum, mentem illuminat, perficit animum ac, sicut canit Ecclesia, « vitia comprimit, mentem elevat, virtutem largitur et praemia ».[47] Sacrificium pro peccato est hostia pacifica, gratissimum Dei holocaustum, sicut sacrificium Abrahae, quod ingentem meruit benedictionem.[48]

Corporale ieiunium sine spirituali hypocrisis est.

Nolite fieri sicut hypocritae, ne alienas personas assumatis, sicut elapsis diebus baccanalium, nam larva atque persona hominem ostendit alium quam est. Nobilis aliquando personam sustinet agricolae aut baiuli, vir personam assumit mulieris, iuvenis personam senis; at, si verum fateri licet, non baccanalium tempus, sed praesens larvarum tempus mihi esse videtur. Nam si larva ostendit hominem alium quam vere est, non baccanale tempus, sed praesens hos personatos ostendit; nam baccanale tempus mundanos homines carnales ostendit, animales secundum carnem viventes; et quidem vere tales sunt; quadragesimale autem tempus spirituales ostendit

42) Cf. Dn 1, 8-17. 43) Dt 16, 20. Vulg.: *Persequeris.* 44) 2 Rg 1, 18. 45) 20, 16. Vulg.: *Iacentes.* 46) Cf. vr. 16. 47) Cf. Missale Rom. *Praefat. Quadr.* 48) Cf. Gn 22, 10-18.

verosque fideles Christi, cum tamen, ut plurimum, tales non sint. Hoc igitur tempus hypocritarum, tempus larvarum est, quae Christo non placent. *Nolite fieri sicut hypocritae,* quales sunt qui corporale tantum ieiunium exhibent, non spirituale; cum tamen Deus homini non tantum corpus, verum etiam et animam dedit, ieiunium utrumque a nobis requirit. Qui etiam corpore tantum in ecclesiam veniunt, cor autem eorum longe a Deo est, hypocritae sunt, Deo non placent.

Bene ieiunantibus caelum promittitur.

Vita baccanalis, diaboli inventum et opus, via perditionis fuit, scala gehennae, porta inferni. Age nunc, fratres: *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiae, et iniquitati ad iniquitatem, nunc exhibete membra vestra servire iustitiae in sanctificationem... Quem fructum habuistis in illis in quibus nunc erubescitis?*[49] Vita spiritualis via salutis est; ieiunium christianum thesaurus est, quo regnum caelorum a Deo nobis comparare possumus. Fratres mei, *ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.*[50] Bene ieiunantibus regnum caelorum promittitur.

Ieiunium sanctum thesaurus caelestis est.

V. *Cum ieiunatis... thesaurizate vobis thesauros in caelo.* Coniungit Dominus ieiunium et thesauros caelestes, quoniam ieiunium pium et sanctum, quale Deus requirit, vere thesaurus est absconditus in agro,[51] thesaurus in vasis fictilibus;[52] hinc cum laetitia et gaudio spirituali. Ait autem non solum: thesaurizate aut thesaurizate thesaurum, sed *thesauros,* quod quidem principum et regum est. Talem animi magnitudinem a nobis requirit: *Spiritu principali,* spiritu principum, *confirma me.*[53] Bonis autem operibus thesaurizamus in caelo, sicut malis operibus thesaurizamus in inferno: *Thesaurizas tibi iram in die irae.*[54] Magnitudinem animi in operibus bonis requirit a nobis, ut multa et magna merita rutilantesque coronas acquiramus in caelo, sicut iuveni illi Dominus dixit: *Habebis thesaurum magnum in caelo.*[55]

Prius loquitur Dominus de ieiunio, postea de caelestibus thesauris, sicut P e t r u s ait *posteriores glorias.*[56] Prius Beniamin appellatus fuit f i l i u s d o l o r i s, *Benoni,* postea f i l i u s d e x t e-

49) Rom 6, 19-21. 50) 2 Cor 6, 2. 51) Cf. Mt 13, 44. 52) Cf. 2 Cor 4, 7. 53) Ps 50, 14. 54) Rom 2, 5. 55) Mt 19, 21; Mc 10, 21; Lc 18, 22. 56) 1 Petr 1, 11.

rae;[57] prius pater ipsius Iacob, idest luctator, postea *Israel,* idest princeps Dei,[58] sive princeps potens. Sic per desertum itur in terram promissionis; post amaritudinem aquarum Marath, pluit Deus electis suis in deserto manna de caelo.[59]

Vita spiritualis iubet vitia extirpare,

Spiritualis vita in tribus vel maxime consistit, quae Dominus paucis verbis complexus fuit dicens: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me.*[60] Illud autem *abneget semetipsum,* Paulus interpretatus fuit dicens: *Ut abnegantes impietatem et saecularia desideria;*[61] Petrus vero dixit carnalia desideria *quae militant adversus animam;*[62] hoc est quod Christus hodie ait: *Nolite fieri sicut hypocritae; nolite thesaurizare in terra.* Primo omnium vitia sunt extirpanda, hinc missus fuit Ieremias ut evelleret atque destrueret, postea vero aedificaret atque plantaret,[63] nam, ut Paulus ait: *Dei agricultura estis, Dei aedificatio estis.*[64] Nisi vitia radicitus extirpata sint, virtutes plantari non possunt.

mala patienter tolerare,

Alterum vero quod Dominus ait est: *Tollat crucem suam,* idest quae carni molesta sunt patienter libenterque perferat. Displicet carni ieiunium, sed tamen Dei et virtutis causa ieiunandum est.

Christum imitari.

Tandem ait: *Sequatur me.* Petrus ait: *Ut sequamini vestigia eius, vobis relinquens exemplum.*[65] Christi virtutes nos imitari oportet, nam electos suos Deus *praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui.*[66] Hoc autem est thesaurizare in caelo. Sic in hodierno Evangelio spiritualis vitae iaciuntur fundamenta.

Sic hodie construitur scala caeli.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, nam, ut Paulus ait, *radix omnium malorum est cupiditas;*[67] hanc autem cum suppresserimus, facile poterimus thesaurizare in caelo, ut cor nostrum semper sit in caelo. Nam, ut Eusebius Emissenus ait sermone *de Ascensione Domini,*[68] «vitia nostra sublimabunt nos, si fuerint infra nos; de nostris vitiis scalam nobis facimus, si vitia

57) Cf. Gn 35, 18. 58) Cf. ibid. 32, 28. 59) Cf. Ex 15, 23; 16, 13-16. 60) Mt 16, 24; Lc 9, 23. Vulg.: *Si quis vult post me,* etc. 61) Tit 2, 12. 62) 1 Petr 2, 11. 63) Cf. Ier 1, 10. 64) 1 Cor 3, 9. 65) 1 Petr 2, 21. Affert ordine inverso. 66) Rom 8, 29. Vulg.: *Imaginis.* 67) 1 Tim 6, 10. 68) Sermo iste invenitur in antiquis editionibus Eusebii Emysseni, cf. *Opera* Divi Eusebii Emysseni, hom. 1, *In Ascensione Domini,* pag. 285, Parisiis, apud Hier. de Marnef, sub Pelicano, 1575. Postea amandatus fuit inter supposititia S. Augustini et S. Caesario Arelatensi tribuitur. Cf. Appendix 2, Sermones de Tempore, serm. 176, *In Ascensione Domini,* (P. L. 39, 2082).

nostra calcamus ». Sic in hodierno Evangelio a Christo constructa nobis scala est, per quam nobis caelestia scandere datur. Sed per scalam illam nonnisi Angeli ascendebant,[69] per hanc nonnisi spirituales homines, qui angeli sunt in carne, non autem carnales et animales, quorum, utinam mentiar, inter christianos etiam infinitus est numerus. Hinc Dominus ait, quod *arcta est via quae ducit ad vitam et* valde *pauci sunt qui inveniunt eam.*[70] Sic pauci admodum sunt qui salvantur.[71]

Docet Christus quale debet esse ieiunium

VI. *Nolite fieri sicut hypocritae tristes.* Duo requirit a nobis Dominus: alterum est quale oporteat esse ieiunium, alterum quales oporteat esse ieiunantes. Ieiunium requirit purum, voluntarium, factum cum laetitia cordis, hoc enim est: *Nolite fieri... tristes,* et: *Tu cum ieiunas, unge caput tuum et faciem tuam lava,* haec enim signa erant laetitiae in Palaestina. Apostolus autem ait: *Hilarem enim datorem diligit Deus,* ideo *non ex tristitia aut ex necessitate.*[72] Tres igitur conditiones requirit in ieiunio: prima est ut sit voluntarium; secunda ut sit purum ac sanctum, absque peccato factum, puro corde ac sancta intentione; tertia ut sit factum cum laetitia cordis et hilaritate.

et quales ieiunantes.

Nec tantum ostenditur in hodierno Evangelio quale oporteat esse ieiunium, verum etiam quales oporteat esse ieiunantes, nam: *Respexit Dominus ad Abel et ad munera eius,*[73] quia enim placebat Deo Abel, placuere munera eius. A ieiunantibus ergo requirit Dominus ne sint hypocritae, ne sint homines personati, ne sint ficti, sed veri christiani. Verus autem christianus est qui habet spiritum Christi, nam: *Qui non habet spiritum Christi, hic non est eius;*[74] *qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt,* etc.,[75] quoniam *spiritus* concupiscit *adversus carnem;*[76] hinc: *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*[77]

Verus christianus magis Deo quam mundo placere studet.

Ut autem specialius dicamus, ut homo verus christianus sit, opus est fide, spe, caritate, ceterisque virtutibus, hinc agitur hic de fide, spe, caritate et aliis. Sed ab affectibus ostendit Dominus quisnam

69) Cf. Gn 28, 12. 70) Mt 7, 14. 71) Quae in sequenti numero continentur, atramento valde clariori exarata sunt. 72) 2 Cor 9, 7. Affert ordine inverso. 73) Gn 4, 4. 74) Rom 8, 9. Vulg.: *Si quis spiritum Christi,* etc. 75) Gal 5, 24. 76) Ibid. vr. 17. 77) Rom 8, 13.

sit verus christianus, nempe qui Deo potius placere vult quam hominibus, et in oculis Dei bonus, iustus esse magis quam hominum; vel saltem qui talis vult apud Deum haberi qualis apud homines; praefert tamen gloriam Dei vanae mundi gloriae humanaeque laudis; qui non thesaurizat in terra, sed in caelo praefertque caelestes divitias terrenis, ac tandem qui cor habet in caelo, ubi thesaurum suum reposuit.

III. ALIA HOMILIA

Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritae tristes. [1]

Ostenditur hodie via salutis et vita spiritualis,

I. Ostenditur nobis in hodierno Evangelio via salutis, sicut Hebraeis Deus ex Aegypto eductis viam ostendit, quam per desertum tenerent in terram promissionis. [2] Via autem salutis est vita spiritualis, nam, ut Paulus *ad Romanos* ait: *Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus, si enim secundum carnem vixeritis moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis vivetis; qui enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* [3] Vita autem spiritualis multas habet partes. Moyses in Decalogo decem veluti partes assignavit; [4] Dominus in Evangelio octo partes: *Beati pauperes spiritu, qui lugent, mites, qui esuriunt et sitiunt iustitiam, misericordes, mundo* corde, *pacifici* et *qui patiuntur persecutiones.* [5] Petrus similiter: *Subministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis* et *in amore fraternitatis caritatem.* [6] Isaias septem partes assignavit: *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiae,* etc. [7] Sic universa theologia assignat septem virtutes: tres theologicas et quattuor cardinales, in quibus spiritualis vereque christiana vita consistit. Paulus reducit in tres partes: *Sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo;* [8] sicut etiam Michaeas Propheta: *Ostendam tibi, homo, quid bonum sit et*

quae multas partes habet;

1) Mt 6, 16. 2) Cf. Ex 13, 17-18. 3) Rom 8, 12-14. Vulg.: *Quicumque spiritu Dei aguntur,* etc. 4) Cf. Ex 20, 1-17. 5) Mt 5, 3-10. 6) 2 Petr 1, 5-7. Vulg.: *Ministrate,* etc. 7) 11, 2-3. 8) Tit 2, 12.

quid Dominus requirat a te: facere iudicium, diligere misericordiam et sollicitum ambulare cum Deo tuo.[9] Regius Vates reducit in duas: *Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos?... Diverte a malo et fac bonum*[10] sic saepissime in Divinis Litteris facere iudicium et iustitiam; et Paulus spiritualem vitam cursum et pugnam appellavit: *Ego sic curro, non quasi in incertum, sic pugno non quasi aerem verberans;*[11] et alibi: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi.*[12]

Sic in hodierno Evangelio Dominus christianam vitam ad duo capita reducit, dum a nobis requirit ut bene ieiunemus et ut thesaurizemus in caelo, ita ut cor nostrum semper sit in caelo. Ieiunium requirit, sed sanctum, ex caritate propter Deum, non ex appetitu gloriae et laudis humanae; eleemosynam item ex caritate Dei.

sed hodie Christus ad duo capita eam reducit.

Primo, inquam, requirit ieiunium, sed sanctum, cum corporale tum etiam spirituale, quod est a vitiis et peccatis abstinere. Sed cum primis Dominus de ieiunio corporali loquitur, sicut et Ioel: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio et fletu et planctu,*[13] de quo item Ecclesia hodie: « Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris et praemia ».[14]

II. Quod tamen mirum in modum displicet novatoribus nostris; dicunt enim non esse ieiunandum, quia nullibi in Divinis Litteris reperitur praeceptum ieiunii. Sed ubi ipsi repererunt praeceptum comedendi carnes, unde facti sunt supra modum sarcophagi? Non requirit Deus ieiunium. Quid igitur est quod praecipitur *Levitici* 16[15] et 23,[15a] ac *Numerorum* 29: *Affligetis animas vestras*[16] *et omnis anima quae afflicta non fuerit eradicabitur?*[16a] Quid quod apud Ioelem ait: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio?* Et iterum: *Sanctificate ieiunium?*[17] Quid apud Isaiam 58: *Nunquid tale est ieiunium quod elegi?*[18] Quid apud Ieremiam 14: Etiam *cum ieiunaverint non exaudiam?*[19] Quid apud Zachariam 7: *Nunquid ieiunium ieiunastis mihi,* dicit Dominus?[20] Quid quod in-

Refutantur novatores ieiunium reprobantes.

9) 6, 8. Vulg.: *Indicabo tibi,* etc. 10) Ps 33, 13-15. 11) 1 Cor 9, 26. 12) 2 Tim 4, 7. 13) 2, 12. 14) Cf. Missale Rom. *Praefat. Quadr.* 15) Cf. vrr. 29-31. 15a) Cf. ibid. vr. 29. 16) Vr. 7. 16a) Lv 23, 29. Vulg.: *Peribit.* 17) Ioel 1, 14; 2, 15. 18) Vr. 5. 19) Vr. 12. 20) Vr. 5.

Ieiunium valde commendatur in Scripturis

terrogatus Dominus quare discipuli sui non ieiunarent sicut discipuli Ioannis et Pharisaeorum, non respondit, quia non est bonum, utile, acceptum Deo, superstitiosum autem et ingratum Deo est, sed ait: *Cum ablatus fuerit ab eis sponsus, tunc ieiunabunt?*[21] Quomodo institutum fuit matrimonium, nisi unico verbo: *Adhaerebit uxori suae,*[22] at vero ita hic loquitur: *tunc ieiunabunt.* Quid quod ait: *Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur?* Lucas habet: *Beati qui nunc esuritis, quoniam saturabimini;*[23] et: *Vae vobis qui saturati estis?*[24] Quid quod in hodierno Evangelio dat regulas ieiunandi, sicut paulo ante dederat regulas orandi et eleemosynas faciendi? Si ieiunandum non est, ad quid tradit ieiunii regulas? Quid quod ait: *Tu autem cum ieiunas, unge caput tuum... ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo... et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi?*[25] Loquitur de mercede, sicut dixerat: *Receperunt mercedem suam.*[26] Si superstitio est ieiunare, quomodo Deus remunerat ieiunium? Num superstitionis remunerator est? Quomodo ieiunaverunt Apostoli? Quomodo Christus ipse? Ioannes? Prophetae? Sancti omnes ieiunium maxime coluerunt.

et ab ipso Christo, qui hodie dat regulas ieiunandi

Mirum profecto est: Apostoli Sanctique omnes crapulas semper damnarunt, ieiunium autem miris laudibus extulerunt; Christus ipse et verbis et factis damnavit crapulam, laudavit ieiunium. Boni isti viri, novi evangelistae, non crapulam, sed ieiunium laudis loco supra modum vituperant.

et crapulam damnat.

Aiunt Ecclesiam non potuisse instituere et praecipere ieiunia. Cur non? Potuit Ionadab praecipere filiis suis ut perpetuo abstinerent a vino, ut legimus Ieremiae 35, et placuit Deo institutum illud,[27] non poterit Ecclesia praecipere fidelibus suis ut ieiunent? Potuit antiqua synagoga praecipere ieiunium quarti, quinti, septimi et decimi mensium, ut apud Zachariam legimus capite 8,[28] et ieiunium Esther, de quo *Esther* 4,[29] quae non erant praecepta in lege; potuit primitiva Ecclesia praecipere ut conversi ex Gentibus abstinerent ab esu carnium, sanguinis, et Paulus praedicabat ut servarentur praecepta Apostolorum, *Actuum* 15;[30] cur postea non potuit ieiunia fidelibus indicere atque praecipere? *Qui vos audit*

Ieiunium servatum fuit in Lege Veteri et in primitiva Ecclesia;

21) Mt 9, 15; Mc 2, 20; Lc 5, 34. 22) Mt 19, 5. 23) 6, 21.
24) Ibid. vr. 25. 25) Mt 6, 17-18. 26) Ibid. vr. 16.
27) Cf. vrr. 2 sqq. 28) Cf. vr. 19. 29) Cf. vr. 16. 30) Cf. vrr. 28-41.

me audit et qui vos spernit me spernit.[31] *Scitis quae praecepta dederim vobis,* inquit Paulus *1 Thessalonicensibus* 4, et post pauca: *Qui haec contemnit, non hominem contemnit, sed Deum, qui dedit Spiritum Sanctum in nobis.*[32]

Aiunt delectum ciborum sapere haeresim Ebionistarum, Tatianistarum, Manichaeorum, Marcionistarum esseque contra Divinam Scripturam, nam Christus ait: *Non quod intrat per os.*[33] Quid ergo? crapula et ebrietas non est mala? Non peccavit Adam gustando vetitum cibum?[34]

delectus ciborum praeceptus ab Apostolis fuit.

Aiunt a Paulo damnatum delectum, *Colossensibus* 2[35] et *1 Timotheo* 4.[36] At si ita est, cur Paulus praedicabat *Actuum* 15[37] et 16[37a] servari praecepta Apostolorum, ut abstinerent fideles a suffocato et sanguine?[38] Fuere haeretici qui docuere malas esse creaturas suapte natura, ita ut nihilo magis liceret carnes edere quam fornicari et adulterare. Contra hos loquitur Apostolus.[39]

Aiunt ad rationem ieiunii spectare tantum unam comestionem, nec esse de ratione ieiunii abstinere a carne et lacticiniis, nam melius ieiunat qui modico sive carnis, aut sicci casei utitur, quam qui piscibus optime conditis multisque lautitiis usus splendide epulatur. Forte ipsi cum suis hac moderatione utuntur et nesciunt condire ipsi carnes magna in copia multisque cum lautitiis, sicut alii pisces. Sed cur Daniel tempore ieiunii non admittebat *panem desiderabilem,* idest delicatum, nec carnem, nec vinum? Danielis 10.[40] Sed, quaeso, nebulones hos dimittamus.

III. Ex Divinis Litteris manifesta est ieiunii summa utilitas ad carnem edomandam, hinc Paulus: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo;*[41] ad bene orandum: sic Moyses ieiunavit, *Exodi* 34,[42] sic Elias, *3 Regum* 19,[43] sic Daniel, 10 capite;[44] ad Deum bene colendum: sic Anna Prophetissa ieiuniis et orationibus nocte et die Domino serviebat;[45] sic Paulus ait *Romanis* 12: *Obsecro vos per*

Manifesta est ex Divinis Litteris ieiunii utilitas,

31) Lc 10, 16. 32) Vrr. 2. 8. Vulg.: *Spernit... spernit.* 33) Mt 15, 11. 34) Cf. Gn 3, 6-19. 35) Cf. vr. 16. 36) Cf. vr. 3. 37) Cf. vr. 20. 41. 37a) Cf. vr. 4. 38) Cf. ibid. 21, 21-25. 39) De hac et sequentibus haereticorum sententiis contra ieiunium cf. S. Bellarminus *Controversiae,* t. 4, *De Bonis Operibus,* lib. 2, cp. 3-7, col. 1073-1083; S. Laurentius a Br. *Hypotyposis,* part. 1, pag. 227. 40) Vr. 3. 41) 1 Cor 9, 27. 42) Cf. vr. 28. 43) Cf. vrr. 8-14. 44) Cf. vrr. 4 sqq. 45) Cf. Lc 2, 37.

misericordiam Dei ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum,[46] ubi graece pro *obsequium* est *latria.* Utile ad placandum Deum, sic Ninivitae,[47] sic Achab ieiunio Deum magna ex parte placavit, *3 Regum* 21,[48] sic Iudaei in persecutione impii Aman, *Esther* 4;[49] sic Ioel 2 ad placandum Deum iubentur Iudaei ieiunare.[50] Utile ad impetranda divina beneficia, sicut mater Samsonis ieiunare iussa est[51] et Anna mater Samuelis ieiunans et orans filium impetravit.[52] Utile ad superandum satanam: *Hoc genus non eiicitur, nisi in oratione et ieiunio;*[53] ad acquirendam vitam aeternam: *Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.*

si tamen rite fiat, idest virtutibus ornatum sit.

Si tamen ieiunium rite sit factum, si purum sit sanctumque, non hypocrititium, sed vere christianum, multis virtutibus ornatum. Sicut enim vita corporalis, licet in coniunctione animae et corporis consistat, anima tamen multis potentiis ornata est, nam vegetativa habet plures vires, similiter sensitiva; ita plane vita spiritualis multa requirit, licet in spiritu tantum consistere videatur. Requirit mortificationem carnis: *Si spiritu facta carnis mortificaveritis;*[54] *Abneget semetipsum;*[55] *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt,* sed *cum vitiis.*[56] Hinc agitur in hodierno Evangelio etiam de fide, spe, caritate, aliisque virtutibus.

Caritas est quae ieiunium gratum Deo facit,

Ieiunium requirit Dominus, sed non tantum corporale, verum etiam spirituale, sicut homo ex corpore et anima constat, ut sit factum ex caritate, ex amore Dei. Hoc enim est quod cum primis a nobis requirit Dominus, sicut etiam in fine hodierni Evangelii iubet nos thesaurizare in caelo, ut ibi iugiter sit cor nostrum.[57] Caritas igitur est quae ieiunium Deo gratum facit; haec nanque est forma virtutum omnium. Caritas carnis inimica est; hinc Paulus ait quod *caro concupiscit adversus spiritum* et, e contra, *spiritus adversus carnem; haec enim sibi invicem adversantur.*[58] Quoniam autem caritas carnis inimica est, hinc *qui sunt Christi,* idest qui spiritum Christi habent, - nam qui *non habet spiritum Christi, hic non est eius,*[59] - *carnem suam crucifixerunt cum vitiis.* Amoris pro-

46) Vr. 1. 47) Cf. Ion 3, 5 sqq. 48) Cf. vrr. 27 sqq. 49) Cf. supra, not. 29. 50) Cf. vrr. 12-15. 51) Cf. Idc 13, 3-5. 52) Cf. 1 Rg 1, 7-13. 53) Mt 17, 20; Mc 9, 28. 54) Rom 8, 13. 55) Mt 16, 24; Lc 9, 23. 56) Gal 5, 24. 57) Cf. Mt 6, 20-21. 58) Gal 5, 17. 59) Rom 8, 9. Vulg.: *Spiritum Christi non habet,* etc.

prium est cum primis studium obsequendi ac placendi in omnibus dilecto, itemque persequendi et odio habendi quae displicent, ita enim natura compertum est; sic natura affecti sumus. Cum autem virtutes omnes quam maxime placeant Deo et vitia displiceant, cumque caro nostra sit vitiorum omnium seminarium fomesque peccati, propterea eam exagitat spiritus, sicut athleta suum antagonistam in agone; hinc Paulus corporis castigationem certamini in agone comparavit.[60] Qui autem cum hoste in arenam descendit, illum omni studio in terram prostrare contendit, non contentus sese ab illo defendere. Sic itaque mortificatur caro cum vitiis et concupiscentiis, ut vita sit omnino pura et immaculata sitque homo, ut Regius Vates ait, *innocens manibus et mundo corde.*[61]

Deus enim quam maxime virtutibus delectatur et vitia abominatur.

Sed adhuc thesaurizandum in caelo est, idest bonis operibus pro nostra virili incumbendum. Paulus ait: *Bene agere, bonis operibus divites fieri... thesaurizare sibi fundamentum bonum... ut aprehendant vitam aeternam.*[62]

IV. Vita spiritualis, ut uno dicam verbo, in vera solidaque virtute consistit, quae propter Deum operatur et caelestia non terrena quaerit. Hinc ait: *Nolite fieri sicut hypocritae,* qui speciem quidem pietatis habent, virtutem autem eius abnegant,[63] qui, sicut sophistae sapientes, ita ipsi iusti videri volunt cupiuntque, non esse. Hypocrita nanque theatralis persona est in scena, in comoediis aut tragoediis, histrionem proprie significat, qui cum alia persona sit, aliam agit, simulat, fingit, sicut Iacob simulavit se esse Esau[64] et uxor Ieroboam regis simulavit se aliam esse,[65] sicut etiam de Gabaonitis legimus.[66]

Vita spiritualis in vera ac solida virtute consistit,

Vera autem solidaque virtus, non mundana et terrena bona, sed Deum tantum et caelestia quaerit, fide, spe, caritate munita; nam alioqui, ut legimus, *declinantes in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem,*[67] hebraice *obligationes, hakalkaloth,* tortuositates, versutias, periphrasis est hypocritarum, qui intus mali cum sint, foris boni videri volunt, sicut uxor Putiphare, ut in *Genesi* legimus.[68] *Hos,* inquit, *adducet Dominus cum*

idest quae sola caelestia quaerit;

60) Cf. 1 Cor 9, 24 sqq. 61) Ps 23, 4. 62) 1 Tim 6, 18-19. Vulg.: *Divites fieri in bonis operibus... veram vitam,* etc. 63) Cf. 2 Tim 3, 5 64) Cf. Gn 27, 18-24. 65) Cf. 3 Rg 14, 2-6. 66) Cf. Ios 9, 3-24. 67) Ps 124, 5. 68) Cf. 39, 7-19.

operantibus iniquitatem, idest damnabit cum iis qui aperte mali fuerint; sic Matthaei 24: *Partem eius cum hypocritis ponet; ibi erit fletus,* etc.[69]

Nolite fieri sicut hypocritae. Levitici 2 capite respuit Dominus a sacrificio fermentum omne et mel, requirit autem omnino sal, quod ibi appellatur foederis Domini.[70] Haec autem omnia requirit a nobis hodie Dominus, ut a sacrificio ieiunii abiiciamus fermentum hypocrisis, mel suave humanae laudis et gloriae, in Dei honorem et laudem ieiunando, ac tandem sal requirit verae sapientiae, quae terrena contemnit et caelestia tantum appetit: *Nolite thesaurizare in terra, thesaurizate in caelo.*

Ideo iubet Dominus ut cor nostrum semper in caelo sit.

In omnibus sacrificiis Deus singulariter interiora requirebat, sanguinem, adipem, renes;[71] nam interiora nostra requirit Deus, hinc iubet hodie ut thesaurizemus in caelo, ut cor nostrum in caelo sit. Non omne sacrificium erat gratum Deo, sed illud tantum quod secundum legem offerebatur ex mundis animalibus, cum debitis circumstantiis temporis, loci, ministri et ritus, nam alius erat ritus holocausti, alius hostiae pacificae, alius victimae pro peccato.[72] Ieiunium potest esse holocaustum, cum ieiunatur ad honorem Dei ex divina caritate, ut Deo magis magisque placeamus. Potest etiam esse hostia pacifica, quae offerebatur tum pro acceptis tum etiam pro accipiendis beneficiis. Sed specialiter victima pro peccato est; opus est meritorium, si ex caritate fit ab homine in Dei gratia constituto. Sic enim unum ieiunium dignum est vita aeterna. Opus item impetratorium cum oratione coniunctum, sic enim Sancti vel semper ad orationem ieiunia adhibuere. Sed praecipue opus est satisfactorium, ad punienda praeterita peccata et praecavenda futura, opus scilicet poenitentiae, sicut patet in Ninivitis.[73] Debilitatur ieiunio caro, spiritus autem roboratur ad superandas satanae tentationes; hinc Christus cum ieiunasset, tentationes satanae superavit.[74]

Omnes sancti ad orationem ieiunium semper adhibuerunt.

Sicut autem non placebat Deo sacrificium, nisi rite fiebat, ita nec ieiunium; quare hoc satagendum, ut rite ieiunemus, quo nostra ieiunia Deo placeant et nobis salutaria sint.[75]

69) Vr. 51. Vulg:. *Ponet cum hypocritis; illic,* etc.
70) Cf. vrr. 11-13.
71) Cf. ibid. 3, 1 sqq.
72) Cf. ibid. 1, 1 sqq.; 7, 1 sqq.
73) Cf. Ion 3, 5 sqq.
74) Cf. Mt 4, 2-11; Mc 1, 13; Lc 4, 1-13.
75) Reliqua pagina alba relicta, transit ad feriam sequentem.

FERIA QUINTA POST DIEM CINERUM

Audiens autem Iesus miratus est et sequentibus se dixit: Non inveni tantam fidem. [1]

I. Mirabile plane opus quod summus artifex et laudat et miratur mox ut illud aspexerit. Omnia opera Dei mirabilia sunt: *Qui facit mirabilia solus;* [2] *Mirabilia opera tua.* [3] Sed inter omnia opera Dei sapientibus homo ipse visus est magnum ac vere stupendum miraculum, nam hominis causa creata sunt omnia. Mundus autem hic videtur esse excellentissimi pictoris magna tabula, mirabili arte elaborata, in qua multae sunt circumcirca imagines, descriptiones regionum, marium, fluminum, animalium, piscium, avium, ornatus etiam caeli. Sed principalis pictura, cuius causa facta sunt omnia, imago principis est ad vivum, ad naturale; sic est homo in mundo. Hinc non tantum a Trismegisto dictus est mundi miraculum, [4] sed multo ante a Beatissimo Iob, sapientissimo philosopho simul et theologo: *Quid est homo quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?* [5] Sic etiam Regius Vates: *Quid est homo quod memor es eius?... Minuisti eum,* etc. [6] Alibi etiam idipsum replicat: *Quid est homo quia innotuisti ei, aut filius hominis quia reputas eum?* [7] Horizon est caeli et terrae, nexus aeternitatis et temporis, centaurus ex Angelo et animali constans, anacephalaeosis, [7a] compendium universi, summa rerum omnium, veluti in libris rationum, mundi dominus, interpres naturae, imago Dei, simia divinitatis, statua animata, arbor sensibus praedita, animal an-

Homo mirabile opus Dei est,

princeps mundi,

miraculum naturae;

1) Pericope huius diei Mt 8, 5-13. Cf. Missale Rom. 2) Ps 71, 18. 3) Ps 138, 14. 4) *Asclepius*, cp. 1, pag. 123: «O Asclepi, magnum miraculum est homo, animal adorandum et honorandum». 5) 7, 17. 6) Ps 8, 5-6. 7) Ps 143, 3. 7a) Ms.: *Anachephalaeosis*.

gelio intellectu . donatum, scala caelestis, mente caelo superior, mundus parvus, sed maiore mundo tanto virtute praestantior, quanto mole inferior.

sed ut christianus miraculum est supra naturam

At vero si homo, ut homo, miraculum naturae est, homo, ut christianus, miraculum est supra naturam, miraculum gratiae, miraculum virtutis. Miratur hodie Christus in centurione non naturam, sed virtutem supernaturalem, superhumanam: *Miratus est... non inveni tantam fidem in Israel.*[8] Cuidam Sancto tria videbantur, et merito, magna miracula: « Deus et homo, Virgo et Mater, fides et cor humanum »[9] nam suapte natura homo est, sicut Thomas, incredulus: *Nisi videro... non credam,*[10] aliquando vix suis oculis credit, peccati causa factus est animalis, non percipiens quae sunt spiritus Dei;[11] *Sensus et cogitatio cordis humani ad malum prona sunt ab adolescentia sua.*[12] Virtus in homine mirabilis quaedam insitio est optimae arboris in mala, quae non poterat fructus bonos facere, veluti olivae in olivastro: *Suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.*[13] Hinc fides est veluti arbor vitae, sed arbor semper fructibus onusta, faciens fructus singulis mensibus, sicut in *Apocalypsi* legimus;[14] mensa est panum propositionis nunquam vacua.[15] Arbor vitae est fides sancta quam Deus plantavit, nam Dei donum est et quidem donum perfectum, datum optimum, ut Divus Iacobus ait: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.*[16]

ob virtutem fidei.

Recensentur multi fructus fidei in christiano;

II. Et quidem in Sacris Litteris legimus duodecim fructus huius arboris. Nam primo quidem purificat cor nostrum: *Fide purificans corda eorum;*[17] secundo iustificat animas nostras: *Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad iustitiam;*[18] *Iustificati ex fide;*[19] tertio efficit nos templum Dei: *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris,*[20] trahit Deum ad nos sicut magnes ferrum, hinc, aedificato templo Salomonis, descendit Deus in igne et nebula et implevit illud;[21] quarto armat nos contra satanam: *Sumentes scutum fi-*

8) Mt 8, 10. 9) S. Bernardus *In Vigilia Nativitatis Domini*, sermo 3, (P. L. 183, 98). 10) Io 20, 25. 11) Cf. 1 Cor 2, 14. 12) Gn 8, 21. Vulg.: *Humani cordis in malum*, etc. 13) Iac 1, 21. 14) Cf. 22, 2. 15) Cf. Ex 25, 30; Lv 24, 5-8; Nm 4, 7. 16) 1, 17. 17) Act 15, 9. 18) Gn 15, 6; Rom 4, 3; Gal 3, 6. 19) Rom 5, 1. 20) Eph 3, 17. Vulg.: *Christum habitare*, etc. 21) Cf. 3 Rg 8, 10-12; 2 Par 5, 13 sqq.

dei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere;[22] *Cui resistite fortes in fide;*[23] quinto vincit mundum, qui *totus in maligno positus est;*[24] *Haec est victoria quae vincit mundum, fides nostra;*[25] sexto dat nobis spem et confert meritum salutis, hinc saepe legimus dictum a Domino: *Fides tua te salvum fecit,*[26] *te salvam fecit;*[27] *Reportantes finem fidei vestrae salutem animarum*[28] vestrarum; septimo constituit nos filios Dei: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius;*[29] octavo dat nobis Spiritum Sanctum: *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquae vivae; hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum,*[30] hinc dum baptizaretur Christus, descendit Spiritus Sanctus super eum[31] et Baptismus dictus est *lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti;*[32] nono ferax est bonorum operum: *Fides per caritatem operatur,*[33] nam *fides sine operibus mortua est, sicut corpus sine spiritu;*[34] decimo replet corda nostra gaudio, hinc *ad Romanos* Paulus: *Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo;*[35] et *ad Philippenses* memorat *gaudium fidei,*[36] hinc Magdalenae Dominus ait: *Fides tua te salvam fecit, vade in pace,*[37] idest felix et laeta, et Petrus: *Credentes autem exultatis laetitia inenarrabili et glorificata reportantes*, etc.;[38] undecimo in causa est ut orationes nostrae exaudiantur a Deo: Quidquid *orantes petitis, credite quia accipietis,*[39] hoc est petere in nomine Christi, fide viva petere; sic ait: *Magna est fides tua, fiat tibi sicut vis;*[40] sic hodie: *Sicut credidisti fiat tibi;*[41] tandem nos fides veluti deificat, nam participes facit divinae naturae: *Magna et pretiosa nobis dona donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae.*[42] Omnipotentia propria Dei est: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum,*[43] et tamen: *Omnia possibilia sunt credenti;*[44] *Omnia possum in eo qui me confortat.*[45]

22) Eph 6, 16. 23) 1 Petr 5, 9. 24) 1 Io 5, 19. 25) Ibid. vr. 4. 26) Mc 10, 52; Lc 17, 19; 18, 42. 27) Mt 9, 22; Mc 5, 34; Lc 7, 50; 8, 48. 28) 1 Petr 1, 9. 29) Io 1, 12. 30) Ibid. 7, 38-39. 31) Cf. Mt 3, 16; Mc 1, 10; Lc 3, 21-22. 32) Tit 3, 5. 33) Gal 5, 6. 34) Iac 2, 20. 26. Affert ordine inverso. 35) 15, 13. 36) 1, 25. 37) Lc 7, 50. 38) 1 Petr 1, 8-9. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis*. In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Exultabitis*. 39) Mc 11, 24. Vulg.: *Evenient vobis*. 40) Mt 15, 28. 41) Ibid. 8, 13. 42) 2 Petr 1, 4. Vulg.: *Maxima et pretiosa nobis promissa*, etc. 43) Lc 1, 37. 44) Mc 9, 22. 45) Phil 4, 13.

Operatio miraculorum propria Deo est, et tamen: *Qui credit in me et haec faciet et maiora horum faciet.* [46]

sed maximus est, quod hominem deificat.

Sic fideles non solum filii Dei appellantur, ut Paulus *ad Galatas*: *Filii Dei estis per fidem,* [47] verum etiam dii: *Ego dixi: dii estis et filii Excelsi omnes.* [48] O magnum miraculum deificatum hominem videre! Aurum sive ferrum ignitum, lunam soli consimilem, terram factam caelo similem, sicut in argento et gemmis, similem stellis uti in auro! Transfert fides homines in caelum: *Multi... venient et recumbent cum Abraham, Isaac et Iacob in regno caelorum.* [49] Sic scala caeli est, per quam Angeli ascendunt, [50] scala duodecim graduum, sicut thronus Salomonis scalam habebat sex graduum. [51] Fides autem scala duodecim graduum est zodiacus, [52] corona, [53] *Rationale.* [54]

Centurio iste perfecta imago est hominis christiani.

III. *Audiens autem Iesus miratus est.* Centurio hic imago et perfectum veluti exemplum est hominis christiani. Saepe tum in humanis litteris a philosophis, tum etiam a theologis in divinis quaeritur: quid est homo? Hodie autem quaerendum nobis est quidnam sit christianus homo. Ad componendum physicum hominem requiritur corpus et anima, sic enim ab initio Deus formavit hominem. [55] Christianus autem homo theologicus est. Ad compositionem ipsius requiritur perfecta natura et supernaturalis gratia. Homo physicus a Moyse dictus est creatura Dei, imago et similitudo Dei; [56] homo autem theologicus a Paulo *nova creatura,* [57] novus homo, *qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis.* [58]

Ut homo, ipse naturalem legem vita et moribus servabat.

Sed contemplemus imaginem hanc in centurione. Is quidem homo dicitur, nam: *Et ego homo sum sub potestate constitutus;* [59] homo est, non Angelus natura, neque brutum; habet rationalem animam Dei capacem per cognitionem et amorem; homo autem non tantum natura, verum etiam moribus, non enim sensu carnis ducitur, ut bruta animalia, sed mente et ratione regitur. Multi sub humana figura bruta animalia sunt, unde philosophus ille in magna

46) Io 14, 12 47) 3, 26. 48) Ps 81, 6. 49) Mt 8, 11. 50) Cf. Gn 28, 12. 51) Cf. 3 Rg 10, 18-19. 52) Idest cum duodecim signis. 53) Corona caelestis mulieris cum duodecim stellis, de qua cf. Apc 12, 1. 54) Cum nominibus duodecim tribuum Israel, de quo cf. Ex 28, 15-21; 39, 8-14. 55) Cf. Gn 2, 7. 56) Cf. ibid. 1, 26-27. 57) 2 Cor 5, 17; Gal 6, 15. 58) Eph 4, 24. 59) Mt 8, 9.

populi frequentia hominem, accenso lumine, per diem quaerebat,[60] et Ieremias ait, quod non videbat hominem in terra.[61] Deus etiam, videns in diebus Noe, *quod multa malitia hominum esset in terra,*[62] ait: *Non habitabit spiritus meus in homine, quia caro est.*[63] Centurio autem ratione vivebat, inferioribus dominabatur et superioribus obediebat: *Sub potestate constitutus habens sub me milites, et dico huic,* etc.,[64] rationalem legem moribus et vita servabat.

Sed ad constituendum christianum requiritur gratia supernaturalis.

Sed ad constituendum hominem theologicum non sufficit natura et naturalis lex, requiritur gratia supernaturalis, fides vera et viva: *Non inveni tantam fidem in Israel.*[65] Fides christiano est sicut forma materiae, anima corpori, sicut Verbum carni in Christo. Sicut autem in generatione hominis anima rationalis a solo Deo creatur et infunditur, ita etiam in hominis regeneratione fides. Hinc Baptismus, in quo nascitur homo christianus, dicitur *lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti;* et Dominus ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.*[66]

Sicut autem ex corpore et anima resultat naturalis homo, mirabile plane opus Dei, ita ex natura humana et fide, quam Paulus novam dicit creaturam,[67] resultat christianus, opus Spiritus Sancti multo mirabilius, magnum plane miraculum: *Audiens miratus est.*

Christianus magnum miraculum est,

IV. Oritur admiratio aliquando ex rei magnitudine, sicut apud ethnicos legimus septem orbis miracula,[68] et sicut de sole ait Iesus Sirach; *Vas admirabile, opus Excelsi;*[69] aliquando etiam ex pa-

60) Diogenes Cynicus, de quo cf. Diogenes Laertius *De Vitis Philosophorum*, lib. 6, pag. 230.
61) Cf. 4, 25. 62) Gn 6, 5. 63) Ibid. vr. 3. Vulg.: *Non permanebit.* etc.
64) Mt 8, 9. 65) Ibid. vr. 10. 66) Io 3, 5. 67) Cf. supra, not. 57.
68) Septem recensentur mundi miracula, hoc est opera excellentis artificii et insignis magnificentiae toto orbe celebratissima. Primo loco sunt muri Babylonis, de quibus Plinius *Hist.*, lib. 6, cp. 26, pag. 94; secundo Iovis Olympii simulacrum, opus Phidiae ex ebore et auro, quo nullum, inquit Valerius Maximus *Dictorum factorumque*, lib. 3, cp. 7, n. 4, extern., praestantius aut admirabilius humanae fabricatae sunt manus, Plinius op. cit., lib. 34, cp. 8, pag. 600; tertio templum Dianae Ephesiae, de quo Plinius lib. 36, cp. 14, pag. 642; quarto Pyramides Aegyptiae, de quibus Plinius op. cit., lib. 36, cp. 12, pag. 640; quinto sepulcrum Mausoli, de quo Plinius ibid., cp. 5, pag. 635-636; sexto aeneus Colossus solis in Rhodo insula, de quo Plinius lib. 34, cp. 7, pag. 599; septimo regia Cyri domus, in qua lapides non ferro, sed auro illigatos fuisse tradunt, de qua Cassiodorus *Variarum*, lib. 7, formula XV, (P. L. 69, 719). 69) Eccli 13, 2.

radoxis et novitate rei, sicut miratus fuit Moyses videns rubum qui ardebat et non comburebatur: *Ibo,* inquit, *et videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus;*[70] mirabatur intra se dicens: si flamma haec ignis est, quomodo non comburit? et si ignis non est, quomodo ardet? Ita plane christianus magnum miraculum est tum pro rei magnitudine, tum etiam quia magnum videtur paradoxum simile rubo ardenti. Pro rei magnitudine, nam christianus templum est Spiritus Sancti, filius Dei, heres regni caelestis, propterea cum Dominus baptizatus fuit, caeli aperti fuerunt super eum, descendit Spiritus Sanctus et vox Patris intonuit: *Hic est Filius meus dilectus.*[71] Hinc hodie ait: *Multi venient,* etc. *filii autem regni,* etc.[72] Sic Stephanus, primus christianus, qui post Christum mortuus fuit, vidit caelos apertos.[73]

per gratiam etenim templum Dei constituitur.

O plane divinam christiani hominis dignitatem! *Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus!*[74] *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri,*[75] et Petrus ait: *Divinae consortes naturae.* Hinc electi etiam dii sunt appellati: *Ego dixi: dii estis et filii excelsi omnes.* Qui ex utroque parente nobili natus est, nobilis reputatur; christianus autem filius est Dei et Sanctae Ecclesiae, quae mulier est in *Apocalypsi* amicta sole et stellis coronata.[76] Hinc in hodierno Evangelio fideles *filii regni* appellantur, idest principes, heredes regni caelestis cum sanctissimis Patriarchis Abraham, Isaac et Iacob.

imo filius Dei, heres regni caelestis.

Tandem centurio hic a Christo non solum sua praesentia, gratia et favore dignus est habitus: *Ego veniam et curabo eum;*[77] *Sanatus est puer in illa hora;*[78] verum etiam honore et laude eximia, honestissimo encomio, cum admiratione laudata a Christo est virtus ipsius: *Audiens miratus est; Non inveni tantam fidem.* Alios etiam viros laudatos a Deo legimus: Noe,[79] Abrahamum,[80] Iobum,[81] Moysen,[82] sed non cum admiratione; quod enim cum admiratione laudatur, ostenditur tantae esse excellentiae, ut verbis pro dignitate satis laudari non possit. Sic saepe cum admiratione laudamus mu-

Solam virtutem Christus in centurione laudat et admiratur.

70) Ex 3, 3. 71) Mt 3, 17; Mc 1, 11; Lc 3, 22. 72) Mt 8, 11-12.
73) Cf. Act 7, 55 sqq. 74) 1 Io 3, 1. 75) Io 1, 12. 76) Cf. 12, 1.
77) Mt 8, 7. 78) Ibid. vr. 13. 79) Cf. Gn 6, 8; 7, 1; Eccli 44, 17-19.
80) Cf. Gn 12, 13; 22, 12-18; Eccli 44, 20-23. 81) Cf. Iob 1, 8; 2, 3. 82) Cf. Dt 34, 10 sqq.; Eccli 45, 1-6.

lieris singularissimam pulcritudinem, militis fortitudinem, rethoris eloquentiam; cum verba deficiunt, addimus ex ipsa natura admirationem; sic sponsa in *Canticis* cum admiratione laudatur ob divinam pulcritudinem. [83]

Christianus mirabilis complexus paradoxorum est.

V. Quod autem ad paradoxa spectat, in eo reperiri videntur amoris paradoxa in Platonis *Symposiaco;* [84] sic, inquam, verus christianus magnus et parvus est, dives et pauper, sublimis et humilis, fortis et debilis, prudens et simplex; homo mundanus et totus divinus est, videtur in terra et supra coelum est: *Nostra... conversatio in caelis est;* [85] videtur caro et spiritus est, angelus in carne est, pulcherrima et mirabilis Christi imago, qui homo videbatur et Deus erat; parvus est in oculis suis, nihil sibi esse videtur et magnus est in oculis Dei, sicut de Ioanne legimus: *Erit enim magnus coram Domino.* [86] Quam parvus Centurio in oculis suis! *Domine, non sum dignus.* [87] Quam magnus in oculis Christi! *Non inveni tantam fidem in Israel; Magna est fides tua.* Magnus animo, cui totus hic mundus parvus est, nihil est: *Omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora;* [88] pauper est mundo, dives Deo: *Nihil habentes et omnia possidentes;* [89] invenit thesaurum absconditum in agro: [90] *Habemus thesaurum in vasis fictilibus;* [91] *Divitiae salutis sapientia et scientia; timor Domini ipse est thesaurus eius.* [92] Debilis in seipso: *Sine me nihil potestis facere;* [93] fortis in Deo: *Omnia possum in eo qui me confortat;* [94] debilis carne, nam caro infirma est, fortissimus spiritu: *Quis nos separabit a caritate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an persecutio? an gladius?... Certus sum* [95] quia nulla creatura, sive corporalis sive spiritualis... Simplex est atque imprudens, pene stultus in mundanis, prudentissimus in divinis: *Abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis.* [96]

Fides enim magnus et incomparabilis thesaurus est sapientiae: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei.* [97] Hinc thesaurum eam

83) Cf. 4, 1 sqq. 84) Pag. 416-440. 85) 2 Cor 6, 10. 86) Lc 1, 15. 87) Mt 8, 8; Lc 10, 21. 88) Phil 3, 8. 89) Ibid. vr. 20. 90) Cf. Mt 13, 44. 91) 2 Cor 4, 7. 92) Is 33, 6. 93) Io 15, 5. 94) Phil 4, 13. 95) Rom 8, 35-38. 96) Mt 11, 25. 97) Mc 4, 11; Lc 8, 10.

Fides incomparabilis thesaurus est sapientiae,

appellavit Christus,[98] Paulus divinum quoddam speculum, in quo videntur omnia: Deus, mundus, Ecclesia, paradisus, infernus: *Videmus nunc per speculum in aenigmate.*[99] Liber est quod hieroglyphicorum et mysteriorum esse videtur, hinc dicitur *mysterium regni Dei,* et liber clausus,[100] sed tamen mirabili plenus est philosophia, multiplici rerum scitu dignissimarum cognitione; dat enim homini cognitionem Dei et suiipsius, cognitionem mundi huius et futuri, cognitionem paradisi et inferni: *Venient ab oriente et* ab *occidente et aquilone et austro et recumbent,* etc., *filii autem regni,* etc.; sic centurio Christum cognovit et seipsum. Dat cognitionem totius moralis philosophiae, virtutum et vitiorum omnium, sicut cognovit centurio desperatam infirmitatem servi: *Domine, puer meus iacet in domo paralyticus et male torquetur.*[101] Quam facile homo infirmatur in Capharnaum, in villa voluptatis! nam etiam filius Reguli hic infirmabatur. In regno voluptatis vix est virtutis locus;[102] et tamen repertus est hic centurio, sicut Iob in civitate Hus,[103] sicut Loth in pessima regione Pentapolis,[104] sicut Noe, etc.

dat enim cognitionem Dei et hominis,

mundi huius et futuri,

virtutum et vitiorum;

Centurioni Capharnaum, quod aliis villa erat consolationis, non erat nisi villa poenitentiae, nam in regno voluptatis abstinere a voluptatibus genus martyrii est. Non enim voluptati, sed pietati operam dabat, sicut alter ille centurio laudatissimus, Cornelius, qui monitu Angeli a Petro baptizatus fuit.[105]

sicut hodie cernitur in centurione.

Centurio miles erat, militari disciplina instructus, dux militum: *Sub potestate constitutus, habens sub me milites.* Non inquit: in potestate, sed *sub potestate,* tanquam prudens enim sciebat quod honor potestatis onus est potius quam honor. Hinc verus christianus facile contemnit mundana. Miles erat: et christianum hominem militem Christi oportet esse, nam: *Non coronabitur nisi* qui *legitime certaverit.*[106] Hinc Paulus *ad Ephesios* providet militi christiano arma necessaria: gladium, scutum, thoracem, galeam, cingulum etiam militare et genus omne armorum.[107]

98) Ms.: *Thesaurum* repetitur. 99) 1 Cor 13, 12. 100) Cf. Apc 5, 1-8. 101) Mt 8, 6. 102) Ex Cicerone: « Nec libidine dominante temperantiae locum esse, neque omnino in voluptatis regno virtutem posse consistere ». *De Senectute.* n. 12. 103) Cf. Iob 1, 1. 104) Cf. Gn 19, 1-22. 105) Cf. Act 10, 1 sqq. 106) 2 Tim 2, 5. Vulg.: *Non coronatur,* etc. 107) Cf. 6, 11-17.

Pietas in Deum singulare opus est christiani;

Praefertur hodie centurio Israelitis: *Non inveni tantam fidem in Israel.* Sic apud Deum christianus praelatus est Iudaeis, qui prius erant populus electus, hinc filii regni appellantur: *Multi,* inquit, *venient et recumbent cum Abraham in regno caelorum, filii autem regni,* etc.; sic Esther successit loco Vasthi.[108] Centurionis huius una tantum actio in hodierno Evangelio refertur, actus religionis et pietatis, sancta et pia oratio: *Accessit ad eum centurio rogans eum et dicens*: *Domine,* etc.[109] Christiani hominis hoc singulare opus est, hinc Dominus ait: *Oportet semper orare et nunquam deficere*[110] ab oratione.

haec tantopere hodie in centurione commendatur:

De filiis Cain in *Sacra Genesi* multa opera legimus, inventores fuerunt multarum artium;[111] de filiis autem Seth unum tantum: *Iste coepit invocare nomen Domini,*[112] et quod Enoch *ambulavit cum Deo.*[113] Sanctae autem huius orationis hodie legimus meritum, commendationem et effectum: fuit Christo gratissima, sicut incensum odoris suavissimi, nam secum habuit fidem magnam, humilitatem profundam: *Non sum dignus;* caritatem ardentem: *Puer meus iacet in domo paralyticus;* orat pro servo, sicut pro filio Regulus oravit,[114] et praeterea multa cum prudentia et sapientia oravit, apud Dominum commendans divinam potentiam, sumpto argumento a minori.

Ostenditur etiam in centurione christiani hominis dignitas;

VI. Ostenditur in hodierno Evangelio mirabilis apud Deum christiani hominis dignitas. De centurione nanque legimus: *Dignus est ut hoc illi praestes.*[115] Dictu mirabile ut homo dignus sit apud Deum omni favore et gratia! Multa a philosophis dicta sunt de dignitate hominis in rerum natura; sed christianus homo ceteris hominibus[116] dignitate tanto superior est quanto homo natura ceteris animantibus praestat.

christianus etenim similis Christo est,

Vidit E z e c h i e l in spiritu hominem in caelo quattuor facies habentem. Apud ethnicos Ianus bifrons celebratur cum duabus faciebus;[117] sed caelestis homo apud E z e c h i e l e m quattuor habet

108) Cf. Est 2, 1-17. 109) Mt 8, 5-6. 110) Lc 18, 1. Vulg.: *Et non deficere.*
111) Cf. 4, 17-22. 112) Ibid. vr. 26. 113) Ibid. 5, 22.
114) Cf. Io 4, 46-49. 115) Lc 7, 4. 116) Ms.: *Hominis.*
117) Cf. Cicero *De Natura Deorum*, lib. 2, n. 27; Ovid. *Fast.*, lib. 1, vr. 135.

facies: hominis, bovis, leonis et aquilae. Nec tantum quattuor facies, verum etiam quattuor alas et quattuor manus habebat totusque flamma ignis aut lampas ardens videbatur.[118] Mirabile spectaculum! Hoc autem quia totus similis Christo est, in quo vel maxime quattuor mysteria celebrantur: nativitas, mors, resurrectio et ascensio, et quattuor status humanae naturae, quattuor etiam virtutes in eo exemplares atque divinae.

praesertim in virtutibus,

Sed specialiter faciem habet hominis, insigni praeditus humanitate et benignitate, ut patet in centurione erga servum, quem tractabat ut filium; faciem bovis propter constantiam in perferendis laboribus atque oneribus, insignem etiam mansuetudinem et humilitatem, nam non cognoscit bos fortitudinem viresque suas: en centurio bos sub iugo: *Homo sum sub potestate constitutus;* insignis humilitas: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum;* faciem leonis propter invictam animi fortitudinem et cordis magnanimitatem ad resistendum satanae, mundo, carni: en centurio miles, dux militum fortissimus; tandem faciem aquilae propter singularem prudentiam et animi perspicaciam ad contemplanda caelestia et divina.

unde pluribus modis haec dignitas in S. Scriptura significatur.

Ad designandam christiani hominis dignitatem in Sacris Litteris appellatur nunc quidem spiritualis homo, qui *iudicat omnia et a nemine iudicatur,*[119] idest homo divino spiritu praeditus, cuius afflatu iudicat de omni doctrina; *animalis autem homo non percipit quae sunt spiritus Dei... neque enim potest [intelligere], quia spiritualiter examinatur,*[120] idest ad ea diiudicanda Spiritu Sancto ac supernaturali lumine opus [est]. Aliquando dicitur novus homo, *qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis;*[121] similiter nova creatura; aliquando homo caelestis: *Secundus homo de caelo caelestis... Portemus imaginem caelestis;*[122] *Nostra conversatio in caelis est;*[123] aliquando filius Dei et frater Christi,[124] heres regni,[125] ad cuius custodiam deputati sunt Angeli.[126]

118) Cf. 1, 4-14. 119) 1 Cor 2, 15. 120) Ibid. vr. 14. Vulg.: *Et non potest,* etc.
121) Eph 4, 24. 122) 1 Cor 15, 47. 49. 123) Phil 3, 20.
124) Cf. Mt 23, 40; 28, 9; Io 20, 17. 125) Cf. Rom 8, 17. Tit 3, 7; Iac 2, 5.
126) Cf. Mt 18, 10.

VII. De naturali homine a philosophis tria traduntur et pertractantur: primo quidem substantia sive essentia, quatenus ex rationali anima et corpore physice constat, aut ex genere et differentia metaphysice, diciturque animal rationale; secundo vero multiplex virtus naturalis, ut sunt potentiae animae vegetativae, sensitivae et rationalis; tandem multiplex operatio, nam quaelibet potentia et virtus naturalis suas habet operationes.

Tria de naturali homine tradit philosophia,

Similiter de christiano homine in sacra theologia tria haec pertractantur: ipsius essentia, constat ex natura et gratia supernaturali: *Qui spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt.*[127] Virtutes autem spiritualis hominis sunt fides, spes, caritas cum aliis virtutibus, quas cardinales appellant. Actiones autem sunt opera bona erga Deum et proximum. Sic de centurione legimus: *Diligit gentem nostram et synagogam ipse aedificavit.*[128] In hodierno autem Evangelio una tantum actio ipsius exprimitur: *Accessit ad eum rogans et dicens: Domine,* etc.[129] In oratione enim omnis exercetur virtus: fides, spes, caritas, religio, humilitas, ipsa nanque sacrum thymiama est, quod ex multis confectum erat odoratissimis aromatibus, ut soli Deo super altare incensi offerretur.[130] Sic ad orationem sanctam et Deo placentem multarum virtutum actus concurrunt, ut patet in oratione centurionis.[131]

tria etiam de christiano tradit theologia.

II. ALIA HOMILIA

I. In hodierno Evangelio multa sunt salutaria documenta, et primum quidem, quod verae solidaeque virtutis magni est apud Deum et homines meritum, dignitas, auctoritas. Heri a nobis Dominus veram solidamque virtutem requisivit, non fictam et simulatam hypocritarum;[1] hodie virtutis meritum demonstratur. Placet virtus Deo, laudatur ab hominibus. De centurione hoc dicunt ad Christum seniores Iudaeorum: *Dignus est ut hoc illi praestes, dili-*

Valde commendatur hodie virtutis meritum, dignitas et auctoritas.

127) Rom 8, 14. 128) Lc 7, 5. 129) Mt 8, 5-6.
130) Cf. Ex 30, 34-37; Lv 16, 12-13. 131) Cf. Mt 8, 5-13.

1) Cf. Missale Rom. Evangelium feriae praecedentis.

git enim gentem, etc.[2] Christus autem virtutem hodie multis favoribus cumulavit. Et quidem semper Deus ab initio virtutem multis favoribus prosecutus est, sicut vitium severis punitionibus. Favores autem quibus Deus virtutem exornat sunt et temporales in hoc mundo et aeterni in caelo: *Venient et recumbent cum Abraham... in regno caelorum.*[3] Temporales autem favores sunt qui in centurione elucent, dignitatis et auctoritatis honor. Sic enim hominem ab initio virtute praeditum, summa dignitate et auctoritate decoravit, cum eum mundi principem constituit: *Gloria et honore coronasti eum;*[4] sic postea Ioseph, Moysen, Aaronem, Iosue, Samuelem, Davidem, Petrum, innumeros alios, quos virtutis ergo sublimavit. - Praeterea honor commendationis et laudis: *Miratus est... Non inveni tantam fidem in Israel.*[5] Sic Deus laudavit Noe,[6] Abrahamum,[7] Iobum,[8] Moysen,[9] Davidem;[10] sic Christus Ioannem Baptistam,[11] Petrum,[12] chananaeam,[13] Magdalenam[14] et alios. - Tertio singularibus gratiis: *Voluntatem timentium se faciet et deprecationem eorum exaudiet et salvos faciet eos.*[15] Saepe enim Deus iustorum meritis motus etiam peccatoribus beneficia praestat, sicut hodie: *Vade et sicut credidisti fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.*[16] Sic legimus quod *generatio iustorum benedicetur,*[17] idest aetas hominum, qua iusti florent in mundo, divinis beneficiis cumulabitur. Sic orante Moyse multa beneficia contulit Hebraeis in deserto; sic legimus: *Dixit ut disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius,*[18] hebraice *in ruptione muri,* exemplum sumptum est a re bellica, cum obsessa civitas est et impugnata factaque est hostium irruptio in aliquam partem, eo accurrit qui defensor et propugnator est civitatis, ibi hostium conatibus magno etiam suo periculo obsistit. Sic Elias dictus fuit *currus Israel et auriga,*[19] sive eques, idest exercitus et potentia Israel.

Ostenditur etiam virtutem

II. Aliud praeterea documentum in hodierno Evangelio est, quod virtus, etiam magna atque perfecta, heroica, exemplaris, non

2) Lc 7, 4-5. 3) Mt 8, 11. 4) Ps 8, 6. 5) Mt 8, 10. 6) Cf. Gn 6, 8-9; 7, 1; Eccli 44, 17-19. 7) Cf. Gn 12, 1-3; 22, 12-18; Eccli 44, 12-18. 8) Cf. Iob 1, 8; 2, 3. 9) Cf. Dt 34, 10 sqq.; Eccli 45, 1-6. 10) Cf. 1 Rg 13, 14; Eccli 47, 2-13. 11) Cf. Mt 11, 7-14; Lc 7, 24-28. 12) Cf. Mt 16, 17-20. 13) Cf. ibid. 15, 28. 14) Cf. Lc 7, 44 sqq. 15) Ps 144, 19. 16) Mt 8, 13. 17) Ps 111, 2. Vulg.: *Generatio rectorum.* 18) Ps 105, 23. 19) 4 Rg 2, 12.

est homini impossibilis. Nam centurio homo erat: *Nam et ego homo sum,*[20] et homo saecularis vivens in saeculo, in mundo hoc pleno vanitatum et voluptatum, ita ut in regno voluptatis etiam sit virtuti locus, sicut enituit virtus Iob in civitate Hus,[21] virtus Loth in Sodoma,[22] virtus Noe in saeculo corruptissimo,[23] virtus Ioseph in Aegypto.[24] Tandem homo erat militiae deditus, cumque de militibus dixerit ille:

homini impossibilem non esse.

«Nulla fides pietasque viris qui castra sequuntur»[25]

hic tamen, miles cum esset, homo erat virtute praeditus, pietate, religione, sanctitate insignis, sicut de Cornelio centurione legimus, quod erat *religiosus et timens Deum... faciens eleemosynas multas plebi et deprecans Deum semper.*[26] Quare licet miles et gentilis esset, Deo tamen gratus erat, unde Petrus, hoc cognito, ait: *In veritate comperi quod non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum et operatur iustitiam, acceptus est illi.*[27] Sic cum multi sint status in mundo: divitum, pauperum, nobilium, ignobilium, principum et popularium, saecularium et Religiosarum, in omni statu homo salvari potest, divinam legem servare, secundum virtutem vivere.

Adhuc autem quod, sicut non reperitur status adeo periculosus in quo homo salvari non possit, ita, e contra, nec status adeo securus in quo non possit homo damnari. Hinc ait: *Filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores,*[28] hoc est quod alibi Dominus ait: *Duo erunt in lecto uno: unus assumetur,* etc., *duae molentes in mola: una... duo in agro*: *unus,* etc.[29]

In quocumque statu reperiatur.

III. *Audiens miratus est.*[30] Regius Vates in *Psalmo 138* miratur vehementer divinam sapientiam in formatione corporis humani: Quoniam *tu formasti me et posuisti super me manum tuam. Mirabilis facta est scientia,* idest ars et industria qua me formasti, *confortata est et non potero ad eam,* sublimis valde est ad eam pertingere eamque capere et intelligere; deinde ait: *Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua,* he-

Homo complexus miraculorum est.

20) Mt 8, 9. 21) Cf. Iob 1, 1. 22) Cf. Gn 19, 1-22. 23) Cf. ibid. 6, 1-13. 24) Cf. ibid. 39, 7-12. 25) Lucanus *De Bello Civili,* lib. 10, vr. 407. 26) Act 10, 2. 27) Ibid. vrr. 34-35. 28) Mt 8, 12. 29) Ibid. 24, 40-41; Lc 17, 34-35. 30) Mt 8, 10.

braice, *quia miraculo mirabilis effectus sum.* [31] Nam homo multa simul miracula est: miraculum manus, instrumentum omnium instrumentorum ad opera omnium artium; miraculum facies, theatrum sensuum omnium, platea in qua explicantur insignia omnium passionum animi; miraculum oculus, miraculum lingua, miraculum ingenium, iudicium, memoria; sed christianus homo miraculum est multo maius naturali, quam caelum terra, sol luna, Angelus animali.

eo magis christianus.

Oritur admiratio a magnitudine rei. Sic miramur caelum, quod hebraice *samaim* שָׁמַיִם dicitur, a *samam,* [32] quod est admirari, sic sunt miracula orbis; deinde a novitate, veluti si nascatur homo cum duobus capitibus aut quattuor oculis, auribus, manibus. Sic homo christianus magnum miraculum est a magnitudine rei, si considerentur quattuor causae ipsius: materialis est perfecta natura; formalis gratia, participatio naturae divinae, sicut ferrum ignitum, sicut luna plena; efficiens, Deus et Ecclesia; finalis, regnum caelorum: *Recumbent cum Abraham in regno caelorum.* Magnum miraculum a novitate, nam homo est apud Ezechielem cum quattuor faciebus, brachiis manibusque, alis, totus similis flammae ignis et cum pedibus rectis. [32a]

Sola virtus vera et viva efficit christianum,

Non inveni tantam fidem. Fides vera vivaque est quae hominem efficit vere christianum. Fides autem inter scientiam et opinionem media est, scientia nanque cognitio est clara et certa, opinio autem cognitio dubia et obscura. Fides autem cum scientia habet certitudinem, cum opinione obscuritatem; ab opinione differt certitudine, a scientia obscuritate. Fides autem certior scientia est ac sensuum cognitione. Isaac visu et tactu deceptus fuit, non autem auditu: [33] *Habemus firmiorem propheticum sermonem,* ait Petrus, [34] cum tamen vidisset gloriam Christi. [35] Ille verus est christianus qui multo firmius certiusque credit mysteria fidei, quam si ea oculis videret. Talis fuit centurio. Hinc tanta cum certitudine orat: *Tantum dic verbo et sanabitur puer meus.* [36]

qualis fuit fides centurionis.

Accessit ad eum centurio. Accessit et illuminatus fuit, divino favore et gratia illustratus, hoc enim est: *Et illuminamini,* [37] idest

31) Vrr. 5-6. 14. 32) Cf. Pagnini *Lexicon Hebraicum,* sub voce: שָׁמַם 32a) Cf. 1, 4-14.
33) Cf. Gn 27, 22-23. 34) 2 Petr 1, 19. 35) Cf. ibid. vrr. 16-18.
36) Mt 8, 8. 37) Ps 38, 6.

radio lucis divini favoris et gratiae illustrabimini: *Emitte lucem tuam,*[38] favorem tuum; *illumina vultum tuum super nos,*[39] serenum vultum nobis ostende, tranquillum, placidum, plenum gratia et favore ad nos consolandos et laetificandos.[40]

Sicut fides Abrahae triplici ex capite commendatur,

IV. *Miratus est et sequentibus se dixit: Non inveni tantam fidem in Israel.* Commendatur fides centurionis in Evangelio, sicut fides Abrahae in lege: *Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad iustitiam.*[41] Fides autem Abrahae triplici ex capite commendatur: ratione obiecti, idest divini promissi, quod credidit, ratione modi credendi, et tertio ratione virtutum quae fidem ipsius concomitabantur, ornabant. Hinc Paulus *Romanis* 4 de fide Abrahae ait: *In promissione Dei non haesitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens quia quaecumque promisit, potens est et facere.*[42] Obiectum ponit promissionem Dei, quod possit Deus promissa omnia implere, licet quod promittebatur esset omnium opinione incredibile et natura impossibile. Non *consideravit,* inquit, *emortuum corpus suum, cum iam centum fere esset annorum, nec emortuam vulvam Sarae.*[43] Quoad modum vero ait: *Confortatus est fide plenissime sciens,* non haesitavit fide, sicut Zacharias pater Ioannis,[44] sicut Moyses et Aaron ad aquas contradictionis,[45] nec signum petiit sicut Gedeon.[46] Tandem, quoad tertium, *dans,* inquit, *gloriam Deo*: fides ipsius coniuncta fuit magna cum pietate et religione erga Deum.

Ita ex tribus commendatur fides centurionis.

Ita fides centurionis ex tribus hisce capitibus hodie quamplurimum commendatur: ab obiecto, quod creditu erat quam difficile: *Ego veniam et curabo eum,* cum iaceret paralyticus et male torqueretur, immo, ut Lucas ait, cum ageret animam.[47] Secundo ex modo: *Tantum dic verbo et sanabitur puer meus, nam et ego homo sum,* etc.;[48] ita, inquit, certo certius ac firmissime scio posse te praecipere morbo ut abscedat, sanitati ut veniat, servo meo ut statim sanus surgat, sicut ego servis meis praecipio huic ut vadat, alii ut

38) Ps 42, 3. 39) Ps 66, 2; 118, 135. 40) Quae in sequenti numero continentur, clariori atramento exarata sunt. 41) Gn 15, 6; Rom 4, 3; Gal 3, 6. 42) Vrr. 20-21. Vulg.: *In repromissione Dei,* etc. 43) Ibid. vr. 19. Vulg.: *Cum iam fere centum esset annorum,* etc. 44) Cf. Lc 1, 18. 45) Cf. Nm 20, 9-10. 46) Cf. Idc 6, 17-23. 47) Cf. 7, 3. 48) Mt 8, 8-9; Lc 7, 8.

veniat, alicui ut aliquid faciat. Quare sicut Abraham plenissime sciebat posse Deum omnia promissa praestare, ita centurio divinam Christi omnipotentiam agnoscebat. Tertio est concomitantia virtutum ab humilitate et modestia: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum;* a pietate erga Deum et dilectione erga proximos: *Diligit enim gentem nostram et synagogam ipse nobis aedificavit.*

III. ALIA HOMILIA

Non inveni tantam fidem in Israel. [1]

Ostenditur centurio vere christianus.

I. Ostenditur centurio hic homo excellenti fide praeditus, homo vere christianus imo exemplar et veluti forma archetypa verorum christianorum. Legimus in Sacris Litteris hominem conditum ad imaginem Dei; [2] sed christianus homo est ad imaginem Christi: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui.* [3]

Multae habentur in Scripturis imagines veri christiani,

sed pulcherrima est hodierna.

Reperimus in Scripturis Sanctis imagines Christi, imagines multas Ecclesiae, multas etiam imagines verorum christianorum. Horum fuere imagines animalia munda in arca Noe, [4] greges Iacob separati a gregibus Laban, [5] Israelitae in deserto post egressum ex Aegypto. [6] Imago hominis vere christiani fuit Abel gratus Deo, [7] Enoch totus Deo dicatus, [8] Sem et Iapheth pii erga patrem, [9] Isaac dilectus, [10] Iacob electus, [11] Moyses sumptus ex aquis, [12] David homo secundum cor Dei, [13] Naaman syrus in Iordane lepra divinitus mundatus. [14] In Novo etiam Testamento Magi Christi adoratores, [15] caecus ad aquas Siloe illuminatus [16] et alii; sed praecipue centurio hic hodie a Christo tantopere laudatus. In Veteri Testamento imagines christianorum erant etiam cherubim gloriae in Sancto Sanctorum, [17] Seraphim Deo astantes apud Isaiam, [18] animalia currum Dei trahentia apud Ezechielem, [19] Rechabitae a Deo laudati apud

1) Mt 8, 10. 2) Cf. Gn 1, 27. 3) Rom 8, 29. Vulg.: *Imaginis.* 4) Cf. Gn 7, 8. 5) Cf. ibid. 30, 35-42. 6) Cf. Nm 2, 1 sqq. 7) Cf. Gn 4, 4-5. 8) Cf. ibid. 5, 21-24. 9) Cf. ibid. 9, 22-27. 10) Cf. ibid. 21, 2-10. 11) Cf. ibid. 25, 23-25; Mal 1, 2; Rom 9, 13. 12) Cf. Ex 2, 2-9. 13) Cf. 1 Rg 13, 14. 14) Cf. 4 Rg 5, 1-15. 15) Cf. Mt 2, 1-12. 16) Cf. Io 9, 1-38. 17) Cf. Ex 37, 7-9. 18) Cf. 6, 1-3. 19) Cf. 1, 4-21.

Ieremiam,[20] Nazaraei secundum legem.[21] Sed libet hodiernam hanc imaginem tantummodo contemplari.

II. Tria nobis videnda sunt. Primum est veritas hominis christiani, secundum eius dignitas et meritum, tertium ipsius tandem gloria et praemium. Veritas cuiuscumque rei consistit in forma, quae dat esse rei; a formis enim distinguuntur plantae, animalia, homines, lapides ipsi et metalla. Sic forma plantae est vita, forma animalis sensus, forma hominis anima rationalis. Sic in moralibus forma hominis nobilis est honor, sive honoris professio; forma principis dignitas cum auctoritate imperandi. Ita plane videndum quaenam sit forma hominis vere christiani.

Ostenditur hodie quaenam sit forma christiani.

Forma ab operationibus cognoscitur, nam principium est omnium operationum. Forma hominis non est anima tantum vegetativa, quia habet operationes etiam sensitivas; nec tantum sensitiva, quia habet operationes etiam rationales, in qua continentur vegetativa et sensitiva, ut ille ait, sicut trigonum in tetragono.[22]

Forma ab operationibus cognoscitur:

Potest definiri homo vere christianus ut dicatur homo secundum cor Dei, sicut de David dictum est, aut *vere israelita in quo dolus non est,* sicut Christus de Nathanaele dixit,[23] aut *vas electionis,*[24] sicut de Paulo. Potest dici verus adorator, adorans Patrem in spiritu et veritate,[25] aut homo novus, *qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis.*[26]

Sed in hodierno Evangelio fides videtur poni tanquam vera forma hominis christiani, nam fidem Christus laudat. At vero videmus in centurione multa opera quae non sunt fidei; videmus opus religionis, dum orat Christumque magna cum pietate et humilitate adorat; opus caritatis erga servum itemque erga gentem iudaeam: *Diligit gentem nostram;* opus item eximiae religionis et pietatis, dum in honorem Dei synagogam Iudaeis aedificat, sicut aiunt legati ipsius: *Synagogam ipse aedificavit nobis.*[27] Haec autem opera sunt non fidei, nisi vivae, *quae per caritatem operatur,*[27a] vel potius religionis, quae et fidem et spem et caritatem in Deum complectitur,

hodie fides ponitur ut forma veri christiani,

20) Cf. 35, 1 sqq. 21) Cf. Nm 6, 2-21. 22) Aristoteles *De Anima*, lib. 2, textus 30-31. Apud S. Thomam *Sum. Theol.*, 1, 1, q. 76, a. 3, c. 23) Io 1, 47. 24) Act 9, 15. 25) Cf. Io 4, 23. 26) Eph 4, 24. 27) Lc 7, 5. 27a) Gal 5, 6.

quare vera religio in spiritu et veritate adorat. Sic Magi, qui primi fuerunt Christi cultores, primogeniti christianorum, summa cum religione Christum adorarunt;[28] sic caecus illuminatus: *Credo, Domine. Et procidens adoravit eum.*[29]

idest vera religio ex fide, spe et caritate in Deum.

Verus igitur christianus homo est vera religione praeditus. Forma hominis vere christiani vera religio est ex fide, spe et caritate in Deum. Talis plane ostenditur hodiernus iste centurio, homo valde religiosus et pius, unde a Domino Israelitis praefertur, qui soli tunc veram religionem habere videbantur.

Nec solum vera religione, sed perfecta praeditus ostenditur. Perfecta autem religio hominem reddit mirabilis virtutis et sanctitatis, hinc *audiens miratus est et... dixit*: *Non inveni tantam fidem in Israel.*[30] Hinc comparat eum sanctissimis Patriarchis Abrahamo, Isaac et Iacob, qui religiosissimi sanctissimique fuerunt, ita ut Deus dictus sit eorum Deus.[31]

Imago veri christiani ostenditur in centurione.

Ut autem sciamus quod omnis homo potest esse, opitulante Deo, verus perfectusque christianus, ostenditur hodie imago perfecti christiani in homine mundano, saeculari, milite ac militum duce, qualis etiam fuit David, non in propheta aliquo, puta Moyse aut Elia, non in eremita, qualis fuit Ioannes Baptista. Videmus autem in hoc homine opera verae religionis et internae et externae, qua Christum adorat et in honorem Dei synagogam aedificat. Sicut enim vera fides et Deum corde intrinsecus credit et ore extrinsecus confitetur, ita etiam vera religio intrinsecus Deum ex animo colit ex toto corde diligens et extrinsecus etiam honorat et laudat. Ita David religiosissimus voluit templum Domini aedificare,[32] ita Abraham Deo ubique altaria erigebat.[33] Cum enim Deus et corporis et animae conditor sit, et corpore et anima colendus est; sic bonus Centurio agit hodie, ita omnes veri bonique christiani.

Ponitur etiam dignitas et meritum boni christiani;

III. Verum non tantum veritas boni christiani ponitur in hodierno Evangelio, sed etiam dignitas meritumque: *Dignus est ut hoc illi praestes, diligit enim gentem nostram et synagogam ipse aedifi-*

28) Cf. Mt 2, 11. 29) Io 9, 38. 30) Mt 8, 10. 31) Cf. Ex 3, 6.
32) Cf. 1 Par 28, 1-2. 33) Cf. Gn 12, 7; 13, 18.

cavit nobis. Hinc Dominus non tantum pro voto satisfacit petitaque concedit, verum etiam virtutem etiam cum admiratione laudat. Magnum enim revera est meritum hominis vere christiani apud Deum, sicut etiam Dominus ostendit in chananaea dicens: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis;*[34] hinc Regius Vates ait: *Voluntatem timentium se faciet et deprecationem eorum exaudiet et salvos faciet eos,*[35] nam *beneplacitum est Domino super timentes eum et in eis qui sperant super,* etc.[36]

Tandem praemium ostenditur hominis vere christiani: *Venient et recumbent cum Abraham in regno caelorum.*[36a] Hinc, baptizato Domino, aperti sunt caeli,[37] hinc veri christiani dicti sunt filii Dei et heredes, *coheredes autem Christi,*[38] a qua tamen hereditate excluduntur mali christiani, qui fidem sine operibus habent: *Filii autem regni eicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium;*[39] filii autem regni dicuntur filii Ecclesiae, quibus promissa est hereditas regni caelestis, modo boni sint filii. Intelliguntur autem hic filii regni Iudaei, qui tunc temporis soli verum Dei cultum habebant; sed cum fidem haberent, opera habere noluerunt, unde etiam ipsam fidem amittere postea meruerunt. **tandem ostenditur praemium.**

IV. Ostenditur in hodierno Evangelio illustre miraculum, opus divinae in Christo potentiae et maiestatis, factum ad preces, ad intercessionem et merita centurionis, ob insignem in eo fidem. Unde lucet quanti apud Christum valeant merita et intercessiones Sanctorum. Nam propter merita et intercessionem sancti huius viri concessit Dominus salutem homini, qui iam iam erat moriturus, qui iam animam agebat. Ubi etiam ostenditur quod fide aliena potest homo [ad] salutem iuvari, sicut Dominus ad preces chananaeae curavit filiam,[40] ad preces Iairi suscitavit ipsius puellam,[41] ad preces Reguli suscitavit filium.[42] Sic Dominus ad preces Sanctorum multis peccatoribus dat gratiam salutis. **Ex hodierno Evangelio elucet quanti apud Deum valeat intercessio Sanctorum.**

In hodierno Evangelio circa miraculum hoc consideranda sunt

34) Mt 15, 28. 35) Ps 144, 19. 36) Ps 146, 11. 36a) Mt 8, 11. 37) Cf. Mt 3, 16; Mc 1, 10; Lc 3, 21. 38) Rom 8, 17. 39) Mt 8, 12. 40) Cf. ibid. 15, 22-28. 41) Cf. ibid. 9, 18-25; Mc 5, 22 sqq., Lc 8, 41 sqq. 42) Cf. Io 4, 46-53.

cum historia tum etiam mysterium iustificationis omnis peccatoris ex Dei misericordia ad preces et merita Sanctorum.

Deus a nobis requirit internam et externam pietatem.

V. Ostenditur[43] in centurione pietas interna in fide et caritate et externa religio, qua synagogam aedificavit. Ita enim revera requirit a nobis Deus et internam pietatem, ut ex toto corde eum diligamus et in spiritu et veritate adoremus, et externam in bonis operibus: *Videant opera vestra bona.*[44] Sic animalia Ezechielis erant sicut corbones ardentes et sicut aspectus lampadarum: intrinsecus calebant et extrinsecus splendebant.[45] Sic de Ioanne Baptista Dominus ait quod *erat lucerna ardens et lucens.*[46] Hinc legimus quod arca Dei deaurata erat intrinsecus et extrinsecus,[47] quod tabulae legis scriptae erant ex utraque parte.[48] Sic: *Astitit regina in vestitu deaurato,* sed *omnis gloria eius ab intus.*[49]

Sola virtus gratissima Deo est, nobis utilis

Magnis favoribus hodie Christus centurionem hunc affecit ornavitque solius virtutis ergo. Hinc manifestum est quod virtus Deo gratissima est ac propterea homini summae utilitatis, iucunditatis et honoris, qualis existimatur in mundo gratia et amicitia favorque intimus magnorum principum. Deus autem summus est princeps, Optimus Maximusque, sed qui non nisi virtute delectatur, ita ut qui maiori virtute sit praestantiorique donatus, is sit ei semper gratior intimiorque.

et facilis.

Praeter haec autem virtus est non usque adeo difficilis, hinc reperitur hodie et quidem perfecta, mirabilis omnique laude digna in homine saeculari et milite, sicut etiam in *Actis* legimus insignem pietatem Cornelii centurionis.[50]

43) Quae sequuntur, stylo latiori exarata sunt. 44) Mt 5, 16.
45) Cf. 1, 13. 46) Io 5, 35. 47) Cf. Ex 25, 11; 37, 1.
48) Cf. ibid. 32, 15. 49) Ps 44, 10-14. 50) Cf. 10, 1-2. Reliqua parte paginae et pagina sequenti alba relicta, transit ad Feriam Sextam post Cineres.

FERIA SEXTA POST DIEM CINERUM

Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos et orate pro persequentibus, etc. [1]

Christus ostenditur hodie divinus legislator.

I. Magna cum auctoritate et maiestate loquitur in hodierno Evangelio Dominus tanquam divinus legislator, nam ad hoc venit in mundum, ut novam divinissimamque legem ferret, sicut Moyses descendit de monte divino splendore refulgens cum tabulis legis.[2] Hinc in *Deuteronomio* Christus dictus est propheta similis Moysi;[3] hinc Isaias, de Messiae adventu vaticinatus, ait: *Docebit nos vias suas et ambulabimus in semitis eius, quia de Sion exibit lex et verbum Domini de Ierusalem;*[4] et alibi: *Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos.*[5] Talis in transfiguratione medius inter Moysen et Eliam solis fulgore curruscans declaratus fuit a Patre: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite;*[6] talis etiam a Ioanne in *Apocalypsi*, capite 10, demonstratur, ait enim: *Vidi Angelum fortem, descendentem de caelo, amictum nube et iris in capite eius et facies eius erat ut sol... et habebat in manu sua libellum apertum;*[7] quem quidem librum Ioannes, capite 14, appellat *Evangelium aeternum.*[8] Hic enim est liber sedentis supra thronum gloriae ad dexteram positus;[9] sicut etiam Moyses de Deo dixit: *In dextera eius ignea lex.*[10] Sic igitur Christus hodie tanquam legislator divinus loquitur divina cum auctoritate: *Ego autem dico vobis.*

Non solum autem legislator divinus ostenditur hodie Salvator,

1) Pericope huius diei Mt 5, 43-6, 1-4. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Ex 34, 29 sqq. 3) Cf. 18, 15-18. 4) 2, 3. 5) Ibid. 33, 22. 6) Mt 17, 5. 7) Vrr. 1-2. 8) Vr. 6. 9) Cf. ibid. 5, 1. 10) Dt 33, 2.

Ostenditur etiam ipsius legis divina perfectio,

verum etiam legis ipsius divina perfectio. Traditur hic evangelicae legis materia, quae in praeceptis consistit: *Diligite, benefacite, orate;* traditur finis, praemium, merces: *Ut sitis filii Patris vestri, qui in caelis est;*[11] traditur scopus: *Estote perfecti sicut et Pater vester caelestis perfectus est;*[12] traditur forma, quae in iustitia et sanctitate consistit: *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus ut videamini ab eis.*[13] Lex enim Christi adeo sancta est, ut non solum externam morum et operum sanctitatem a nobis requirat, verum etiam internam cordis, spiritus, animi, intentionis, cogitationum, desideriorum, affectuum, summam et puritatem et sanctitatem in oculis Dei, in secreto conscientiarum nostrarum, in occultis cordium penetralibus. Hinc ligios[14] suos vere sanctos efficit, ab ethnicis, a publicanis, ab hypocritis lato discrimine differentes. Ab ethnicis quidem ratione fidei, qua illi carent; a publicanis autem ratione operum bonorum, quibus illi destituti sunt; ab hypocritis vero ratione verae solidaeque virtutis et sanctitatis; hi enim cum speciem quidem pietatis habeant, virtutem tamen ipsius vere abnegant;[15] sepulcra dealbata,[16] lupi sub ovinis pellibus,[17] statuae foris deauratae intus ligneae. Hinc iubet hodiernum Evangelium ne simus sicut ethnici, sicut publicani, sicut hypocritae; sed vera solidaque sanctitate praediti, Deo quam similes.

requirit enim internam et externam sanctitatem;

Cum summa autem sanctitate coniunctam habet summam facilitatem. Hinc Dominus ait: *Tollite iugum meum super vos... et invenietis requiem animabus vestris, iugum enim meum suave est et onus meum leve.*[18] Hinc dicitur lex ignea, non lapidea; ignis autem elementum levissimum est; lex amoris et caritatis est.

est etiam servatu facilis.

II. R e g i u s V a t e s in *Psalmo 18* de lege Domini multa philosophatur: *Lex Domini immaculata, convertens animam, testimonium Domini fidele,* etc.,[19] hebraice: *lex Domini perfecta,* reducens sive *recreans animam;* sicut alibi aiebat: *Restitue animam meam a malignitate eorum.*[20] Perfecta est, inquit, lex Domini ad conver-

De lege Domini multa philosophatur R. Vates.

11) Mt 5, 45. 12) Ibid. vr. 48. 13) Ibid. 6, 1. 14) Vox inferioris latinitatis. Cf. Forcellini-De Vit *Glossarium,* in fine t. 6. 15) Cf. 2 Tim 3, 5. 16) Cf. Mt 23, 27. 17) Cf. ibid. 7, 15. 18) Ibid. 11, 29 sq. 19) Vr. 8. Vulg.: *Animas.* 20) Ps 34, 17.

tendam ad se tranquillandamque animam rationalem. Qua de causa? Quia, cum rationalis anima intellectu et voluntate constet, intellectus quidem veritatem quaerit doctrinaque clara et facili delectatur, voluntas vero honesta, utilia, dulcia sequitur. Lex autem Domini omnia haec abunde continet, nam quoad intellectum, *testimonium Domini fidele,* idest verax, certum, fide dignum, *sapientiam praestans parvulis; praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Quoad voluntatem vero, *timor Domini sanctus, aghios* sive *agnos, castus,* hebraice *purus, permanens in saeculum saeculi, iustitiae Domini rectae, laetificantes corda.* Quoad utrumque autem: *Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa, iachdau,* simul pariter, idest omnia et singula vera ei iusta sunt, *desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum et dulciora super mel et favum,*[21] sicut ille ait;

« Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci »;[22]

etenim servus tuus custodit ea, illuminatur, splendescit in eis, *in custodiendis illis retributio multa.*[23] Sic perfecta est ad perficiendum hominem.

Lex Christi perfectior est lege Moysi.

Hoc autem de lege Christi vaticinatus fuit. Nam lex Moysi, ut Paulus ait, neminem ad perfectum adduxit,[24] siquidem Moyses paedagogus fuit noster in Christo,[25] fidei et pietatis rudimenta tradidit ac prima elementa. Nam quoniam imperfecta erat lex Moysi, Christus in mundum veniens novam legem attulit, sicut creatus fuit sol quoniam prima lux diem agebat imperfectum. Hinc Christus *Sol iustitiae*[26] est appellatus. Lex autem a Salomone lux dicta est: *Lex lux et mandatum lucerna.*[27] Hinc Dominus ait: *Non veni solvere legem... sed adimplere,*[28] idest non veni ad destruendam, sed ad perficiendam legem; sic quae legi deerant ad perfectionem in multis praeceptis supplevit, ut in praeceptis de homicidio et adulterio fugiendis et aliis. Ita perfecit praeceptum dilectionis: *Audistis quia dictum est: diliges proximum tuum et odio habebis inimicum*

21) Ps 18, 8-11. 22) Horat. *De Arte Poetica,* vr. 343. 23) Ps 18, 12. 24) Cf. Hebr 7, 19. 25) Cf. Gal 3, 24. 26) Mal 4, 2. 27) Prv 6, 23. Affert ordine inverso. 28) Mt 5, 17.

tuum.[29] Loquitur de inimicis legalibus, de alienigenis, qui non erant de populo Dei.

Praeceptum diligendi inimicos non est supra humanas vires,

Sed quomodo facilis lex Christi, cum hoc praeceptum videatur impossibile, potius quam difficile, supra vires humanae naturae, supra virtutem? *Diligite inimicos vestros, benefacite, orate.* Aliquando Deus videtur difficilia praecipere ac impossibilia, sicut Moysi praecepit ut de petra aquam educeret,[30] sicut Christus languido in piscina: *Surge, tolle lectum tuum.*[31] Verum haec ipse praestat qui praecipit. Ezechieli mandavit: *Fili hominis, sta super pedes tuos.* Et statim, inquit, *ingressus est super me spiritus... et statuit me supra pedes meos.*[32] Ita per eumdem ait 18: *Facite vobis cor novum et spiritum novum;*[33] et per ipsummet ait 36: *Dabo vobis cor novum et spiritum novum ponam in medio vestri,*[34] sicut ab initio praecepit terrae ut germinaret herbas, ut produceret animalia, aquis ut pisces et aves procrearent.[35] Sed ipsemet qui praecepit praestitit, ipse *qui operatur omnia in omnibus;*[36] omnia etiam opera nostra operatur in nobis;[37] *Non est impossibile apud Deum omne verbum;*[38] *Omnia possum in eo qui me confortat.*[39] Sic ubi gratia Dei adest et Spiritus Sanctus, facilia sunt omnia praecepta Dei: *Iugum meum suave est et onus leve.*

gratia enim Dei adiuvat ut servetur.

Dat hodie Christus legem perfectae caritatis,

III. *Diligite inimicos vestros.* Datur in hodierno Evangelio lex perfectae caritatis, hinc ait: *Ut sitis filii Patris vestri,* similes: *Estote perfecti sicut et Pater vester caelestis perfectus est.* Lex evangelica a Iacobo Apostolo dicta est lex perfectae libertatis: *Qui autem perspexerit in legem perfectae libertatis;*[40] perfectam autem libertatem dicit perfectam sanctitatem, quae libertas perfecta et integra est ab omni servitute peccati; perfecta autem sanctitas consistit in perfecta observantia divinae legis; sed: *Plenitudo legis est dilectio.*[41]

Ego autem dico vobis: *Diligite, benefacite, orate.* Scribit hodie

29) Ibid. vr. 43. 30) Cf. Ex 17, 6; Nm 20, 7-8. 31) Io 5, 8. Vulg.: *Grabatum tuum.* Refert ex Mt 9, 6. 32) Ez 2, 1-2. Vulg.: *In me*, etc. 33) Vr. 31. 34) Vr. 26. 35) Cf. Gn 1, 20-25. 36) 1 Cor 12, 6. 37) Cf. Is 26, 12. 38) Lc 1, 37. 39) Phil 4, 13. 40) 1, 25. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Perfectam libertatis.*
41) Rom 13, 10.

Dominus legem suam in cordibus electorum suorum, sicut per I e r e m i a m de lege nova ait: *Dabo legem meam in visceribus eorum et in corde eorum scribam eam.*[42] Lex Domini ter scripta fuit: primo quidem a Deo in primis tabulis, quas Moyses fregit,[43] postea in secundis, quae in arca testamenti repositae fuerunt,[44] tandem a Iosue, transmisso Iordane, in terra promissionis, in monte Hebal, super altare lapideum, cuius lapides dicti sunt integri, *abanim scelamoth,*[45] *lapides*[46] *perfectionum.* Christi autem fideles a P e t r o dicti sunt lapides vivi.[47] Iosue autem etiam nomine retulit Christi salvatoris imaginem. Scriptura autem haec insigne opus fuit Iosue, ad designandum quod Christus Dominus noster insignis futurus erat conditor et scriptor divinae legis[48] in cordibus fidelium suorum. **quam scribit in corde electorum suorum.**

Miratus sum aliquando antiquas Dei leges. Dat legem Adamo in paradiso et nonnisi corporalia praecipit, ut edat de ligno vitae, ut non edat de ligno scientiae;[49] dat legem Noe et solum praecipit ne carnem edat cum sanguine;[50] dat legem Moysi et praecipit ne animalia immunda aut sanguinem Hebraei comedant,[51] ut carnalia sacrificia Deo offerant.[52] **Antiquae Dei leges carnales erant,**

Cum tamen Deus spiritus sit; rationalis anima ad imaginem Dei condita spiritus similiter sit, cur non spiritualem legem dedit? Dedit quidem spiritualem, sed sub mysterio spiritum legis operuit, sicut spiritum hominis sub carne. Christus autem adveniens divinus legislator, legem dedit spiritualem, sine mysteriorum velaminibus. *Lex spiritus vitae in Christo Iesu,* ait P a u l u s .[53] Hoc est comedere de ligno vitae, non autem de ligno scientiae boni et mali, legem sequi mentis et spiritus, non autem legem sensus atque membrorum; hoc est carnem cum sanguine non comedere, caritatis legem, non truculentae crudelitatis, servare trucesque feras carnivoras imitari, manus innoxias a sanguine servare: *Qui autem odit fratrem suum homicida est;*[54] iam occidit eum in corde suo. **haec autem spiritualis est.**

42) 31, 33. 43) Cf. Ex 31, 18; 32, 19. 44) Cf. ibid. 34, 1-28.
45) Ios 8, 31. 46) Ms.: *Lapidem.* 47) Cf. 1 Petr 2, 5. 48) Ms.: *Legibus.*
49) Cf. Gn 2, 16-17. 50) Cf. ibid. 9, 3-5. 51) Cf. Lv 3, 27; 11, 1 sqq.; 17, 12-13.
52) Cf. ibid. 1, 1 sqq. 53) Rom 8, 2. 54) 1 Io 3, 15.

Lex vetus permittebat, imo praecipiebat odisse inimicos,

IV. *Audistis quia dictum est antiquis: Diliges proximum tuum,* etc. Duo praecepta hic dantur: alterum quidem antiquae legis, quod est diligere proximum, diligere amicum; alterum vero novae legis evangelicae christianae, ut etiam inimicus diligatur et beneficiis afficiatur: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.* Loquitur hic Dominus non de privatis inimicis, sed de publicis atque legalibus, sicut ipsemet declaravit: *Si diligitis... fratres vestros tantum,*[55] nam Iudaei omnes fratres dicebantur. Lex autem Moysi Iudaeis data praecipiebat diligere proximum, idest iudaeum fratrem, qui vel erat vel esse debebat amicus tanquam Iudaeus, membrum eiusdem corporis; exteros autem Chananaeos, non tantum odisse, verum etiam hostili animo delere omnino praecipiebat.[56]

Christus vero praecipit omnino inimicos diligere;

Christus autem nullum penitus hominem odisse permittit aut privata auctoritate delere, sed declaravit in parabola Samaritani omnem hominem proximum esse.[57] Privata autem odia nec lex Moysis permittebat. Legimus enim: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo,*[58] et: *Si occurreris bovi inimici tui aut asino erranti, reduc eum,* et *si videris asinum odientis te* [*iacere*] *sub onere, non praeteribis, sed sublevabis eum cum eo.*[59] At per legem non omnis homo proximus erat, verum tantummodo Iudaeus; per Evangelium autem omnis homo proximus est. Omnes debemus diligere, pro omnibus orare, salutem omnium desiderare, ut salutem consequantur aeternam cum electis Dei in caelo.

quod etiam Sancti Antiqui Testamenti egerunt,

Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros. Non est praeceptum servatu impossibile. Nam sub Evangelio servatum est a Stephano, qui pro lapidantibus oravit;[60] servata lex dilectionis a Paulo, qui cupiebat anathema esse, idest mortem obire, pro salute Iudaeorum,[61] a quibus passus fuerat gravissimas persecutiones. Sub lege etiam ante Evangelium servata a Davide,[62] a Samuele;[63] ante legem etiam a Ioseph,[64] a Iacobo erga Esau,[65] ab Isaac erga Abimelech regem Philisthaeorum,[66] Iob etiam hanc servavit legem, ait enim 31: *Si gavisus sum ad ruinam eius, qui me oderat, et exultavi*

55) Mt 5, 46-47.
56) Cf. Lv 18, 24; Nm 25, 17 sq.; 33, 51 sqq.; Dt 25, 17 sqq.
57) Cf. Lc 10, 30-37.
58) Lv 19, 17.
59) Ex 23, 4-5. Vulg.: *Non pertransibis, sed sublevabis,* etc.
60) Cf. Act 7, 57 sqq.
61) Cf. Rom 9, 3.
62) Cf. 2 Rg 16, 5-10.
63) Cf. 1 Rg 12, 23.
64) Cf. Gn 45, 1-15.
65) Cf. ibid. 33, 1 sqq.
66) Cf. ibid. 26, 8-17.

quod invenisset eum malum.[67] Salomon ait *Proverbiis* 25: *Si esurit inimicus tuus, ciba illum.*[68] Vindicta autem de inimicis sumpta perpetuo magnum cordi scrupulum ingerit; quare hac ratione prudens Abigail avertit Davidem ne se ulcisceretur de Nabal, neque illatam iniuriam retaliaret, sed cogitaret quod stulte ille egisset.[69]

idemque etiam ethnici sapientes egerunt

Socrates apud Platonem in *Gorgia* ait longe turpius esse facere quam pati iniuriam et optare se potius pati iniuriam quam facere;[70] quod etiam praestitit, ut de eo Basilius refert Homilia 24 *ad Adolescentes*, quomodo ex doctrinis Gentilium proficiant; nam cum ab impudente quodam colaphum in facie accepisset, non restitit, sed ultro caedendum se obtulit.[71] Idem etiam Socrates in Platonis *Critone* docet nullo modo iniuriandum esse nec ulciscendam iniuriam, ut vulgus putat.[72] Marcus Tullius in *Oratione pro Quinto Ligario*[73] et in *Oratione pro Marco Marcello*[74] Caesarem a clementia quam maxime laudat, quod suas non ulciscebatur iniurias. Augustinus libro 3 *De Civitate Dei*, capite 30,[75] et in epistolis[76] hanc laudat Ciceronis sententiam. Quare divina haec lex conformis est rationi naturali, nam et Plutarchus philosophus libellum elegantissimum scripsit *De Utilitate Capienda ex Inimicis*[77] et Seneca in libro *De Patientia* multa praeclare docet de tolerantia iniuriarum.[78] Conformis etiam naturali legi: *Quaecumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis.*[79] Nemo enim est qui velit odio haberi, qui velit laedi, qui diligi nolit. Si ergo natura placet tibi ut ab inimico diligaris et beneficiis afficiaris, cum maxime in necessitate fueris constitutus, praesta etiam tu hoc ipsum inimico. Sic enim mirabili quodam arte ex inimico amicum reddes, odium in amorem, inimicitiam in amicitiam, malevolentiam convertes in benevolentiam, tenebras in lucem.

et docuerunt.

Praeceptum hoc est verum holocaustum,

Datur hodie a Domino lex holocausti. Iubet autem Dominus holocausti hostiam tum die tum nocte sacro igne cremari.[80] Cum Dominus de dilectione proximi locutus fuisset, ait quidam: *Bene, magister, in veritate dixisti, quia... diligere proximum sicut seipsum*

67) Vr. 29. 68) Vr. 21. Vulg.: *Si esurierit*, etc. 69) Cf. 1 Rg 25, 24-35. 70) Lib. 23, pag. 355. 71) P. G. 31, 575. 72) Lib. 28, pag. 483. 73) Nn. 1-2. 74) Per totum, praecipue nn. 1-4. 75) P. L. 41, 109. 76) Epist. 138, cp. 2, ibid. 33, 529. 77) Pag. 58-61. 78) Titulus: « *Quod in sapientibus non cadit iniuria* », pag. 355-362. 79) Mt 7, 12. 80) Cf. Lv 6, 9.

maius est omnibus holocautomatibus.[81] Crematur holocaustum in die dum diligitur amicus in Deo, in nocte autem dum diligitur inimicus propter Deum; sic columna Dei die ac nocte beneficia sua praestabat Hebraeis.[82]

quo probatur verus christianus.

Hodie Dominus tentat fideles suos sicut olim Deus tentavit Abrahamum praecipiens ut in holocaustum offerret filium suum Isaac, quo nihil carius habebat in mundo.[83] Hominibus huius saeculi nihil esse solet honore antiquius. Hic probandus homo christianus an Deum vere super omnia diligat, si propter Deum mundi honorem contemnens, inimico parcat et iniurias acceptas remittat ex animo: Nisi dimiseritis unusquisque de corde suo.[84]

Lex evangelica perfecta est, quia a Deo,

V. Evangelicae legis, ut summatim multa colligamus, tres sunt speciales conditiones: una est quod perfecta est, altera quod facilis est, tertia quod supra modum utilis est. Prima, inquam, quod perfecta est, quia a Deo est, *Dei* autem *perfecta sunt opera.*[85] Etiam lex Moysi a Deo fuit, sed tamen populus legem universam non a Deo, sed a Moyse accepit; hinc saepe in Divinis Litteris lex Moysi dicitur: *Legem mandavit* nobis *Moyses;*[86] *Mementote legis Moysi;*[87] *Lex per Moysen data est;*[88] *Nonne Moyses dedit vobis legem?*[89] Lex autem evangelica a Christo, vero Filio Dei veroque Deo et data et praedicata est, Christus autem tanto maior est Moyse, quanto Creator creatura, Deus homine.

quia continet praecepta spiritualia et aperta,

Perfecta quoad praecepta, non enim continet carnalia et figuralia praecepta, sed spiritualia apertaque: *Diligite, benefacite, orate;* data est ad perfectionem cordis, oris et manus. Lex Moysi manum principaliter instruebat, non animum; lex Christi principaliter animum, hinc a corde incipit: *Diligite.* Lex Moysi dicta est lex iustitiae,[90] lex autem Christi lex caritatis;[91] multo autem latius patet caritas quam iustitia. Nam iustitia quidem praecipit ut nemini fiat malum, nemo gravetur iniuria, ut unicuique detur quod suum est; caritas autem non solum nemini nocet, verum etiam omnibus pro viribus prodesse cupit corde, ore, opere: *Diligite, orate, benefacite.*

81) Mc 12, 32-33. 82) Cf. Ex 13, 21 sqq. 83) Cf. Gn 22, 1-12. 84) Cf. Mt 18, 35. 85) Dt 32, 4. 86) Eccli 24, 33. 87) Mal 4, 4. 88) Io 1, 17. 89) Ibid. 7, 19. 90) Cf. Rom 9, 35. 91) Cf. Ibid. 13, 10.

Iustitia necessaria est in defectu caritatis, nam ubi caritas regnat, omnis lex iustitiae supervacanea est: *Lex iusto non est posita, sed iniustis.*[92] Pater amantissimus ad regendam gubernandamque familiam suam non opus habet iustitiae legibus, quibus animus aut manus ipsius coerceatur ne familiae suae noceat aut iniuriam faciat; amor enim obesse nescit dilectis, sed tantum prodesse; ideo fidelibus suis Dominus legem dedit amoris et caritatis, quae *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.*[93] Ubi amor abest, ibi iustitia opus est, veluti cum inter fratres oritur dissensio, extincta est caritas, iusto iudice opus est pro divisione bonorum.

Perfecta etiam quoad sanctitatem, quae forma legis est; hinc enim dicimus leges iustas atque iniustas, sanctas et iniquas. Exigit nanque ab homine non solum externam, verum etiam internam sanctitatem, cor purum, animum candidum, sincerum, sanctum, intentionem in Deum rectam in operibus bonis. quia docet veram sanctitatem.

Tandem perfecta quoad finem et scopum; non enim promittit temporalem felicitatem, ut lex Moysi: Si volueritis et audieritis, bona terrae comedetis;[94] sed aeternam: *Ut sitis filii Patris vestri, qui in caelis est;* et quoad scopum: *Estote perfecti sicut et Pater vester caelestis perfectus est.* Etiam lex Moysi hunc scopum habere videbatur: *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester;*[95] sed cum Deum proponeret exemplar virtutum et sanctitatis, proponebat quidem exemplar perfectissimum, sed minime perspectum: *Deum nemo vidit unquam;*[96] Evangelium autem proponit Deum visibilem, humanatum, factum hominem. quia promittit praemia aeterna.

VI. Altera autem conditio, uti diximus, legis huius facilitas est: *Iugum suave et onus leve.* Lex Moysi, ut Petrus ait, onus erat grave et importabile.[97] Et quidem omnis lex homini iugum et onus est, cum homo sit libertatis amantissimus; sed tamen onus hoc homini leve est, sicut avibus onus pennarum. Multis autem grave onus videtur, maxime inimicorum dilectio; sed sicut homini quidem loqui Lex evangelica est etiam facilis.

92) 1 Tim 1, 9. 93) Rom 5, 5. 94) Cf. Lv 26, 1-13; Dt 11, 1 sqq.
95) Lv 11, 44-45; 19, 2. 96) Io 1, 18; 1 Io 4, 12. 97) Cf. Act 15, 10.

facillimum est, brutis autem impossibile vel difficillimum, nam psittacus edoctus pronunciat humanas voces, ita perfectae virtutis opus homini spirituali iucundum et suave est, homini autem carnali et animali iniucundum et impossibile videtur, cum tamen longe facilius sit remittere quam ulcisci iniurias, nam ad remissionem animus tantum accomodandus est; praeterea nihil requiritur, sed ad ultionem multis opus est, multa etiam sunt subeunda pericula.

et supramodum utilis,

Tandem supra modum utilis est: *Ut sitis filii Patris vestri, qui in caelis est,* idest Dei omnipotentis, Optimi Maximi. Haec merces est evangelicae legis, divina filiatio, quam et hereditas consequitur et paternus amor et paterna providentia. Bone Deus! quo maiori munere rex aliquem ex servis suis facinoris alicuius causa aut laboris pro rege suscepti remunerare posset, quam eum in filium adoptare et heredem suum constituere? *Qui solem suum oriri facit... et pluit.*[98] Haec sunt duo singularia instrumenta divinae providentiae in gubernatione mundi huius inferioris ad procreanda quae in terra et mari natura generantur. Quare Deus, qui in mundo causa universalis est bonorum omnium et omnium hominum Pater, Christi fidelium, qui divinam hanc legem servant, Pater est particularis et amantissimus, providentissimus.

eius observatio nos Deo similes efficit,

Et praeterea divinae huius legis observatio nos Deo similes efficit, ad cuius imaginem et similitudinem conditi sumus. Nam hoc etiam significat: *Ut sitis filii Patris vestri,* idest veri filii, veri imitatores, vere ei similes, sicut Paulus ait: *Imitatores Dei estote sicut filii carissimi et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos.*[99] Sic nos divina haec lex veluti deificat, dum filios Dei efficit.

Proponit enim nobis ipsam perfectionem Dei ad imitandam,

Quod olim Deus ab Abrahamo requisivit dicens: *Ambula coram me et esto perfectus,*[100] hoc a nobis hodie requirit Dominus dicens: *Estote perfecti sicut et Pater vester caelestis perfectus est;* nam et de Noe legimus, quod *vir* fuit *iustus atque perfectus.*[101] Cum autem Dei omnipotentis perfectio tanquam exemplar proponatur nobis ad imitandum, rationi consentaneum videretur ut pro virili nostra ex Sacris Litteris nonnihil de divina perfectione dice-

98) Mt 5, 45. 99) Eph 5, 1-2. 100) Gn 17, 1. 101) Ibid. 6, 9.

remus. Sed scitum est Deum esse infinitum thesaurum omnis perfectionis, cum sit infinitae potentiae, sapientiae et bonitatis. Sed non loquitur Christus de perfectione Dei in genere, sed de perfectione sanctitatis, alludens ad illud quod in *Levitico* Deus ipse dixit: *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester;* loquitur de perfectione pietatis et clementiae, hinc Lucas habet: *Estote misericordes, sicut et Pater vester caelestis misericors est;* de perfectione caritatis, nam: *Deus caritas est;*[102] *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei;*[103] hanc ut imitemur proponit, hinc ait: *Diligite inimicos vestros... ut sitis filii Patris vestri, qui in caelis est, qui solem suum,* etc., idest qui diligit et beneficiis afficit in mundo tum bonos tum malos, tum iustos tum iniustos, tum fideles tum infideles. Deum igitur statuit exemplar et ideam perfectissimae caritatis.

Quoniam ergo ad imaginem et similitudinem Dei conditi sumus, requirit ut Deum imitemur, sicut et Paulus: *Imitatores Dei estote sicut filii carissimi et ambulate in dilectione,* nam in caritate vult Christus ut Deum quam maxime imitemur. Est autem divina caritas sicut fluvius, qui de paradiso egrediebatur in quattuor capita divisus ad irrigandam terram,[104] maxime vero infidelium, qui inimici fuerunt divinae Religionis, quales fuerunt Aethiopes, Madianitae, Assyrii, Babylonii. Sic ait hodie quod *solem suum oriri facit,* etc.

ad cuius similitudinem conditi sumus.

Requirit a nobis Dominus caritatem, sed perfectam, sed divinae caritati similem. Hinc ait: *Diligite... ut sitis filii Patris vestri, qui in caelis est,* et: *Estote perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est,* utique in caritate, pietate, misericordia erga omnes homines, bonos et malos.

Christus requirit a nobis perfectam caritatem.

102) 1 Io 4, 8. 16. 103) Tit 3, 4. Vulg.: *Benignitas et humanitas apparuit.*
104) Cf. Gn 2, 10-14.

ALIA HOMILIA [1]

Diliges proximum tuum. [2]

Agitur hodie de praecepto dilectionis fraternae,

I. Agitur in hodierno Evangelio de praecepto dilectionis. Cupit nos Dominus fraterna caritate vere praeditos esse. Cum autem de caritate in Divinis Litteris multa dicantur, nunc quidem de eius exemplari: *Deus caritas est,* etc.; [3] nunc de ipsius origine: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum,* etc.; [4] nunc [de] ipsius virtute et potentia: *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio, lampades eius,* etc.; [5] *Quis nos separabit a caritate Christi?* [6] nunc de ornatu et comitatu ipsius, hanc enim veluti reginam comitantur omnes virtutes: *Caritas patiens est, benigna est;* [7] hinc etiam: *Plenitudo legis est dilectio;* [8] nunc de ipsius excellentia: *Nunc autem manent fides, spes, caritas; maior autem horum est caritas,* [9] hinc etiam dicitur *finis praecepti, ex corde puro et conscientia bona,* [10] nam finis habet rationem optimi; nunc de ipsius necessitate nam: *Si linguis hominum loquar et Angelorum... si habuero prophetiam... omnem scientiam... omnem fidem,* etc.; [11] tandem de ipsius utilitate: *Faciens misericordiam in millibus his qui diligunt me;* [12] *Qui diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent;* [13] in hodierno Evangelio agitur de necessitate et de utilitate ipsius. De necessitate, quoniam praeceptum Domini est: *Ego autem dico vobis: Diligite,* [14] et quoniam sine ea non potest consequi mercedem gloriae caelestis: *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* [15] Utilitas autem ipsius a Domino proponitur cum ait: *Ut sitis filii Patris vestri, qui in caelis est;* [16] *Quod si filii, et heredes,* [17] utique regni caelestis totiusque hereditatis divinae.

specialiter vero de eius necessitate et utilitate.

II. Sicut autem ad custodiendam viam ligni vitae, ne ad illud posset homo post peccatum accedere ut perpetuo viveret, posita fue-

1) Mutatur stylus in latiorem. 2) Mt 5, 43. 3) 1 Io 4, 8. 16. 4) Rom 5, 5. 5) Ct 8, 6. 6) Rom 8, 35. 7) 1 Cor 13, 4. 8) Rom 13, 10. 9) 1 Cor 13, 13. 10) 1 Tim 1, 5. 11) 1 Cor 13, 1-2. 12) Ex 20, 6. Vulg.: *In millia.* 13) Idc 5, 31. 14) Mt 5, 44. 15) Ibid. vr. 46. 16) Ibid. vr. 45. 17) Rom 8, 17.

re Cherubim, flamma ignis et gladius versatilis,[18] ita ad impediendum iter salutis per viam caritatis, quam Paulus viam excellentiorem appellavit,[19] tria posita sunt a satana obstacula: primum est corruptum rationis iudicium; ubi tantum videtur esse scientiae plenitudo; secundum est cupiditas honoris mundani; tertium ira humani cordis et impotentia animi. Tria enim haec in homine, rationalis, concupiscibilis et irascibilis, saepe contra virtutem militant, maxime in hoc praecepto dilectionis inimicorum. Dominus autem in hodierno Evangelio contra tria haec odii fundamenta statuit tria fundamenta caritatis: primum est rationis, nam rationibus persuadet Dominus hodie hanc dilectionem; secundum cupiditas mercedis: *Quam mercedem habebitis;* merces autem est: *Ut sitis filii Patris vestri, qui in caelis est;* tertium excitatio indignationis in animo, ut pudeat nos velle similes esse ethnicis.

Tres rationes proponit nobis Christus ad servandum hoc praeceptum.

Ego[20] *autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.* Ostendit se Dominus in hodierno Evangelio divinum legislatorem datque praecepta christianae perfectionis. Dederat Moyses, divina auctoritate fultus, legem bonam quidem, iustam, sanctam, sed non undequaque perfectam, nam, ut Paulus ait: *Lex paedagogus noster fuit in Christo.*[21] Paedagogus autem prima tantum elementa ac rudimenta docet humanarum litterarum, non perfectam scientiam, philosophiam, theologiam; licet qui paedagogum agit possit esse homo undequaque doctissimus, non potest tamen docere et tradere perfectam scientiam et disciplinam, quia non sunt capaces pueri quos docet; sufficit ut bonus perfectusque sit paedagogus. Ita plane lex, ita legislator Moyses praebuit tantummodo prima veluti elementa fidei, religionis et virtutis, quibus Hebraeos in officio contineret.

Hodie Christus legislatorem agit

Venit post Moysen Christus tanquam perfectus absolutusque omnis scientiae et disciplinae magister, et tradidit perfectam absolutamque doctrinam. Sicut autem doctor scientiarum non destruit, sed perficit doctrinam paedagogi, ita Christus ait: *Non veni legem solvere, sed adimplere,*[22] idest perficere, ita ut multo maiorem perfectionem requirat a christianis, quam requisierit Moyses ab He-

et perfectum magistrum perfectae doctrinae.

18) Cf. Gn 3, 24. 19) Cf. 1 Cor 12, 31. 20) Stylo strictiori. 21) Gal 3, 24.
22) Mt 5, 17.

braeis. Hinc ait: *Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum;*[23] *nisi abundaverit,* idest maior fuerit *iustitia vestra,* idest legis divinae observatio, haec enim in Sacris Litteris iudicium et iustitia appellatur,[24] *plus quam scribarum et Pharisaeorum,* qui legis mosaicae vigilantissimi[25] erant observatores, *non intrabitis in regnum caelorum,* non poteritis salvari. Hinc sequitur: *Audistis quia dictum est antiquis: Non occides, qui autem occiderit reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo:*[26] prohibet omnem immoderatam iram animi. Itemque: *Audistis quia dictum est...: Non moechaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam,* etc.; item: *Audistis quia dictum est antiquis: Non periurabis, reddes autem Domino iuramenta tua* - alludit ad illud: *Non assumes nomen Dei tui in vanum.*[27] - *Ego autem dico vobis, non iurare omnino.*[28] Ita sequitur: *Audistis quia dictum est antiquis*: *Diliges proximum tuum et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.*[29] Requirebat lex caritatem ab Hebraeis, sed coarctatam erga amicum tantummodo: *Diliges proximum tuum,* idest *amicum tuum.*[30] Amicus autem dicitur non solum qui est, verum etiam qui esse debet. Videtur lex *Exodi* 23 praecipere dilectionem inimici,[31] sed qui eo loco inimicus dicitur, *Deuteronomii* 22 frater appellatur,[32] quare caritatem ad Hebraeos tantum extendebat. Christus autem ad omnes, etiam infideles, etiam legales inimicos, quos lex praecipiebat omnino delere et perdere;[33] secundum legem proximus est tantum homo iudaeus, secundum Evangelium omnis homo, etiam inimicus et persecutor.

Lex vetus requirebat caritatem tantum erga amicos, Christus vero erga omnes.

Magnam a fidelibus suis virtutis perfectionem Christus hodie requirit: *Diligite inimicos vestros... ut sitis filii Patris,* idest imitatores Patris vestri; *Estote perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est.*[34] Sicut civitatem Ierusalem in altis montibus fundatam legimus[35] et sicut Dei ordinatione Salomon supra altum montem

quia magnam requirit a fidelibus suis perfectionem.

23) Ibid. vr. 20. 24) Cf. Ps 18, 10; 118, in plurimis vrr. 25) Ms.: *Vigilissimi.* 26) Mt 5, 21. 27) Ex 20, 7. 28) Mt 5, 27-28. 33-34. 29) Ibid. vr. 43. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg. In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, *antiquis* expunctum fuit. 30) Lv 19, 18. 31) Cf. vrr. 4-5. 32) Cf. vrr. 1-4. 33) Cf Nm 25, 17, sq.; 33, 51 sqq.; Dt 25, 17 sqq. 34) Mt 5, 48. 35) Cf. Ps 86, 1.

templum aedificavit,[36] ita Christus supra montem perfectionis fundavit Ecclesiam; hinc Isaias ait: *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium.*[37] Mons fuit perfectio legis naturalis, qua perfectus fuit Abel, Enoch, Noe, Abraham cum ceteris Patriarchis; mons perfectio legis mosaicae, qua Prophetae omnes perfecti fuere; sed perfectio evangelica, qua omnes Apostoli et apostolici viri perfecti extitere, mons est in vertice montium, supra omnem perfectionem legis naturalis et mosaicae; magna nanque est altitudo et sublimitas fidei, spei et caritatis christianae.

Ecclesia mystica domus Dei est, fideles Angeli esse debent

III. Agit hodie nobiscum Christus sicut egit Iacob cum filiis suis. Eos enim a Sichimis assumens divina ordinatione duxit in Bethel,[38] ubi Deum viderat, aperto caelo, scalamque caelestem, per quam Angeli ascendebant et descendebant, ubi Deus cum Angelis visus est habitare, hinc enim locus ille appellatus est *Bethel,* idest domus Dei.[39] In Sichimis filii Iacob dilexere amicos et odio habuere inimicos, vindicantes se de Sichimitis ob illatam iniuriam violationis Dinae;[40] illinc eos duxit in domum Dei supra montem, nam Christi Ecclesia domus Dei est, ut Paulus *ad Timotheum* ait,[41] sed supra montem est; fideles omnes angeli ascendentes per amorem Dei, descendentes per amorem proximi. Haec vita verorum fidelium est.

Difficile admodum videtur hoc praeceptum,

Est autem valde difficile excelsum montem conscendere; sed supra montem excelsum valde Apostoli a Christo ducti paradisum repererunt.[42] Valde difficile videtur servare hoc praeceptum, sed nonnisi in Bethel, supra montem, visa est scala caeli. Absque caritate vera, ut Paulus docet,[43] non est aditus ad salutem. Oritur autem difficultas ex tribus: ex depravata in nobis rationali, concupiscibili et irascibili. Ex depravata rationali, qua non cognoscimus vera bona et mala, aeterna, inquam, atque divina, sed tantum mundana et temporalia; ex depravata concupiscibili, qua non appetimus vera bona, et irascibili, qua non persequimur vera mala. Si intelligeremus quid est: *Ego autem dico vobis!* quid: *Ut sitis filii Dei!*

36) Cf. 1 Par 21, 18-26; 2 Par 3, 1. 37) 2, 2. 38) Cf. Gn 35, 1. 39) Cf. ibid. 28, 11-19. 40) Cf. ibid. 34, 1 sqq. 41) Cf. 1 Tim 3, 15. 42) Cf. Mt 17, 1-5; Mc 9, 1-6; Lc 9, 28-35. 43) Cf. 1 Cor 13, 1-3.

quid: *Si filii et heredes!* quid similes esse Deo: *Estote perfecti, sicut et Pater vester perfectus est!* non videretur nobis difficile, sicut nec sanctis difficile visum est, cum homines essent similes nobis, in utroque Testamento.

sed gratia Dei facile illud reddit.

Nam licet naturae utcumque difficile est, non tamen gratiae: *Omnia possum in eo qui me confortat;*[44] non caritati, nam *caritas patiens est,* ita ut omnia sufferat, omnia sustineat; *Patientia autem opus perfectum habet, ut sitis perfecti et integri in nullo deficientes.*[45] Sic enim caritas vinculum perfectionis est,[46] perfectissime nos iungens Deo: *Qui adhaeret Deo unus spiritus est*[47] cum eo, ita ut dicat: *Quis nos separabit a caritate Christi? Tribulatio?* etc.[48]

Vult Christus ut fideles uniti sint animis,

IV. Scriptum legimus quod salvus erit omnis qui inventus fuerit scriptus in libro vitae in Ierusalem,[49] nonnisi qui civis Ierusalem fuerit salvus esse poterit. Ierusalem autem pax intepretatur et Regius Vates ait: *Ierusalem, quae aedificatur ut civitas, cuius participatio,* idest societas, habitatio, *in idipsum,*[50] idest unitissima est, concors, unanimis; nam: *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una,*[51] hinc hebraice est: *coniuncta est,* sibi pariter concordissima est, summa fruitur unione animorum. Quisquis salvari voluerit necesse est ut civitatis huius, quae civitas Dei est, sit conscriptus. Sic in Bethel ascendendum est, ubi domus Dei est et porta scalaque caeli.

et Deo similes in caritate.

In Veteri Testamento soli Abrahamo dictum legimus: *Ambula coram me et esto perfectus;*[52] in Novo autem dicitur omnibus: *Estote perfecti sicut Pater vester caelestis perfectus est.*[53] Loquitur autem de similitudine, non de aequalitate. Rogavit Christus Patrem dicens: Rogo, Pater, *ut sint unum, sicut et nos unum sumus,*[54] sicut homo factus dicitur ad imaginem et similitudinem Dei, sicut luna soli est similis. *Deus caritas est,*[55] hoc exigit a nobis ut caritate quam maxime praediti simus. Non requirit a nobis Dominus ut perfecti simus, sicut Deus in potentia aut sapientia, in maiestate aut magnitudine, nam quia hoc appetivit Lucifer, peccavit; sed in bonitate,

44) Phil 4, 13. 45) Iac 1, 4. 46) Cf. Col 3, 14. 47) 1 Cor 6, 17. 48) Rom 8, 35. 49) Cf. Is 4, 3. 50) Ps 121, 3. 51) Act 4, 32. 52) Gn 17, 1. 53) Mt 5, 48. 54) Io 17, 22. 55) 1 Io 4, 8. 16.

in caritate, hinc apud L u c a m legimus: *Estote misericordes, sicut Pater vester;*[56] hinc legimus: *Sancti eritis, quoniam sanctus ego sum Dominus Deus vester.*[57]

Perfecta virtus homini impossibilis non est,

Non esse impossibilem homini perfectionem virtutis, ut haeretici garriunt, manifestum est non solum ex divinis mandatis, cum Deus princeps sit clementissimus et pater amantissimus, non crudelis tyrannus, qui impossibilia mandat, ut Pharao Hebraeis.[58] Legimus autem primum et maximum praeceptum esse: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,*[59] idest perfecte; et quod ad Abraham dixit: *Ambula coram me et esto perfectus;* verum etiam de Noe manifestissime legimus, quod fuit iustus atque perfectus quodque cum Deo ambulavit.[60] Ezechias de seipso coram Deo ait: *Obsecro, Domine, memento quomodo ambulaverim coram te... in corde perfecto et quod iustum est in oculis tuis fecerim,*[61] probavitque Deus orationem ipsius. De David Deus ipse ait *3 Regum* 14: *Servus meus David custodivit mandata mea et secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo;*[62] et ipse de seipso ait: *In toto corde meo exquisivi te.*[63] Et de Iosia rege dicitur *4 Regum* 23, quod reversus sit *ad Dominum in toto corde suo et in tota anima sua et in universa virtute sua,*[64] ubi ponuntur omnia quae in praecepto dilectionis iussa sunt *Deuteronomii* 6. Sic etiam de Zacharia et Elisabeth ait L u c a s quod erant *ambo iusti ante Dominum, incedentes in omnibus... iustificationibus Domini sine querela.*[65] Et tamen praeceptum de dilectione privati inimici, si hebraeus erat, habetur etiam in lege Moysi *Exodi* 23[66] et *Deuteronomii* 22.[67]

ut patet in plurimis viris vere sanctis Antiquae Legis.

Dilectio erga inimicos appellatur misericordia Dei in S. Scriptura.

Opus dilectionis erga inimicos appellatur in Divinis Litteris misericordia Dei, sicut legimus 2 *Regum* 9 interrogasse Davidem, postquam regno potitus fuit, num remansisset aliquis de domo Saul, ut faceret cum eo misericordiam Dei, quod etiam praestitit, invento Miphiboseth filio Ionathae.[68] Hoc est quod ait hodie Dominus: *Ut sitis filii Patris vestri, qui in caelis est,* idest filii Dei Optimi Maximi,

56) 6, 36. 57) Lv 11, 44-45; 19, 2; 1 Petr 1, 16. 58) Cf. Ex 5, 5 sqq. 59) Dt 6, 5; Mt 22, 37; Mc 12, 30; Lc 10, 27. 60) Cf. Gn 6, 9. 61) Is 38, 3. Vulg.: *Quod bonum est in oculis*, etc. 62) Vr. 8. 63) Ps 118, 10. 64) Vr. 25. Vulg.: *In omni corde*, etc. 65) 1, 6. Vulg.: *Ante Deum*. 66) Cf. vrr. 4-5. 67) Cf. vrr. 1-4. 68) Cf. vrr. 1 sqq.

qui solem suum oriri facit super bonos et malos,[69] idest qui bene agit et amicis et inimicis suis.

Vult Dominus ut simus omnes cives Ierusalem illius, de qua dicitur: *Ierusalem quae aedificatur ut civitas, cuius participatio*, societas, *in idipsum*, summe unita est; *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una.* Diligit inter christianos animorum unionem, caritatem, pacem, concordiam, quoniam res optima est: *Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum. Bonum*, idest utile, *iucundum*, dulce, iucundum *sicut unguentum* suavissimum bonum et utile *sicut ros Hermon*, qui terram reddebat feracissimam, *quoniam illic mandavit Dominus benedictionem et vitam usque in saeculum.*[70] Nihil est homini aut esse potest utilius iucundiusque vera caritate.[71]

69) Mt 5, 45. 70) Ps 132, 1 sqq. 71) Folio albo relicto, invenitur inscriptio: *Sabbato post Cineres;* sed quattuor alia folia alba item relinquuntur et transit ad Dominicam sequentem.




Photo A. Piovesan - Patavii

Facsimile scripturae S. Laurentii magnitudine naturali

DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMAE

Ductus est Iesus in desertum a Spiritu ut tentaretur a diabolo. Et cum ieiunasset, etc. [1]

Adam peccando paradisum convertit in desertum miseriarum;

I. Qua de causa Christus ductus est in desertum ad ieiunandum, ad esuriem et famem sustinendam, Adam vero in paradisum deliciarum? [2] An forte Dominus Adam magis quam Christum diligebat? Sed quando dictum fuit Adamo in paradiso, quod Christo in Iordane: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi* bene *complacui*? [3] Nam si amor similitudinem sequitur, unde Adam vehementer amavit mulierem sibi similem, et parentes propterea filios quam maxime diligunt, fuit quidem Adam Deo similis, unde dicitur ad imaginem Dei conditus, [4] sed tamen non erat adeo similis, ut esset aequalis, eiusdem substantiae atque naturae; Christus non solum Deo similis est, unde *imago* dicitur *Dei,* [5] *splendor gloriae et figura substantiae eius,* [6] verum etiam aequalis eiusdemque naturae: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo.* [7] Adam servus et minister erat Dei, constitutus praefectus et procurator provinciae a summo imperatore; Christus autem unigenitus Filius Dei. Qua de causa igitur Adam, servus, ductus fuit in paradisum deliciarum, Christus autem, Filius Dei, in desertum miseriarum? Profecto quia Adam mundum hunc peccato suo ex paradiso in desertum convertit: *Maledicta terra in opere tuo... spinas et tribulos germinabit tibi;* [8] Christus autem venit ut desertum hoc iterum in paradisum converteret. Sic apud Isaiam legimus 32: *Erit de-*

Christus diabolum superando, desertum convertit in paradisum deliciarum;

1) Pericope huius diei Mt 4, 1-11. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Gn 2, 15. 3) Mt 3, 17. 4) Cf. Gn 1, 26-27. 5) 2 Cor 4, 4; Col 1, 15. 6) Hebr 1, 3. 7) Phil 2, 6. 8) Gn 3, 17-18.

sertum in Charmel et Charmel in saltum reputabitur;[9] et iterum 51: *Consolabitur Dominus Sion... et ponet desertum eius quasi delicias et solitudinem eius quasi hortum Domini.*[10] Sic per Christum conversum est desertum in paradisum spiritualium deliciarum. Hoc enim est quod in deserto pluit manna de caelo,[11] hinc hodie, *superata omni tentatione*[11a] *accesserunt Angeli et ministrabant ei.*[12] Adam victus a tentatore fecit ex paradiso desertum; Christus, victo tentatore, desertum in paradisum convertit, nam Paradisus Angelorum habitatio est; Adam peccando amisit sibi et nobis paradisum meruitque et acquisivit desertum tribulationum; Christus vincendo auctorem omnis peccati et destruendo peccatum, ieiunii praemia meruit et acquisivit nobis paradisum caelestium deliciarum: *Accesserunt Angeli.*

sic paradisus homini via fuit perditionis, desertum autem fit via salutis.

Ductus est in desertum, quia paradisus deliciarum homini via fuit perditionis opera maligni spiritus, hodie desertum a Spiritu Sancto via fit aeternae salutis. Sic enim populus Dei per desertum a Deo ductus fuit in felicissimam terram promissionis, ubi fame sitique vexatus, multas difficultates superavit. *Ductus est in desertum,* ut suo nos moveret exemplo: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius.*[13] Exempla nanque magnatum et principum populares quam maxime movent, exempla ducum et imperatorum milites urgent. Si rex ipse ad bellum pergit, omnes principes et proceres regni, nobiles ignobilesque sequuntur eum.

Habemus hodie opera Spiritus S. et spiritus maligni.

II. Habemus in hodierno Evangelio opera Spiritus Sancti in Christo, nam in baptismo *descendit Spiritus Sanctus sicut columba et mansit super eum.*[14] Habemus etiam opera spiritus maligni contra Christum. Prima Spiritus Sancti actio in Christo: *Ductus est in desertum a Spiritu;* L u c a s habet: *Agebatur a Spiritu in desertum;*[15] M a r c u s autem: *Expulit eum Spiritus in desertum,*[16] sicut ventus vehemens validissime navim in mari impellit. Spiritus Sanctus praefert desertum mundo, eligit, contempto mundo, deser-

9) Vr. 15. 10) Vr. 3. 11) Cf. Ex 16, 13-15. 11a) Lc 4, 13. Vulg.: *Consummata,* etc. 12) Mt 4, 11. Vulg.: *Angeli accesserunt,* etc. 13) 1 Petr 2, 21. 14) Lc 3, 22; Io 1, 32. 15) 4, 1. 16) 1, 12. Vulg.: *Spiritus expulit eum,* etc.

tum asperum, squalidum, solitudinem, quia *mundus totus in maligno positus est,*[17] quia regnum est satanae: *Venit princeps mundi huius;*[18] *Nunc princeps mundi huius eiicietur foras;*[19] quia *omne quod est in mundo,* etc.[20]

Quid est tentatio?

Accedens tentator dixit ei.[21] Tentatio haec hodierna videtur singulare certamen inter Christum et satanam, quale fuit inter Davidem et Goliam in valle terebinthi;[22] quare videndum est quidnam sit tentatio, qui tentatur et qualis sit tentator.

Est pugna satanae ad perdendum hominem.

Tentatio pugna est ad perdendum, ad occidendum, impugnatio virtutis est in animo hominis, inductio et persuasio est ad peccatum. Sic satanas hodie impugnat fidem et veritatem caelestis oraculi: *Hic est Filius meus dilectus;* spem etiam divinae providentiae: *Si Filius Dei es, dic,* etc.;[23] sic suasit Christum praecipitium: *Mitte te deorsum;*[24] sic idololatriam: *Si cadens adoraveris me.*[25] Sic Adam tentatione prostratus fuit et in peccatum velut impulsus cecidit:[26] *Impulsus eversus sum ut caderem et Dominus,* etc.[27]

Quis tentatur? Christus Filius Dei.

Qui autem tentatur Christus est, Filius Dei, caelesti oraculo in baptismo laudatus, Spiritu Sancto plenus et Paradisi, caelestis, inquam, regni, heres declaratus: *Hic est Filius meus dilectus, in quo,* etc. Satanas tunc vel maxime Iob acerrimis tentationibus adorsus fuit, cum eum a Deo magnis laudibus ornatum audivit: *Nunquid considerasti servum meum Iob, quod non sit ei similis?* etc.[28]

Satanas quam maxime tentat initio vitae spiritualis.

Videns Adam, patrem nostrum, in paradiso gloria et honore a Deo coronatum, invidia stimulatus, tentatione aggressus fuit. Sicut autem tentatus fuit Adam in paradiso paulo post quam eo divinitus adductus fuit, ita et Christus in deserto paulo post baptismum. Initio vitae spiritualis satanas vel maxime tentat. Populus Dei in deserto, paucis diebus postquam ex Aegypto egressus fuit et mare Rubrum pertransiit, satanae opera ad vitulum aureum adorandum impulsus fuit.[29] Sicut enim recens planta, quae nondum firmas radices egit in solo, facile evellitur, et novus miles a veterano facile superatur, ita accidit spiritualibus plantis et militibus. Pharao infantes Hebraeorum

17) 1 Io 5, 19. 18) Io 14, 30. 19) Ibid. 12, 31. Vulg.: *Huius mundi,* etc.
20) 1 Io 2, 16. 21) Mt 4, 3. 22) Cf. 1 Rg 17, 40-51. 23) Mt 4, 3.
24) Ibid. vr. 6. 25) Ibid. vr. 9. 26) Cf. Gn 3, 1-6. 27) Ps 117, 13.
28) Iob 1, 8. 29) Cf. Ex 32, 1-6.

necari mandavit[30] et Herodes Christum recens natum perdere voluit;[31] ita satanas novum Dei spiritum in nobis extinguere satagit.

cupiens nobis surripere thesauros gratiae et meritorum.

Hoc etiam in *Apocalypsi* indicatum nobis est. Nam stabat draco paratus, ut cum mulier sole amicta peperisset, filium eius subito devoraret;[32] sic etiam inimicus homo statim, seminato tritico, superseminavit zizania.[33] Tentatur Christus, Dei Filius, Spiritu Sancto plenus. Sicut enim piratae navibus onustis pretiosis mercibus, fures domibus divitum et latrones iter agentibus, quos multam pecuniam secum ferre norunt, maxime insidiantur, ita daemones thesaurum gratiae, virtutum et meritorum nobis surripere student.

Quis tentator? Diabolus, potentissimus,

Sed quis et qualis tentator? Diabolus, satanas, princeps tenebrarum, pater mendacii, qui magna tum potentia, tum arte nocendi pollet. Hinc in Divinis Litteris nunc leo, nunc serpens appellatur: serpens a Moyse,[34] leo a Petro: *Adversarius vester diabolus,* etc.;[35] hinc Paulus: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, contra spirituales nequitias.*[36] Daemones hostes nostros appellat *principes et potestates,* propter eorum naturales vires et potentiam; spirituales autem nequitias, propter astutiam et insidias, quibus magis nocent quam potentia: *Ipse conteret caput tuum et tu insidiaberis calcaneo.*[37] Videmus hodie potentiam, quia tulit Dominum et statuit supra templum iterumque adduxit eum supra montem excelsum;[38] insidias vero in tentationibus.

malignissimus,

Est autem hic tentator primo quidem malignissimus, perditionis nostrae avidissimus, propter acerrimum odium in Deum, qui de caelo pulsum in barathrum inferni deiecit.

audacissimus,

Est item audacissimus: noverat Christum Spiritu Sancto plenum, et tamen praesumpsit eum aggredi, sperans de eo victoriam, quam de Adam reportavit. Si Christum, qui gigas est fortissimus, adoriri et ad pugnam provocare praesumpsit, quem hominum formidabit?

sagacissimus,

Praeterea sagacissimus et perspicacissimus est ad penetranda quae latent in nobis; sic novit Christi esuriem.

Vigilantissimus item est et oculatissimus, ut nullam occasionem

30) Cf. ibid. 1, 15-16. 31) Cf. Mt 2, 16. 32) Cf. 12, 1-4. 33) Cf. Mt 13, 25. 34) Cf. Gn 3, 1. 35) 1 Petr 5, 8. 36) Eph 6, 12. Vulg.: *Spiritualia nequitiae.* 37) Gn 3, 15. Ex hebraico. 38) Cf. Mt 4, 5-8.

tentandi praetermittat; sic nactus occasionem esuriei, Christum ad tentandum aggressus est. oculatissimus,

Praeterea expertissimus et exercitatissimus est in arte tentandi; omnes novit modos, omnes vias et artes tentandi, ut miles veteranus strategemata, auceps, venator, piscator capiendi artes. expertissimus,

Est etiam omni armorum genere instructissimus; utitur hodie ad tentandum lapidibus, templo, Scripturis; utitur altitudine montis, utitur ostensione regnorum et gloriae mundi; innumera habet tentationum instrumenta. omnibus armis instructissimus,

Praeterea importunissimus est: tentat semel, iterum et tertio, pluribus in locis, in deserto, in templo, in monte; tentat variis modis, nunc territando, nunc persuadendo, nunc promittendo. Egit hodie cum Christo sicut Balac rex Moabitarum cum Balaamo, quem nunc quidem ad hunc, nunc ad illum ducebat locum, ut contra Dei iussa populo malediceret.[39] importunissimus,

Est etiam astutissimus; inermes nos cupit, arma nostra praeripere satagit, sicut olim Philisthaei diligentissime caverant ne Hebraei arma ad pugnandum haberent.[40] Sic hodie: *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Fidem caelestium oraculorum spemque divinae providentiae et sacrum ieiunium perdere prima tentatione voluit. astutissimus,

Tandem mendacissimus est, sed tamen artificiosissime componit mendacia sub veritatis pulcra et eleganti imagine: *Transfigurat se in angelum lucis.*[41] Hinc Christum ducit in templum, Scripturis utitur, omnia regna mundi falso promittit, quoniam, inquit, mea sunt omnia *et cui volo do illa.*[42] Sicut autem piscator pisces capere studet hamo sub esca abscondito, ita satanas mendaciis usus animas capere satagit. mendacissimus et artificiosissimus.

III. Multi satanae tentationes omnino ignorant, sed quia nec virtutis viam omnino norunt. Similes sunt avibus laqueo captis, sed quae detinentur esca, dum autem volare sursum volunt, tunc laqueum sentiunt. Pergant hi cum Christo in desertum, fugiant mundum, mortificare incipiant carnem, abstinere a voluptatibus, Deo Satanas non mundanos, sed spirituales tentat,

39) Cf. Nm 23, 1 sqq. 40) Cf. 1 Rg 13, 19. 41) 2 Cor 11, 14. 42) Lc 4, 6.

operam dare, et tunc dicant mihi an sentiant satanae tentamenta. Hodie Dominus armis spiritus pugnans vincit omnes salutis nostrae inimicos: mundum quidem in solitudinem fugiens, carnem vero ieiunio et inedia eam extenuans, satanam vero Divinarum Scripturarum veritate: *Scriptum est, scriptum est, scriptum est.*[43]

utitur autem operibus et armis mundi,

Impugnat virtutem mundus perversis consiliis, malis exemplis, pestilentibus irrisionibus, unde Regius Vates: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum et in via peccatorum non stetit,* etc., *sed in lege Domini voluntas eius,* etc.[44] Caro autem contra spiritum decertat vitiis et concupiscentiis, unde Paulus: *Qui autem sunt Christi, carnem suam,* etc.[45] Satanas vero pugnat usus opera carnis et mundi aliisque innumeris dolis et artibus in perniciem virtutis aeternamque damnationem nostram.

et nostris cupiditatibus.

Dic ut lapides isti. Lapidibus armatus Christum satanas aggressus fuit sicut olim David Goliam,[46] sed non successit. Tentator hic dictus fuit a Domino *fortis armatus,*[47] potens natura et arte, sicut Golias, sed pro armis utitur omnibus fere creaturis mundi, nostris etiam membris et cupiditatibus; *postea,* inquit, *esuriit.*[48] Esuries appetitus est.

Multis modis figuratur in Scripturis tentator iste.

IV. *Accedens tentator.* Multis modis in Divinis Litteris figuratus est tentator iste: nunc ut serpens in *Genesi,* nunc ut draco in *Apocalypsi,*[49] nunc ut leo apud Petrum; in Evangelio nunc ut avis comedens sementem,[50] nunc ut seminator zizaniorum,[51] nunc ut miles fortis et armatus, nunc ut cribrator.[52]

Tentavit Christum quaerens fidem, spem et caritatem evertere,

Sicut David Goliam lapide percussit in fronte eumque prostravit, ita satanas agere tentat cum Christo dum ait: *Si Filius Dei es.* Cum enim ex esurie Christum hominem existimaret, sed Spiritu Dei plenum, hac tentatione quaesivit fidem, spem et caritatem evertere: fidem caelestis oraculi, spem divinae providentiae, caritatem in Deum tanquam in amantissimum Patrem: *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti,* etc.

43) Mt 4, 4. 7. 10. 44) Ps 1, 1-2. 45) Gal 5, 24. 46) Cf. 1 Rg 17, 40. 47) Lc 11, 21. 48) Mt 4, 2. 49) Cf. 12, 3 sqq. 50) Cf. Mt 13, 4. 19; Mc 4, 4. 15; Lc 8, 5. 12. 51) Cf. Mt 13, 25. 52) Cf. Lc 22, 31.

Tulit eum *in sanctam civitatem et statuit eum,*[53] etc. Cum inimicus sit omnis pietatis omnisque virtutis, Christum ducit in templum, sed ut inde seipsum praecipitaret. Duxit eum ad extremam partem templi. Cum viderit homines impense ad pietatem propensos, addit calcaria ut supra vires pietati et cultui virtutis dent operam, sciens quod nullum violentum perpetuum. Extrema semper sequitur, sciens quod virtus consistit in medio.[54] Laban oves elegit extremorum colorum, vel totas albas vel totas nigras, Iacob autem oves diversicolores.[55] Ita Deus media quaerit, satanas extrema. Suadet hominibus nunc desperationem ex vehementi consideratione severitatis divinae iustitiae, nunc autem vanam praesumptionem ex nimia fiducia divinae misericordiae. Sic ducit supra pinnaculum templi, ad extremam partem, ut inde se homo praecipitem det.

Impellens nunc ad desperationem, nunc ad vanam praesumptionem.

Accedens tentator. Tentare aliquando est periculum facere, experiri velle ut aliquid certo certius cognoscatur; aliquando provocare ad iram, ut: *Non tentabis Dominum Deum tuum;* aliquando vero incitare ac sollicitare ad malum, animum ad peccandum irritare, persuasionibus commovere. Sic satanas tentat incitando ad peccatum, sollicitando ad malum. Tentat autem multis modis. Hinc dicitur seminator zizaniorum tentator hic, certator, venator, auceps, piscator, leo, serpens etc. Dicitur tentator veluti artifex, quia omnes novit rationes tentandi, omnia artificia, innumera instrumenta.

Tentat incitando ad malum.

Praecipue tamen in hodierno Evangelio diabolus et satanas appellatur,[56] ad indicandas causas quibus motus homines tentat et modos etiam quibus tentat. Diabolus idem est ac detractor, calumniator; satan autem adversarius, inimicus. Tentat odio motus et invidia, quoniam capitalis est inimicus Dei, humani generis acerrimus hostis, sic enim *invidia diaboli mors intravit in mundum;*[57] urit eum hoc: *Si Filius Dei es;*[58] *Hic est Filius meus dilectus.* Tentat autem mendaciis fretus, calumniando apud homines Deum et divina studiumque virtutis, sicut ab initio fecit, et sua tamquam meliora et utiliora hominibus proponendo: *Haec omnia tibi dabo;* sic promisit: *Eritis sicut dii.*[59]

Invidia et odio motus contra Deum et homines.

53) Mt 4, 5. 54) Notum effatum ex Aristotele *Ethicorum Nicom.*, lib. 2, cp. 9. 55) Cf. Gn 30, 32-35. 56) Cf. Mt 4, 5. 10. 57) Sap 2, 24. 58) Mt 4, 3. 6. 59) Gn 3, 5.

II. ALIA HOMILIA

Ductus est Iesus in desertum a Spiritu ut tentaretur a diabolo. [1]

Proponitur Christus imago perfecta vitae christianae.

I. Proponitur nobis in hodierno Evangelio christianae vitae pulcherrima imago, quam imitemur, nam vitae christianae exemplar perfectissimum et numeris omnibus absolutum Christus est: *Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est;* [2] *Exemplum dedi vobis;* [3] *Vobis relinquens exemplum;* [4] *Discite a me;* [5] *Conformes fieri imagini Filii sui.* [6] Proponitur autem tanquam navis in mari inter duas auras ventosque vehementes, quorum hic quidem secundus ad puppim, hic autem adversus contrarius ad proram. Sic videmus Christum hodie inter duos spiritus constitutum: inter Spiritum Sanctum et spiritum malignum tentatorem, satanam, diabolum: *Ductus est in desertum a Spiritu,* qui in columbae specie descendit super ipsum in Iordane dum baptizaretur a Ioanne; nam statim post baptismum contigit hoc quod nunc dicitur: *Ductus est,* nam ait: *Tunc Iesus ductus est in desertum a Spiritu.* Hic ventus optatus est, aura secunda. Sed ecce ventus contrarius navim hanc in medio maris impetit: *Ut tentaretur a diabolo; Accedens tentator;* [7] *Tunc assumpsit eum diabolus;* [8] sicut aurora est inter diem et noctem, lucem et tenebras.

Summa vitae christianae est Spiritui S. obedire,

Consistit autem totius vitae christianae summa in duobus: alterum est ut homo christianus Spiritui Sancto totum se regendum committat, nam: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam,* [9] sicut columna nubis et ignis, in qua erat Angelus Domini, ducebat populum in terram optatam: [10] *Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* [11] Sic Christus ductus est a Spiritu Sancto. Alterum vero ut resistat spiritui maligno, sicut Iacobus Apostolus ait: *Appropinquate Deo et appropinquabit vobis; resistite diabolo et fugiet a vobis;* [12] sic et Petrus: *Adversarius vester diabolus... cui re-*

et spiritui maligno resistere.

1) Mt 4, 1. 2) Ex 25, 40. 3) Io 13, 15. 4) 1 Petr 2, 21. 5) Mt 11, 29. 6) Rom 8, 29. Vulg.: *Imaginis.* 7) Mt 4, 3. 8) Ibid. vr. 5. 9) Ps 142, 10. 10) Cf. Ex 13, 21 sq. 11) Rom 8, 14. 12) 4, 7-8. Affert ordine inverso.

sistite fortes in fide,[13] et Paulus: *Sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.*[14] Sic habemus in hodierno Evangelio opera Spiritus Sancti procurantis salutem hominis, et opera spiritus maligni procurantis perditionem hominis baptizati, christiani.

II. Christus Dominus Spiritus Sancti opera fugit mundum, desertum petit, carnem macerat longo ieiunio, diabolum vincit. Hi enim tres sunt salutis nostrae hostes acerrimi et capitales inimici. Nam mundus, qui *totus in maligno positus est,*[15] Divini Spiritus virtutem impugnat pravis consiliis, malis exemplis et scandalis ac tandem pessimis derisionibus. Hinc Regius Vates ait: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum et in via peccatorum non stetit et in cathedra pestilentiae non sedit,* sive in habitatione irrisorum non habitavit, *sed in lege Domini voluntas eius et in lege eius meditabitur die ac nocte.*[16] A malis hominibus avocari nos ait, ne divinam legem, in qua salus nostra sita est, observemus, impiis consiliis, perversis moribus et pestiferis derisionibus.

Tres sunt inimici vitae christianae: mundus,

Caro etiam spiritui Dei inimicatur, nam: *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem;*[17] hinc: *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis;*[18] hinc: *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt;*[19] hinc: *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis.*[20]

caro,

Tandem inimicus salutis nostrae satanas est: *Inimicus homo hoc fecit.*[21]

satanas.

Spiritus autem Sanctus efficit in homine pio ut mundum contemnat et spernat. Hinc Christus hodie virtutis causa contemnit omnia regna mundi cum gloria eorum, quae satanas ei offerebat; hinc, relicto mundo, abit in desertum ibique commoratur, ut soli Deo vacet. Sic Spiritus Sancti opera totus pendet a divina providentia: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo;*[22] Deum reveretur ut patrem filius: *Non tentabis Dominum Deum tuum;*[23] Deum adorat et colit: *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli*

Spiritus S. avertit ab amore mundi, et impellit ad amorem Dei;

13) 1 Petr 5, 8-9. 14) Eph 6, 16. 15) 1 Io 5, 19. 16) Ps 1, 1-2. 17) Gal 5, 17. 18) Rom 8, 13. 19) Ibid. vr. 8. 20) Gal 5, 24. 21) Mt 13, 28. 22) Ibid. 4, 4. 23) Ibid. vr. 7.

servies.[24] Haec, inquam, sunt opera Spiritus Sancti in christiano; tota nanque spiritualis vita a Spiritu Sancto pendet omnino, sicut naturalis in homine ab anima, a qua pendent omnes sensuum et totius corporis operationes.

satanas, e contra, avocat a spiritualibus ad corporalia

Satanae autem opera sunt avocare homines a spiritualibus ad corporalia, iniiciens menti scrupulos in articulis et mysteriis fidei: *Si Filius Dei es, dic ut panes fiant lapides isti.*[25] Corporales necessitates semper ante oculos ponit, quasi Deus nulla tangeretur cura de nobis; divinae providentiae fidem cum primis impugnat. Deinde ad praecipitia hominem ducit: Tulit eum *et statuit supra pinnaculum templi et dixit ei... mitte te deorsum;*[26] suadet praecipitia et perniciosam praesumptionem de divina misericordia. Abducit hominem a deserto in civitatem, a solitudine ad mundanam conversationem, a Deo ad mundum, saepe sub specie pietatis, cum *se transfigurat in angelum lucis.*[27] Tandem satagit perducere hominem a religione et cultu Dei ad idololatriam: *Ostendit ei omnia regna mundi et gloriam eorum... Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.*[28]

et a cultu Dei avertit.

Omnia opera satanae uno verbo indicantur: tentator.

III. Sacer autem Evangelista uno verbo comprehendit omnia fere satanae opera, dum ait: *Ut tentaretur a diabolo; Et accedens tentator dixit.* Tentare autem est ad malum allicere, persuadere. Tentat autem dictis et factis, nam primo dixit ei: *Dic ut lapides isti panes fiant;* sed postea tulit eum in civitatem, statuit supra pinnaculum templi; tulit eum in montem excelsum *et ostendit ei omnia regna mundi et gloriam eorum.* Ad tentandum utitur quibuscumque instrumentis, utitur lapidibus, utitur regnis mundi et monte excelso, usus est templo, usus Divinis Scripturis.

Terribilis plane fuit hodierna tentatio,

Terribilis plane fuit hodierna tentatio, multiplex, varia, similis terrificae illi statuae, quam Nabuchodonosor rex vidit in somnis, quae mundana imperia et quattuor monarchias designabat.[29] In hoc differt, quod illa quattuor partibus constabat, haec autem tribus; illa dormienti praesentata, haec autem vigilanti. Sed sicut illa ad nihilum redacta fuit ad pedes percussa lapide, qui de monte excelso

24) Ibid. vr. 10. 25) Ibid. vr. 3. Vulg.: *Ut lapides isti panes fiant.* 26) Ibid. vrr. 5-6.
27) 2 Cor 11, 14. 28) Mt 4, 8-9. 29) Cf. Dn 2, 31-45.

sponte sua avulsus fuit, ita haec verbo Dei dissolvitur. Constabat statua illa multis partibus, variis partibus, ordinatis partibus; ita et hodierna tentatio: habet caput aureum: *Ostendit omnia regna mundi;* pectus argenteum: tentatio in templo cum testimonio sacri eloquii: *Eloquia Domini* autem *eloquia casta, argentum igne examinatum;*[30] habet et ventrem, dum tentat de panibus. Sed verbo Domini tentatio tota dissolvitur. sed verbo Domini tota dissolvitur.

IV. *Ductus est Iesus in desertum a Spiritu.* Omnis homo ab aliquo spiritu ducitur, vel a bono vel a malo spiritu. Sicut legimus de rege Saul, quod prius a spiritu Dei bono ducebatur,[31] postea vero reliquit eum spiritus Dei bonus et invasit eum spiritus malus, a quo agitabatur.[32] Regius Vates ait: *Spiritus tuus bonus deducet me;* hinc orabat: *Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me.*[33] Est autem Spiritus Sancti vis in homine magna et vehemens. Hinc ait quod *ductus est a Spiritu,* quod *expulit eum Spiritus,*[34] sicut ventus navim in mari, nam in die Pentecostes factus fuit *de caelo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis.*[35] Descendit autem in igne, cuius magna vis est ad agendum. Nobis autem satagendum est, fratres, ut videamus a quonam spiritu ducamur: *Qui Spiritu Dei aguntur, ii filii Dei sunt.* Quisquis ab aliquo spiritu ducitur, vel bono vel malo;

Sed quinam isti? Non qui secundum carnem vivunt, sed qui spiritu facta carnis mortificant,[36] ut secundum Deum in spiritu vivant. Spiritu Dei homo ducitur ut mundum fugiat, ut carnem maceret, ut diabolo resistet, ut soli Deo serviat, ut Deum in spiritu et veritate adoret,[37] ut vitam caelestem, angelicam ducat in terra, unde Paulus: *Nostra autem conversatio in caelis est.*[38] Spiritu autem satanae ducitur ad carnis opera, ad mundanam conversationem, ad praecipitia, ad cupiditates saecularium bonorum, ad idololatriam, ut principi mundi huius serviamus: *Si cadens adoraveris me.* Quoniam igitur a fructibus cognoscitur arbor et manifesta sunt opera tum carnis tum spiritus, ab effectibus causa quaerenda nobis est. a bono ducitur ad opera spiritus. a malo ad opera carnis et mundi.

30) Ps 11, 7. 31) Cf. 1 Rg 10, 9-10. 32) Cf. ibid. 16, 14. 33) Ps 50, 13.
34) Mc 1, 12. 35) Act 2, 2. 36) Cf. Rom 8, 13. 37) Cf. Io 4, 23-24. 38) Phil 3, 20.

Quisque a Deo habet spiritum bonum, a satana spiritum malum.

Et quidem nostra maximi refert ut sciat quisque a quonam spiritu ducatur, nam: *Qui spiritu Dei aguntur, ii filii Dei sunt; Si autem filii, et heredes;*[39] *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam,* sicut Angelus Domini in columna populum duxit in terram optatissimam. Hinc hodie ductus fuit Christus [in desertum], ubi, *superata omni tentatione, accesserunt Angeli et ministrabant ei.* Hinc Lazarus mendicus, bono Dei spiritu ductus, cum mortuus fuit, Angelorum manibus portatus in sinum Abrahae fuit,[40] iuxta promissum Domini: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te... in manibus portabunt te;*[41] sed epulo, spiritu malo ductus, quonam devenit? *Mortuus est dives et sepultus est in inferno.*[42] Dominus hodie inter Spiritum Sanctum et satanam - ductus *a Spiritu, ut tentaretur a diabolo* - praefiguratus fuit per Iesum sacerdotem magnum, cui, ut in Zacharia legimus, astabat satanas, ut adversaretur ei, et Angelus Domini ad defendendum eum.[43] Est etiam antiquissima traditio quod omnis homo Angelum habeat bonum a Deo in salutem et malum a diabolo in perditionem, ut habet Origines in *Levitico*, Homilia 10,[44] et libro *3 Periarcon*, capite 2;[45] Cassianus *Collationum* libri, collatione 8, capite 17,[46] et collatione 13, capite 12;[47] Beda ex *Actis Apostolorum* capite 12;[48] Gregorius Nyssenus in *Vita Moysi*,[49] quod etiam Hebraei agnoscunt, ut Rabbinus Moyses libro 3 *More*, capite 25.[50]

illum in salutem, istum in perditionem.

39) Rom 8, 17. 40) Cf. Lc 16, 20-23. 41) Ps 90, 11-12. 42) Lc 16, 22.
43) Cf. 3, 1. 44) *In Numeros*, hom. 20, (P. G. 12, 733-736). 45) Ibid. 11, 330-310.
46) P. L. 49, 750. 47) Ibid. col. 929. 48) Ibid. 92, 973. 49) P. G. 44, 338-342.
50) *More Nebuchim*, seu *Doctor Perplexorum*, in linguam latinam versus a Io. Buxtorfio fil. In capite a S. Auctore citato agitur de Voluntate et Sapientia Dei, de Angelis nihil dicitur. Sententia Rab. Moysi expresse invenitur in capite 24 eiusdem libri, *De tentatione*, pag. 408-409, et alibi etiam, v. g. ubi agit *De Natura Angelorum*, part. 1, cp. 49, pag. 73-75; item ubi *De Angelorum nomine, officio et influxu*, part. 2, cp. 6-7, pag. 199-204.

Reliqua pars paginae alba relinquitur. Quae autem sequuntur atramento clariori exarata sunt.

III. ALIA BREVIS HOMILIA

Ductus est Iesus in desertum a Spiritu ut tentaretur. [1]

I. Habemus in hodierno Evangelio vitam solitariam, eremiticam, monasticam; habemus quadragesimale ieiunium, habemus tentationum victoriam. In hac autem historia tria mihi consideranda occurrunt: factum ipsum, finis facti et mysterium. Factum est solitudo ex divino afflatu, nam: *Ductus est in desertum a Spiritu;* ieiunium quadragesimale: *Cum ieiunasset quadraginta diebus;* [2] victoria tentationum: *Superata omni tentatione;* [3] finis autem huius facti is esse videtur, ut divino cultui et orationi operam daret. Nam saepe alias ad orandum secedebat in desertum, [4] et ipse hodie ait satanae quod scriptum est: *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies;* [5] solitudo autem et ieiunium orationi et contemplationi divinae maxime conferunt. Considerantur factum, finis facti et mysterium.

Sed potissimus finis esse videtur, quoniam praedicaturus erat Evangelium, sicut mox, finita quadragesima, praedicare coepit dicens: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum.* [6] Ad hoc enim missus ipse fuit, sicut apud Isaiam, 61, legimus: *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me;* [7] et ipse: *Oportet me evangelizare.* [8] Christus in desertum secessit quia praedicaturus erat Evangelium.

Divus Paulus totius Evangelii summam paucis verbis expressit dicens, quod *apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, ut abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo.* [9] Praedicaturus Christus erat sobrietatem: prius ieiunavit; iustitiam, idest sanctitatem vitae omnemque innocentiam et puritatem: hanc prius in deserto coluit; praedicaturus pietatem erga Deum: hoc egit in deserto; praedicaturus fugam saecularium desideriorum omnisque impietatis sive improbitatis: hoc agit hodie fugiens mundum, abiens in desertum, renuens oblata mundi regna omnemque gloriam Ideo prius praedicat factis et postea verbis.

1) Mt 4, 1. 2) Ibid. vr. 2. 3) Lc 4, 13. Vulg.: *Consummata omni tentatione.* 4) Cf. Mt 14, 13; Mc 6, 31-32; Lc 5, 16; Io 11, 54. 5) Mt 4, 10. 6) Ibid. vr. 17. 7) Vr. 1. Affert ex Lc 4, 18. 8) Lc 4, 43. 9) Tit 2, 11-12.

eorum.[10] Sic, inquam, factis voluit prius Evangelium praedicare, postea verbis; sicut Ioannes Baptista factis potius quam verbis poenitentiam praedicavit, sic Elias,[11] sic Moyses, priusquam legem daret, quadraginta diebus ieiunans cum Deo conversatus fuit.[12] Hinc Lucas in *Actis* de Christo ait, quod *coepit Iesus facere et docere,*[13] ut animos hominum ad virtutem urgeret.

An ita novi evangelistae, Lutherus et Calvinus, Christi Evangelium praedicarint, ipsi viderint.

Ostenditur hodie Christus exemplar vitae christianae

II. Mysterium autem est, quod Christus in hodierno Evangelio hominem agit divino cultui dedicatum, archetypum, exemplar praestat veri servi Dei, hominis vere christiani, veri cultoris Dei. In vita et in actionibus eius elucent actiones et vita veri christiani, veri servi Dei, quem oportet divinis Spiritus Sancti motibus et internis inspirationibus afflatibusque obtemperare, mundum fugere, carnem mortificare, diabolo resistere, Deum ex animo colere, nunquam tentare, semper ab eius providentia pendere.

et institutor vitae monasticae.

Sed quoad fructum, instituit Dominus hodie vitam monasticam, eremiticam, solitariam, quam coluerat Ioannes, quam Elias, Eliseus et filii Prophetarum, quam postea multi viri sanctissimi pro viribus culturi erant: Paulus, Antonius, Hilarion, Macharius aliique innumeri, quam summis laudibus celebrarunt semper omnes Sancti Patres: Athanasius,[14] Basilius[15] Gregorius Nazianzenus,[16] Hieronymus,[17] Augustinus,[18] maxime vero Chrysostomus tribus integris libris.[19] Haeretici vero nostri temporis, sicut olim Ariani, quam maxime vituperant ac tanquam summam superstitionem damnant.[20]

Ieiunavit Christus ut nos idipsum faciamus,

Ieiunavit etiam Christus et facto ieiunium quadragesimale instituit, ut nos ipsius imitaremur actionem. Nam: *Exemplum dedi vobis ut,* etc.;[21] *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum,*

10) Cf. Mt 4, 8-10. 11) Cf. 3 Rg 19, 1 sqq. 12) Cf. Ex 24, 18; 34, 28. 13) 1, 1. 14) *Vita S. Antoni.* (P. G. 26, 907). 15) *Ascetica*, ibid. 31, 622-630; Epist. 22, ibid. 32, 291-294. 16) *Carmina Moralia*, ibid. 37, 783-784. 17) Epist. 2 - 3, (P. L. 22, 331-332); epist. 14, ibid. col. 347-355. 18) *De Vita eremitica ad sororem*, ibid. 32, 1451. 19) *Adversus Vitae Monasticae vituperatores*, lib. 1-3, (P. G. 47, 319-355). 20) Lutherus et Calvinus. Cf. S. Laurentius a Br. *Hypotyposis*, part. 1, pag. 278; S. Bellarminus *Controversiae*, t. 2, *De Monachis*, lib. 2, cp. 39, col. 434. 21) Io 13, 15.

etc.[22] Sic ab initio Sancti Apostoli per universam Ecclesiam quadragesimale ieiunium instituerunt.

contra haereticos ieiunium reprobantes.

Damnant autem nostri evangelistae hoc ieiunium tamquam superstitionem, propter determinatum numerum dierum; tanquam quid prohibitum, quoniam non mandatum, nam ipsis quaecumque mandata non sunt,[23] prohibita sunt; tamquam quid temerarium velle Christum imitari. Sed quoad primum, si superstitiosum illis est ieiunare quadraginta diebus, ieiunent quinquaginta, nemo opinor prohibebit. Si quia [non] expresse mandatum, non est servandum, ut quid diem dominicum servant? Et si temerarium est Christum imitari, cur Christus ait: *Estote perfecti sicut* etc.;[24] *Estote misericordes*, etc.,[25] et Paulus: *Imitatores Dei estote, sicut filii carissimi et ambulate*, etc.?[26]

Satanas tentator appellatur, quia incitat ad malum.

Tandem restitit Christus tentatori, idest incitatori ad malum, ad peccatum: *Mitte te deorsum; Si cadens adoraveris me*,[27] nam propterea satan tentator appellatur; qua ratione Deus intentator malorum dicitur,[28] cum alias tentasse legimus Abrahamum et alios;[29] ibi enim tentare est periculum facere, per antropopathiam, ut iusti virtus conspicua sit, sicut alibi tentare est provocare ad iram, sicut: *Non tentabis Dominum Deum tuum*.[30] Restitit Christus tentatori, sicut Petrus ait: *Cui resistite fortes in fide*.[31]

Sed novi evangelistae docent Deum nos urgere ac incitare ad malum, ad peccandum, ita ut sicut fidem in haeresim, religionem in atheismum, ita Deum in verum diabolum tentatorem malorum, imo etiam coactorem converterunt.[32] Haec divina eorum theologia est! Infernalis, diabolica.

In christiano tria considerantur:

III. *Ductus*[33] *est Iesus in desertum a Spiritu*. Cum Christus sit forma archetypa et exemplar primum omnium electorum, in hodierno Evangelio splendet veluti imago vivis coloribus divinitus de-

22) 1 Petr 2, 21. 23) Ita Lutherus et Calvinus. Cf. S. Laurentius a Br. op. cit., part. 1, pag. 227; S. Bellarminus op. cit., t. 4, *De Bonis Operibus*, lib. 2, cp. 3, col. 1074; cp. 6, col. 1081. 24) Mt 4, 48. 25) Lc 6, 36. 26) Eph 5, 2. 27) Mt 4, 6. 9. 28) Cf. Iac 1, 13. 29) Cf. Gn 22, 1; Ex 15, 25. 30) Dt 6, 16. 31) 1 Petr 5, 9. 32) Lutherus, Zuinglius et Calvinus. Cf. S. Laurentius a Br. op. cit., part. 1, pag. 225. 228; S. Bellarminus op. cit., t. 4, De *Amissione Gratiae*, lib. 3, cp. 3-4, col. 100-105. 33) Quae continentur in hoc fragmento alio stylo et calamo clariori exarata sunt.

dignitas, vita et finis.

picta hominis christiani. Ubi tria considero: primo quidem dignitatem hominis christiani: *Tunc ductus est; tunc*, post baptismum, ubi Christus declaratus fuit Filius Dei, heres paradisi, templum Spiritus Sancti; secundo vita hominis christiani: *Cum ieiunasset*, etc.; tertio finis hominis christiani: *Superata omni tentatione, accesserunt Angeli et ministrabant ei.*

Dignitas, quia ducitur a Spiritu Dei,

Dignitas declaratur maxime a ductore: *Ductus est a Spiritu; Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei;* a ministris: *Angelis suis mandavit de te*, etc. Quoad vitam, debet esse vita hominis christiani vita eremitae, nam *ductus est in desertum;* sic enim Deus Israelitas in mari Rubro baptizatos, non per terram Philisthaeorum, sed per desertum ducere voluit in terram promissionis;[34] ut sit homo christianus alienus a mundo, contemptor mundanarum vanitatum, sicut Christus, qui mundana omnia hodie nihil fecit. Cum enim dixisset satanas: *Haec omnia tibi*, etc., ait: *Vade, satana.* Sic Paulus, verus christianus: *Omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora.*[35]

vita, quia alienatur a mundo,

Requiritur ut vita christiani sit vita hominis religiosi, servi Dei: *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.*[36] Vita autem viri religiosi consistit in mortificatione carnis et oratione quam maxime, ut cum Deo, non cum mundo, conversetur: *Nostra conversatio in caelis est.*[37] Sic Christus in deserto ieiunabat et orabat.

finis, quia cum Deo conversatur.

Tandem requiritur ut vita hominis christiani sit vita spiritualis militis: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed*, etc. Pugnandum est contra inimicos spirituales, contra mundum, carnem et satanam, nam: *Non coronabitur nisi qui legitime certaverit.*[38] Sic, *superata omni tentatione, accesserunt Angeli et ministrabant ei*, quod est finis, etc.[39]

Christianus spiritualis miles est.

34) Cf. Ex 13, 17-18. 35) Phil 3, 8. 36) Mt 4, 10. 37) Phil 3, 20. 38) 2 Tim 2, 5. Vulg.: *Non coronatur*, etc. 39) Duobus foliis albis relictis, transit ad diem sequentem.

FERIA SECUNDA INFRA HEBDOMADAM PRIMAM QUADRAGESIMAE

Cum venerit Filius hominis in maiestate sua et omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem. 1

Proponitur mysterium universalis iudicii iucundum et formidabile.

I. Proponitur in hodierno Evangelio mysterium universalis iudicii, quod spectaculum erit simul iucundum maxime et formidabile, laetissimum atque moestissimum. Cum rex filium principem heredem regni declarat regemque constituit, ut David cum Salomone egit,[2] aut cum nuptias filio suo[3] facit, iucundissimum spectaculum est. Cum, lata sententia publico loco, multos et quidem principes viros scelerum causa morti addicit, magnum quidem spectaculum est, sed moestissimum, quoniam de suppliciis, de morte agitur; nam tragoedia est, multi vere necantur. Spectaculum autem universalis iudicii simul et laetissimum et tristissimum erit, sicut columna Dei,[4] sicut sol in Aegypto,[5] sicut mare Rubrum Hebraeis, Dei electis, causa salutis, Aegyptiis inimicis causa perditionis:[6] *Arescentibus hominibus prae timore; Levate capita vestra.*[7]

Multa considerantur circa hoc mysterium.

II. Proponuntur autem in hodierno Evangelio multa ad divinum hoc iudicium spectantia: persona iudicis: *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua;* tota caelestis curia: *Omnes Angeli* eius *cum*

1) Pericope huius diei Mt 25, 31 sqq. Cf. Missale Rom. 2) Cf. 3 Rg 1, 32-40. 3) Ms.: *Filios suos.* 4) Cf. Ex 14, 24-25. 5) Cf. ibid. 10, 21-23. 6) Cf. ibid. 14, 24-25. 7) Lc 21, 26. 28.

eo; tribunal iudicii: *Sedebit super thronum maiestatis suae;* rei iudicandi: *Congregabuntur ante eum omnes gentes;*[8] varii processus, merita atque demerita eorum qui iudicandi sunt; variae sententiae, absolutionis et condemnationis, ac tandem executio sententiarum: *Ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam,* etc.[9]

Primo: persona iudicis,

Iudex tribus nominibus appellatur: *Filius hominis, pastor* et *rex: Cum venerit Filius hominis... separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab haedis;*[10] *Tunc dicet rex his qui a dextris sunt; tunc dicet* rex *his qui a sinistris.*[11] In iudice nanque tria requiruntur: aequitas, caritas, ut non iudicet ex odio et malevolentia, sed pio animo, ex iustitia et aequitate; secundo sapientia, ut sciat iudicare, ut perpendat causarum merita, ne damnet innocentem et absolvat reum, male iudicans ex ignorantia; ac tandem auctoritas ad iudicandum, ad pronunciandum, et potestas, ut sententia executioni mandetur. Alioquin ad quid iudicare? supervacaneum erit omne iudicium.

qui infinita praeditus est aequitate et bonitate,

Christus autem, qui a Deo constitutus est iudex totius generis humani, omnibus hisce qualitatibus abunde praeditus est. Hinc dicitur *Filius hominis, pastor* et *rex*. Ad designandum animi ipsius integritatem, aequitatem, caritatem, *Filius hominis* appellatur. Christus frater noster est amantissimus; venit in hunc mundum pro salute hominum, pro salute humani generis; multa passus est, crucem subiit, sanguinem fudit, mortem sustinuit acerbissimam atque turpissimam. Vult Deus ut homines iudicentur non ab Angelo, sed ab homine, sed a fratre amantissimo, ad ostendendam iudicii aequitatem.

sapientia et auctoritate.

Pastor autem dictus est pro certissima et infallibili cognitione meritorum, neque enim fallitur pastor in cognitione ovium et haedorum, ut ovem pro haedo aut haedum pro ove accipiat. Tandem rex, pro summa auctoritate, ita ut lata sententia sit inappellabilis, lata a supremo iudice, a supremo tribunali, a Rege regum et Domino dominantium.[12]

Praecessit figura hodierni iudicii cum Iosue, transmisso Iorda-

8) Mt 25, 31. 9) Ibid. vr. 46. 10) Ibid. vr. 32.
11) Ibid. vrr. 34. 41. Vulg.: *A dextris erunt.* 12) Cf. 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16.

ne, populum in duas partes divisit, positaque arca in medio, his quidem pro legis observatione data fuit benedictio, illis autem maledictio pro transgressione.[13] Christus Iosue et arca est, in qua erat urna mannae, lex Dei in tabulis descripta et virga ipsius Dei,[14] ad designanda tria quae diximus. Sic dividet Christus omnem populum statuens oves a dextris, haedos autem a sinistris. De iudice hoc Regius Vates loquitur dicens: *Thronus tuus, Deus, in saeculum saeculi, virga aequitatis virga regni tui. Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis,*[15] idest regem et iudicem te constituit, propter summam animi tui integritatem divinamque sanctitatem.

D. Paulus ad tria redegit omnia mysteria divini iudicii.

III. Divus Paulus *2 Thessalonicensibus* 1 luculentis verbis de universali iudicio loquitur dicens: *Si iustum est Deo retribuere tribulationem his qui nos tribulant, et vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Iesu de caelo cum Angelis virtutis eius, in flamma ignis dantis vindictam iis qui non noverunt Deum et qui non obediunt Evangelio Domini nostri Iesu Christi, qui poenas dabunt in interitu aeternas a facie Domini et a gloria virtutis eius, cum venerit glorificari in sanctis suis et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt.*[16] Ubi Paulus ad tria capita redegit mysteria omnia divini iudicii. Nam verba facit de iudice, de reis et de sententia pro causarum meritis; sicut alibi: *Secundum duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua.*[17] Iudex erit Dominus Iesus de caelo cum Angelis virtutis, *cum venerit glorificari et admirabilis fieri;* rei, singulariter qui *non noverunt Deum et non obediunt Evangelio;* sententia iudicii dantis vindictam in igne: *Qui poenas dabunt in interitu aeternas.* Alludit Paulus ad hodiernam sententiam: *Ite maledicti in ignem aeternum;*[18] *Ibunt hi in supplicium aeternum.*[19] Tria haec igitur cum Paulo diligenter nobis consideranda sunt, haec enim scire maximi refert.

loquens de iudice, de reis et de sententia.

13) Cf. Ios 8, 32-34. 14) Cf. Ex 16, 33-34; 25, 16. 21; 40, 18; Nm 17, 10; Dt 10, 5; Hebr 9, 4. 15) Ps 44, 7-8. Ex Hebr 1, 8-9. 16) Vrr. 6-10. Vulg.: *Apud Deum retribuere*, etc. 17) Rom 2, 5-6. Vulg.: *Opera eius*. 18) Mt 25, 41. Vulg.: *Discedite a me maledicti*, etc. 19) Ibid. vr. 46.

Christus iudex in die iudicii in medio erit electorum et reproborum.

IV. Christus Dominus in die iudicii in medio electorum et reproborum erit sicut Angelus Domini in columna in medio duorum populorum, iudicavit enim Aegyptios, salvavit Hebraeos in mari Rubro. Ioannes autem in *Apocalypsi* vidit mare, sive stagnum ignis et sulphuris,[20] sic in mari ignis peribunt reprobi in die iudicii. Erit tunc Dominus sicut arca in medio tribuum Israel, transmisso Iordane, tunc enim arca veluti iudicavit populum;[21] erat autem arca induta auro: *Cum venerit in maiestate sua;* in medio Cherubim: *Omnes Angeli* eius *cum eo;* aurea corona redimita: *Tunc dicet rex.*

Universale iudicium frequentissime inculcatur in S. Scripturis;

Universale iudicium in Divinis Litteris frequentissime inculcatur. In Veteri Testamento multis figuris praesignatum, multis vaticiniis praedictum; in Testamento Novo multis parabolis a Domino descriptum, quoniam mysterium fidei est scitu supra modum necessarium.

Quale iudicium fecit Deus in primo die omnium saeculorum de Angelis bonis et malis, cum *divisit lucem a tenebris,*[22] tale facturus est in novissimo die de hominibus electis et reprobis. Nam ait: *Ite maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius,*[23] cacodaemonibus, spiritibus malis. Punitiones omnes, quas legimus in Veteri Testamento, umbrae ac figurae quaedam fuerunt divini huius iudicii imaginem referentes, sicut Dominus manifeste ait de diluvio et de incendio Pentapolis, quod sicut accidit in diebus Noe et in diebus Loth, ita erit in die iudicii.[24]

de eo vaticinati sunt Patriarchae et Prophetae.

De universali iudicio omnes Prophetae vaticinati sunt: Ezechiel, Ieremias, Isaias, Moyses. Abraham Deum appellavit iudicem universae terrae.[25] Enoch etiam de iudicio prophetavit dicens: *Ecce venit Dominus cum sanctis millibus suis facere iudicium et arguere impios de omnibus operibus impietatis, quibus impie egerunt.*[26] Christus autem ad praedicandum iudicium singulariter venit in mundum. Hinc apud Isaiam ait, quod etiam in synagoga in Nazareth interpretari ipse voluit: *Spiritus Domini super me, eo quod misit me evangelizare pauperibus... praedicare*

et Christus saepe illud descripsit.

20) Cf. 20, 9. 21) Cf. Ios 8, 33. 22) Gn 1, 4. 23) Mt 25, 41.
24) Cf. Lc 17, 27-29. 25) Cf. Gn 18, 25. 26) Iud vrr. 14-15. Vulg.: *In sanctis.*

annum Domini acceptum et diem ultionis Deo nostro.[27] Hinc Dominus multis parabolis divinum iudicium descripsit.[28]

V. In divino iudicio tria consideranda sunt: persona iudicis, processus, idest merita atque demerita reorum, ac tandem sententia, iustorum praemia et peccatorum poenae, gloria paradisi, poena inferni. Et quidem horum trium consideratione iudicium iustis est summe desiderabile, sed peccatoribus summe formidabile.

Circa iudicium tria consideranda sunt:

Primo quidem ex persona iudicis. In quo tria considerantur: primo animus integerrimus atque sanctissimus, virtutis omnis verae et solidae amantissimus, vitiorum autem osor acerrimus, summus persecutor. Hinc iustos hodie laetissimo vultu aspicit dicens: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum;* peccatores autem vultu terribili tanquam leo rugiens: *Ite maledicti in ignem aeternum.* Ipse enim Cherub est habens faciem hominis et leonis:[29] erga iustos, faciem habet hominis, contra peccatores autem faciem leonis, terribilem et formidabilem.

personae iudicis integritas et sanctitas divina,

Nec tantum animus integerrimus atque sanctissimus, verum etiam summa iudicis sapientia indicatur, qua ita certa et infallibili scientia cognoscit secreta conscientiarum omnium hominum, ut sciat quinam vere iusti et quinam peccatores sint vitiisque corde contaminati, sicut pastor cognoscit oves et haedos. Hinc oritur in iustis causa laetitiae, in peccatoribus[30] autem causa timoris, quoniam certissime novit omnia cordium secreta; et maximus cum sit virtutum amator et vitiorum osor, qui bona sunt conscientia laetantur, qui autem mala timent. Novit certissime qui Deum vere ex animo diligunt et in spiritu adorant, et eos qui voluptatum amatores magis quam Dei, qui seipsos diligunt magis quam Deum. Refert autem maximi ut princeps optimus cognoscat bonos et malos, servorumque suorum merita atque demerita, virtutes et vitia, opera bona et mala. Sic Christus discernit bonos a malis, oves ab haedis,

sapientia infinita,

27) 61, 1-2. Ex Lc 4, 18-19. Vulg.: *Propter quod unxit me, etc.*
28) Cf. Mt 13, 47-50; 18, 23-34; 25, 1-30; Lc 19, 12-27.
29) Cf. Ez 1, 10. 30) Ms.: *Peccatoris.*

et statuit *oves quidem a dextris, haedos autem a sinistris,*[31] illos diligens, hos autem odio habens.

summa auctoritas et potentia,

Tandem ostenditur de iudice summa auctoritas: *Cum venerit in maiestate; Tunc dicet rex.* Non appellatur rex huius aut illius regionis, sed simpliciter rex, quoniam *Rex* est *regum et Dominus dominantium,*[32] Rex universae creaturae,[33] qui ait: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra;*[34] *Gloria et honore coronasti eum... omnia subiecisti sub pedibus eius;*[35] Rex infinitae maiestatis atque potentiae: *Cum venerit in maiestate sua et omnes Angeli* eius *cum eo.* Quanta unius Angeli vis est et potentia! Unus Angelus natura potentior est omnibus simul hominibus, omnes homines posset perimere, sicut exercitum Sennacherib.[36] Quanta igitur erit omnium Angelorum potentia? Quanta igitur potentia ipsius Christi, qui infinitis partibus potentior est Angelis omnibus caelestibusque exercitibus, quam Angeli hominibus? Summa auctoritas facit ut sententia ab eo lata sit omnino inappellabilis; summa vero potestas ut executioni mandetur: *Ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam.* Quare cum infinita praeditus sit potestate atque virtute, potest virtutes omnes dignis praemiis coronare, vitia autem pro meritis punire.

hinc laetabuntur iusti, peccatores vero formidabunt.

Quoniam igitur in iudice tria haec reperiuntur: posse, scire et velle praemiare virtutes et punire vitia, hinc iudicium hoc iustis quidem desiderabile est, peccatoribus autem supra quam dici potest formidabile. Timuit Adam audiens quod Dominus veniret, quoniam peccaverat,[37] nam alioqui ipsa etiam Dei maiestas magnum timorem incutit. Hinc cum Dominus in maiestate descendit ad dandam legem, Hebraei prae nimio timore pene exanimati fuerunt;[38] Apostoli etiam, audita Dei voce in transfiguratione Christi, prae timore *ceciderunt in faciem suam et timuerunt valde;*[39] Isaias etiam timuit, visa gloria Domini.[40] Quid igitur tunc facient peccatores? *Arescentibus hominibus prae timore.* Audiens Iacob quod Esau armatus magna militum manu veniebat contra eum, timuit vehementer.[41]

31) Mt 25, 33. 32) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 33) Cf. Iudith 9, 17.
34) Mt 28, 18. 35) Ps 8, 6-8. 36) Cf. 4 Rg 19, 35; Is 37, 36.
37) Cf. Gn 3, 10. 38) Cf. Ex 20, 19. 39) Mt 17, 6.
40) Cf. 6, 5. 41) Cf. Gn 33, 1-3.

Cum venerit... in maiestate, ut ab omnibus agnoscatur: *Cognoscetur Dominus iudicia faciens.*[42] Tremens ac stupens Saulus, Christi inimicus et persecutor, Christum agnovit sibi de caelo dicentem: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Ea autem voce exterritus atque prostratus in terram, tremens ac stupens dixit: *Quis es Domine?*[43] Sic accidet peccatoribus omnibus in die iudicii, cognita atque perspecta Christi maiestate: terrore, tremore, stupore, supra quam credi potest concutientur omnes: *Arescentibus prae timore hominibus.*

et supramodum terrore concutientur. cognita Christi maiestate.

VI. Quod autem spectat ad processus et merita reorum qui iudicandi sunt: *Iudicium sedit,* inquit Daniel, *et libri aperti sunt.*[44] Ioannes etiam in *Apocalypsi* vidit libros apertos in iudicio; loquitur autem de libris processuum, nam ait: *Vidi thronum magnum candidum et sedentem super eum... Et vidi mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt; et alius liber apertus est, qui est vitae: et iudicati sunt mortui ex iis quae scripta erant in libris secundum opera ipsorum, et iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum... Et infernus et mors missi sunt in stagnum ignis. Haec est mors secunda. Et qui non inventus est in libro vitae scriptus, missus est in stagnum ignis.*[45] Pro meritis igitur causarum, prout in processu constabit, quisque iudicandus est.

Quisque iudicandus erit pro meritis.

Sed quid est quod, cum prius dixerit apertos esse libros, postea subiungit apertum esse alium librum, qui est vitae? Librum vitae appellat librum bonorum operum, de quibus hodie Dominus ait: *Esurivi et dedistis mihi manducare, sitivi et dedistis mihi bibere;*[46] quicumque non invenietur scriptus in hoc libro bonorum, mittetur in stagnum ignis. Libros igitur priores malorum operum esse indicavit, innuens quod multo plura sunt mala opera quam bona, quod multo plures sunt peccatores quam iusti, quod multo plures erunt haedi ad sinistram Christi quam oves ad dexteram, multo plures damnabuntur quam salvabuntur. *Iudicati sunt mortui et ex his*[47] *quae scripta erant in libris.*

42) Ps 9, 17. 43) Act 9, 4-5. 44) 7, 10. 45) 20, 11 sqq.
46) Mt 25, 35. 47) Ms.: *Iti.*

hinc iudicium appellatur redditio rationum.

Appellatur aliquando iudicium redditio rationum: *Voluit rationem ponere cum servis suis;*[48] *Redde rationem villicationis tuae.*[49] Afferendi sunt libri exitus et introitus, debitorum et creditorum, videndi sunt omnes libri rationum summa cum diligentia: *Beati quorum remissae sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata;*[50] quorum rationes in libro debitorum deletae invenientur, debitis iam solutis aut remissis: *Omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me;*[51] *Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque;*[52] *Remittuntur ei peccata multa.*[53] Sed, o quot invenientur qui debebunt regi decem millia talenta, qui mittentur in carcerem, donec solvant universum debitum![54]

Considerandum pondus sententiae,

VII. Tandem sententia iudicis consideranda est pro iustis et contra peccatores: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum; Ite maledicti in ignem aeternum, qui paratus est,* etc.; una cum executione sententiae: *Ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam.* Sententiae huius magnitudo et pondus intelligi non potest, nisi sciatur quidnam sit paradisus, quid infernus, quid vita aeterna cum perpetua felicitate et gloria et quid perpetua mors cum aeterno cruciatu. In mundo hoc multa reperiuntur bona et multa mala, bona quibus Deus saepe usus est ad praemiandam virtutem, mala adhibita ad vitia punienda. Sed bona haec aut mala illis comparata[55] nihil sunt, umbrae sunt, somnia sunt, imo somnia umbrarum. Sed si omnia mundi huius bona simul uniantur, referent tenuem quandam imaginem summi illius boni, quo in die iudicii coronanda virtus est; et similiter si omnia mala omnesque punitiones vitiorum, quas in Sacris Litteris legimus, redigantur in fascem, vix sempiterni et infiniti mali, quod per sententiam hanc infertur iniquis, umbram referent. Continentur in duabus hisce sententiis duo veluti magni et infiniti thesauri, bonorum et malorum: *Habebis thesaurum* magnum *in caelo;*[56] *Thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei.*[57]

agitur enim de vita vel morte aeterna.

48) Mt 18, 2. 49) Lc 16, 2. 50) Ps 31, 1. 51) Mt 18, 32. 52) Lc 7, 42. 53) Ibid. 7, 47. 54) Cf. Mt 18, 34. 55) Ms.: *Illorum comparatae.* 56) Mt 19, 21; Mc 10, 24; Lc 18, 22. 57) Rom 2, 5.

In hoc iudicio nulla fit mentio actoris, accusatoris, testium, nam cum reus reperitur in flagranti aut, cum delinquens notorius et manifestus est, haec opus non sunt. Non tamen deerit accusator, daemon: *Proiectus est accusator fratrum nostrorum.*[58] Testes erunt Angeli in custodiam delegati; testes ipsaemet conscientiae, nam dici solet: «conscientia mille testes.»[59] Serpentem Deus in flagranti repertum iusta damnavit sententia: *Maledictus eris,* etc.[60]

Non deerunt in iudicio accusatores et testes.

VIII. *Cum venerit Filius hominis.* Iudex hic *Filius hominis* dicitur, quia totus suapte natura humanus. Hinc apud Isaiam legimus: *In monte divisionum stabit Dominus: sicut in valle* [*quae est in*] *Gabaon, irascetur: ut faciat opus suum, alienum opus eius... peregrinum opus eius ab eo.*[61] Hodie Dominus fideli populo adhibet ad virtutem et opera bona calcaria et frenum a vitiis. Ipse enim est qui in *Apocalypsi* album equum inequitat.[62] Ad equitandum autem equiti freno et calcaribus opus est. Calcaria sunt magna praemia promissa virtutibus, frenum autem severissima vitiorum ac peccatorum punitio a Deo in die iudicii: *Discedite a me maledicti,* etc. Sic ab initio Dominus in virtutis praemium posuit vitam perpetuam, in poenam autem peccati mortem: *In quocumque die comederis de eo, morte morieris.*[63]

Iudex dicitur Filius hominis, quia humanissimus,

Cum venerit Filius hominis. Iudex sanctissimus, de quo per Prophetam dicitur: *Mundi sunt oculi tui,* Domine, *ut non videant malum et respicere ad iniquitatem non poteris.*[64] Hinc oculos dicitur habere igneos;[65] ignis autem, suapte natura lucidus, nullam penitus contrahit maculam. Veniet autem ad iudicandum maxima diligentia usus. Hinc per Sophoniam ait: *Scrutabor Ierusalem in lucernis, et visitabo super viros defixos in faecibus suis.*[66]

sanctissimus etiam

Non potest longe esse dies iudicii. Apud Danielem legimus in visione statuae illius mirabilis, quod cum ad pedes ferreos fictilesque ventum fuit, descendit lapis de monte statuamque contrivit et ad nihilum redegit.[67] Statua autem illa mundum designat, lapis

58) Apc 12, 10. Ms.: *Suorum,* loco: *Nostrorum.* 59) Proverbium, de quo cf. Paulus Mannuccius *Adagia,* col. 614. 60) Gn 3, 14. Vulg.: *Maledictus es.* 61) 28, 21. 62) Cf. 6, 2; 19, 11. 63) Gn 2, 17. Vulg.: *Ex eo.* 64) Hab 1, 13. Vulg.: *Ne videas malum.* 65) Cf. Apc 1, 14; 2, 18; 19, 12. 66) 1, 12. 67) Cf. 2, 31-35.

autem Christum, pedes autem fictiles mundi statum pessimum; nam coepit ab auro et per argentum, aes ferrumque, tandem ventum est ad lutum. Sic mundus semper in peius abiit; nunc autem pessimus est.

ac sapientissimus in sententia ferenda.

Ostenditur in hodierno Evangelio iudicium Dei de operibus bonis atque malis, quanti faciat Deus opera bona atque mala, virtutes et vitia. Ostenduntur praemia virtutum et vitiorum poenae. Iudex autem operum bonorum atque malorum proponitur Christus, rex infinitae maiestatis et sapientissimus, infinitis partibus Salomone sapientior. Fert autem sententiam atque pronunciat, dicens opera bona digna esse vita et gloria sempiterna cum Angelis in caelo, mala autem opera aeternas poenas mereri cum daemonibus in inferno: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum.*

In hodierno Evangelio sunt duo iudicia: alterum spectans ad futurum tempus de electis et reprobis, alterum vero ad praesens de operibus bonis et malis, quanti ponderis et momenti sint apud Deum. Magnum erit iudicium illud, sed istud nil minus, nam utriusque idem est iudex. Magnum iudicium a iudice optimo, maximo, a rege sapientissimo. Magnum a forma iudicii, quoniam ab omnibus Angelis, coram quibus fit, approbatur; iudicium factum in rota Angelorum, in supremo consistorio, in generali consessu magnoque Angelorum concilio, omnium calculis comprobatum; quod bona opera maximi sunt meriti et valoris, quod vitam merentur et gloriam sempiternam in caelo cum Deo et Angelis eius, etc.

Daniel refert visionem iudicii,

IX. Daniel 7 capite suarum *Revelationum* refert visionem universalis iudicii illiusque formam et apparatum describit. Et primo quidem tribunal sive tribunalia, secundo personam iudicis, tertio assistentes et quarto processus: *Iudicium sedit et libri aperti sunt.*[68] Ita in hodierno Evangelio haec quattuor describuntur, sed cum pronunciatione et executione sententiae.

describit personam iudicis

Cum venerit Filius hominis in maiestate sua, haec est persona iudicis, quem Daniel dixit Antiquum dierum, ornatum veste candida et canis capillis,[69] quoniam revera aeternus Deus est qui

68) Vr. 10. 69) Cf. ibid. vr. 9

iudicat, licet etiam verus homo, sicut etiam D a n i e l vidit in nubibus caeli quasi filium hominis. [69a]

Et omnes Angeli eius *cum eo,* hi sunt assistentes: *Millia millium,* dixit D a n i e l. [70] *Tunc sedebit super* thronum, sive *sedem maiestatis suae;* [71] D a n i e l descripsit: *Thronus eius flammae ignis, rotae eius ignis accensus.* [72] Supra modum formidabile tribunal. Sed non solum; hinc D a n i e l : *Aspiciebam donec throni positi sunt,* [73] nam I o a n n e s post Dei tribunal vidit alia viginti quattuor tribunalia seniorum: [74] *Sedebitis et vos super sedes iudicantes,* etc. [75] Tandem apud D a n i e l e m afferentur et aperiuntur libri. Sic in hodierno Evangelio leguntur ab ipsomet Christo processus.

et formidabile tribunal.

Cum venerit Filius hominis in maiestate sua. Assignatur praecipua causa universalis iudicii: ut universo humano generi conspicua sit gloria Christi. Sic enim *2 Thessalonicensibus* 1 docet P a u l u s : *Cum venerit glorificari in sanctis suis et mirabilis fieri.* Ubi etiam P a u l u s alteram [76] paulo ante assignat causam, iustitiam idest ultricem malorum et remuneratricem bonorum: *Si tamen iustum est apud Deum,* etc.

Causa praecipua iudicii finalis: gloria Christi, ultio malorum, remuneratio bonorum;

Sedebit super sedem maiestatis suae, etc. R e g i u s V a t e s *Psalmo 88* ostendit thronum Dei super quattuor bases columnasque innixum dicens: *Iustitia et iudicium praeparatio sedis tuae. Misericordia et veritas praecedent faciem tuam.* [77] *Praeparatio* hebraice est basis, firmitas; *iudicium,* quia nemini facit iniuriam; *iustitia,* quia dat unicuique quod suum est pro meritis operum, luet, puniet citra condignum; *veritas* quoad promissa praemia; *misericordia* quoad superabundantiam gloriae qua supra condignum remunerat.

Saepe in Sacris Litteris [78] agitur de finali iudicio, ubique autem docetur quod cum primis ad hoc veniet iudex divinus, ut remuneret opera hominum. Sic R e g i u s V a t e s *Psalmo 61: Semel locutus est Deus, duo haec audivi,* hebraice: *unum locutus est, duo audivi,* pro semel et iterum, hoc est saepe, *quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia: quia tu reddes unicuique secundum opera sua.* [79]

fiet autem iudicium ad remunerandu opera hominum.

69a) Cf. ibid. vr. 13. 70) Ibid. vr. 10. 71) Mt 25, 31.
72) Dn 7, 9. 73) Ibid. 74) Cf. Apc 4, 3-4. 75) Mt 19, 28.
76) Ms.: *Etiam* iterum ponitur. 77) Vrr. 15-16. 78) Ms.: *Litteris* bis ponitur.
79) Vrr. 12 sq.

Sic Isaias 40: *Ecce Dominus in fortitudine veniet... et merces eius cum eo;* [80] et 62: *Ecce Salvator tuus veniet: ecce merces eius cum eo.* [81] Ita Dominus in Evangelio: *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui, cum Angelis suis, dare unicuique secundum opera sua;* [82] et in *Apocalypsi* 22: *Ecce venio cito et merces mea mecum est, dare unicuique secundum opera sua;* [83] ita Paulus *ad Romanos* 2: *Thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua.* [84] Sed clarissime in hodierno Evangelio: *Ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam.* Veniet daturus poenas et sumpturus supplicia. Agitur hic de praemiis et coronis bonorum operum, de suppliciis et poenis malorum. Ostenditur luce clarius quam necessaria sint opera bona ad salutem: *Ite,* inquit, *maledicti, in ignem aeternum.* Quare? *Esurivi enim et non dedistis mihi manducare, sitivi et non dedistis mihi bibere.* Nullam aliam assignat causam, nisi defectum bonorum operum; non defectum fidei, nam *multi,* inquit, *dicent mihi in illa die: Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus et in nomine tuo daemonia eiecimus et... virtutes multas fecimus?* [85] Quibus dicam: Non novi vos: *discedite a me omnes operarii iniquitatis.* [86] Sic *omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.* [87]

Opera bona necessaria sunt ad salutem.

X. Quid hic Lutherus, quid Calvinus dicent? Quomodo non sunt opera ad salutem necessaria, si propter defectum bonorum operum impii damnandi dicuntur? [88] Et tamen etiam hinc dicunt constare non dari vitam aeternam propter opera, quia ait: *Venite benedicti Patris mei, possidete,* graece est *hereditate possidete.* Sed si hereditas est, inquiunt, merces non est, nam hereditas filiorum est eisque competit, etiamsi nihil operati sint, non enim meritis, sed naturae debetur; merces vero servis datur.

At vero saepe in Divinis Litteris vita aeterna merces appellatur: *Voca operarios et redde illis mercedem* [89] suam; *Dignus est opera-*

80) Vr. 10. 81) Vr. 11. Vulg.: *Venit.* 82) Mt 16, 27. Vulg.: *Tunc reddet unicuique secundum opera eius.* 83) Vr. 12. Vulg. *Reddere unicuique* 84) Vrr. 5-6. Vulg.: *opera eius.* 85) Mt 7, 22. 86) Lc 13, 27. 87) Mt 3, 10. 88) Lutherus in *Comment. Epist. ad Galatas,* cp. 2; Calvinus lib. 3 *Institut.,* cp. 19, § 2. 4 et 7. Apud S. Bellarminum *Controversiae,* t. 4, *De Iustificatione,* lib. 3, cp. 1, col. 886-889. 89) Mt 20, 8.

rius mercede sua;[90] *Ego protector tuus sum et merces tua magna nimis;*[91] *Unusquisque mercedem recipiet secundum suum laborem;*[92] *Merces mea mecum est.*[93]

Bene, inquiunt, sed merces improprie, metaphorice dicitur. At unde hoc scimus vitam aeternam proprie hereditatem, improprie mercedem dici? Iustis[94] inquit hodie Dominus dandam esse vitam aeternam. Iusti autem in Sacris Litteris saepe quidem appellantur filii Dei, multo vero saepius servi Dei. Quaenam appellatio magis propria, filiorum an servorum? Suntne iusti magis proprie filii an servi Dei? Solus Christus proprie Filius Dei est, quia natura; adoptivus quis nescit quod non est proprie filius? Nos per adoptionem filii Dei sumus, non natura; ergo non proprie filii, sed propriissime servi. Cum igitur hereditas filiis, merces servis debeatur, vita aeterna magis proprie merces quam hereditas appellatur. Utroque autem modo appellatur; hereditas quidem, quia nonnisi filiis datur, merces vero quia nonnisi bonis filiis obedientibus servientibusque Patri ex caritate, veris Dei imitatoribus, nam imitatores Dei filii appellantur.[95] Sed hi de Deo uti hominem sentiunt.

homines enim Dei servi sunt,

quibus merces datur pro servitio.

XI. *Cum venerit Filius hominis.* Magnum et mirabile spectaculum, quo nunquam aut maius aut mirabilius visum est, aut videri vel excogitari potest. Nam in hoc spectaculo, in theatro, ubi iudicium hoc celebrandum erit, videbuntur omnes Angeli paradisi, omnes homines mundi huius, omnes, inquam, omnium saeculorum: *Congregabuntur ante eum omnes gentes,*[96] et item omnes daemones inferni. Nec tantum videbuntur omnes homines, verum etiam corda omnium hominum, sicut Paulus ait: *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium, et tunc laus erit unicuique a Deo.*[97] Sic:

Iudicium magnum spectaculum erit,

« Cuncta cunctorum cunctis patebunt ».[98]

90) Lc 10, 7; 1 Tim 5, 18. 91) Gn 15, 1. 92) 1 Cor 3, 8. Vulg.: *Propriam mercedem accipiet,* etc. 93) Apc 22, 12. 94) Ms.: *Iusti.* 95) Cf. Eph 5, 1. 96) Mt 25, 32. 97) 1 Cor 4, 5. 98) Versus Sybillae:

« Iudicium faciet gestorum quisque suorum,
Cunctaque cunctorum cunctis arcana patebunt ».

Apud S. Bernardum *De cognitione humanae conditionis*, cp. 2, (P. L. 184, 488).

Iucundissimum simul et formidabilissimum.

Erit autem spectaculum hoc simul et iucundissimum laetissimumque et formidabilissimum. Iucundissimum, quia patebit paradisi gloria omnibusque conspicua erit; videbitur apertus paradisus; formidabilissimum, quia videbitur etiam apertus infernus. Iucundissimum, quia videbuntur omnes Angeli; formidabilissimum, quia videbuntur omnes daemones. Iucunditas erit videre omnes electos fulgentes sicut sol, horror videre omnes reprobos horrendissime tetros; iucunditas videre Christum in sua gloria, horror videre satanam in sua poena; summa iucunditas videre faciem Christi clementissimam erga electos, cum eis aperiet infinitum thesaurum.

In particulari iudicio post mortem anima iudicatur,

in universali totus homo;

Cum venerit Filius hominis in maiestate sua. Universalis iudicii assignandae sunt causae et effectus. Causae sunt: efficiens, Christus Deus et homo; materialis, totum genus humanum: *Congregabuntur ante eum omnes gentes;* formalis, ordo, modus et forma procedendi in hoc iudicio; finalis tandem: ad quid celebrandum erit, cum omnis homo iudicetur in morte? Sed iudicium quod fit in morte cuiusque hominis, partiale est, non totale; iudicatur ibi anima tantum, non corpus, pars hominis, non totus homo, qui corpore et anima constat. In hoc totus homo iudicabitur, sive ad gloriam sive ad poenam; hinc fiet post universalem resurrectionem mortuorum. Sic electi anima et corpore in paradisum, reprobi anima item et corpore in infernum transferrentur.

in priori iudicantur singuli, in altero totum genus humanum;

Deinde iudicium in morte particulare est singularum personarum; hoc generale erit totius humani generis, ita ut sicut primo die fuit generale iudicium omnium Angelorum, ita novissimo sit futurum universale iudicium omnium hominum. Iudicabitur tunc magnus homo, totum genus humanum, quod in duas partes dividitur, sicut homo animam habens et corpus, spiritum et carnem, interiorem hominem et exteriorem. Sicut autem in morte hominis, in particulari iudicio corpus traditur sepulturae, spiritus autem ad Deum vadit, sic tunc carnales homines omnes sepelientur in inferno, spirituales vero ad Deum ibunt in caelum.

prius erit occultum, posterius manifestum.

Tandem in particulari iudicio secretum et occultum est, quod fit nemo novit, iudicium secretum est; generale occultum non erit, publicum, manifestum erit; fiet in conspectu omnium Angelorum,

hominum, daemonum; fiet ad declarandam divinam iustitiam atque ad ostendendas iustissimas sapientissimasque rationes divinae in mundi [99] regimine providentiae, quae ab hominibus saepe saepius accusatur, quoniam saepe Deus malos bene, bonos autem male tractare videtur, adeo ut multi eo deveniunt, ut crediderint mundum casu, non divina providentia regi et gubernari. Ibi Deus causam suam iustificaturus est et ostensurus se iuste et sapienter omnia operatum esse, ostensis rationibus et causis.

Tandem ad Christi gloriam, ut divina Christi gloria sit universo mundo conspicua et manifesta, ut ab omnibus videatur, agnoscatur, adoretur, ut Paulus ait: *In nomine eius omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus noster in gloria est Dei Patris.* [100] Sic *ad Thessalonicenses* ait quod veniet *glorificari et mirabilis fieri.* Ita hodie ipse ait: *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua.* In primo adventu se humiliavit, in secundo exaltabitur, verus Deus agnoscetur.

et fiet ad Christi gloriam manifestandam.

XII. Effectus huius iudicii designantur a Domino cum ait: *Ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam.* Duo erunt effectus: alter corona virtutum, praemium bonorum operum, alter vero poena vitiorum, supplicium et punitio condigna malorum operum, sicut in duas partes totum genus humanum separat alteramque statuit ad dexteram suam, alteram ad sinistram, illam pro virtutum bonorumque operum meritis benedicturus et in aeternum cum Angelis in paradisum ducturus ac beatificaturus, hanc vero maledicturus et in aeternum cum daemonibus in infernum missurus.

Effectus iudicii: corona virtutum ac punitio vitiorum.

Lata autem sententia, statim executioni mandabitur: *Ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam.* Semel atque iterum qui salvandi sunt in hodierno Evangelio iusti appellantur, cum prius dicti sint oves: *Tunc respondebunt iusti; Ibunt iusti,* quoniam non ob aliam causam salvandi sunt, nisi propter iustitiam:

Lata sententia, statim executioni mandabitur.

99) Ms.: *Mundine.* 100) Phil 2, 10-11. Vulg.: *In nomine Iesu,* etc.

In reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illum diem iustus iudex.[101] Damnandi nullo hic nomine sunt notati, tantum haedi sunt dicti, alias: *Tunc dicet his qui a sinistris eius erunt; Respondebunt et ipsi.*[102]

Ibunt hi in supplicium. Hi, quinam? Quicumque non fuerint iusti. Unde Petrus: *Iustus vix salvabitur, impius* autem *et peccator ubi parebunt?*[103] Nonnisi iustitia tunc homini prodesse poterit ad salutem; non divitiae, non voluptates, non honores et dignitates, non bona mundi totius. Iudex non poterit corrumpi muneribus, non flecti precibus aut favoribus, non Sanctorum meritis aut precibus vel ipsius etiam Matris, nec passionis mortisque suae contemplatione poterit tunc iudex de rigore severitatis vel minimum quid minuere aut ad pietatem clementiamque moveri, nam tunc non misericordiae, sed iustitiae tempus erit.

In iudicio nonnisi virtus prodesse poterit.

Cum igitur nonnisi virtus veraque iustitia, quae in caritate consistit, causae nostrae in die iudicii prodesse poterit, huic danda est pro nostra virili opera. Non enim nisi iusti ibunt in vitam aeternam, iustos autem dicit eos, quibus paulo ante dixerat: *Venite benedicti Patris mei,* idest electi atque dilecti, Patri meo cari: *Esurivi enim et dedistis mihi manducare,* nam bonis operibus iustificamur: *Qui iustus est iustificetur adhuc et* qui *sanctus* est *sanctificetur adhuc.*[104] *Qui facit iustitiam,* bene agit, *iustus est, sicut et ille,* idest Deus, *iustus est.*[105] Iustitia igitur, cum summopere necessaria sit ad salutem, haec nobis summo studio colenda est.[106]

XIII. Regius Vates *Psalmo 109* ostendit Christum regem summae maiestatis, sacerdotem ac pontificem summae dignitatis et potestatis, iudicem summae auctoritatis et severitatis: *Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis, donec ponam,* etc.; *virgam virtutis tuae,* hebraice *sceptrum potentiae tuae, dominare in medio inimicorum tuorum.*[107] Deinde sacerdotem ostendit: *Iuravit Domi-*

101) 2 Tim 4, 8. Vulg.: *In illa die.* 102) Mt 25, 41, 44. 103) 1 Petr 4, 18.
104) Apc 22, 11. 105) 1 Io 3, 7. 106) Aliquae lineae albae relinquuntur.
107) Vrr. 1-2.

nus et non poenitebit eum: *Tu es sacerdos in aeternum*, etc.; tandem: *Dominus a dextris tuis, confregit in die irae suae reges. Iudicabit in nationibus*, hoc est nationes, *implebit ruinas.*[108] Quibus verbis ostendit Christum divina praeditum potentia et virtute ad iudicandum et reges et nationes, hoc est universum hominum genus. Ut autem sciamus iudicis huius summam esse auctoritatem et potestatem ad iudicandum, praemisit in eo cum regiam et imperialem, tum etiam sacerdotalem et pontificiam auctoritatem quoad utrumque forum, sicut utramque potestatem habuit Melchisedech,[109] habuit Moyses etiam[110] et alii,[111] sed super omnes Christus. Summus iudex constitutus a Deo est super universum orbem; sed non iudicabit iudicio condemnationis, nisi inimicos suos rebellesque, fideles autem servos et populares suos exaltabit.

XIV. Finalis causa iudicii erit gloria Christi, sicut Paulus 2 *Thessalonicensibus* 1 docet: *Cum venerit glorificari... et mirabilis fieri;* tunc enim *in nomine Iesu omne genu* flectetur et omnis lingua confitebitur, *quoniam Dominus Iesus*, etc. Sic *cognoscetur Dominus iudicia faciens.*[112] Itemque ut iustificetur Deus et appareat iustus *in omnibus viis suis et sanctus in omnibus operibus suis.*[113] Nunc ab hominibus accusatur in multis divina providentia, quod mali in mundo fruuntur bonis, boni autem mala patiantur; tunc, cum orietur sol iustitiae, clare videbitur quid intersit *inter servientem Domino et non servientem ei,*[114] sicut apud Malachiam legimus, *reddet* enim *unicuique secundum opera sua.*

Causa finalis iudicii erit gloria Christi.

Venient cum Christo non solum omnes Angeli, verum etiam omnes Sancti. *Deuteronomii* 33: *Dominus de Sinai veniet... et cum eo sanctorum millia;*[115] Zachariae 14: *Veniet Dominus Deus et omnes sancti* eius *cum eo.*[116] Hoc autem ne ulla possit esse reprobis excusatio, quod propter carnis fragilitatem non potuerint bona praestare divinamque legem servare, nam omnes Sancti homines fragiles fuerunt, non Angeli.

108) Ibid. vrr. 4-6. 109) Cf. Gn 14, 18. 110) Cf. Ex 18, 13-26. 111) Cf. 1 Rg 7, 31 sqq. 112) Ps 9, 17. 113) Ps 144, 17. 114) 3, 18. 115) Vr. 2. 116) Vr. 5. Vulg.: *Venit.*

Sicut ultimum opus in mundi creatione fuit compendium et anacephalaeosis [117] omnium operum, unde homo dictus est parvus mundus, ita ultimum mysterium, quod nostra fides credendum nobis proponit, nempe mysterium finalis et universalis iudicii, est veluti peroratio et recapitulatio omnium mysteriorum fidei nostrae. [118]

117) Ms.: *Anachephalaeosi.*
118) Duabus fere paginis albis relictis, transit ad feriam sequentem.

FERIA TERTIA INFRA HEBDOMADAM PRIMAM QUADRAGESIMAE

Cum introisset Iesus Ierosolymam commota est universa civitas dicens: Quis est hic? etc. [1]

I. Magno desiderio ardet hodie civitas sancta Ierusalem cognoscendi Christum, sicut olim populus in deserto ut sciret quidnam esset manna, hinc dicebant: *Man hu! Man hu!* viso manna: *Quid est hoc? quid est hoc?* [2] Ita hodie: *Quis est hic?* Et quidem magna res est cognoscere Christum. Paulus *ad Ephesios* ait: *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut det vobis* virtutem *ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo, longitudo, sublimitas et profundum, scire etiam supereminentem scientiae caritatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* [3] Cupit ut cognoscamus magnitudinem Christi, hoc enim est latitudo, longitudo, sublimitas et profundum, sic enim mensuratur magnitudo palatii aut templi; Christus autem Dei templum est, in quo *inhabitat omnis plenitudo divinitatis:* [4] *Solvite templum hoc;* [5] *Dominus Deus templum illius est et Agnus.* [6]

Magna res est cognoscere Christum.

1) Pericope huius diei Mt 21, 10-17. Cf. Missale Rom. Vulg.: *Cum intrasset.* etc.
2) Ex 16, 15. 3) 3, 14-19. 4) Col 2, 9. 5) Io 2, 19. 6) Apc 21, 22.

De Christo testificantur Deus, Prophetae, Ecclesia universalis.

II. In Sacris Litteris habemus longitudinem, latitudinem et altitudinem arcae Noe,[7] tabernaculi Moysi,[8] templi Salomonis;[9] ita vult Paulus ut Christum exacte cognoscamus, nam haec gloria Sanctorum est, Christum cognoscere: *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis; haec est vita aeterna: ut cognoscant te solum verum Deum et quem misisti Iesum Christum.*[10] Huic autem quaesito: *Quis est hic?* respondet aliquando Deus, dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui;*[11] ita ad quaesitum hoc per Regium Vatem: *Quis est iste rex gloriae? Dominus fortis et potens, Dominus potens in proelio; Dominus virtutum ipse est rex gloriae.*[12] Aliquando respondet ipse Christus, ut apud Isaiam: *Quis est iste qui venit de Edom?... Ego qui loquor iustitiam et propugnator sum ad salvandum,*[13] idest ego Salvator mundi; sic Iudaeis quaerentibus: *Tu quis es?* Ego *principium qui et loquor vobis;*[14] sic: *Ego sum lux mundi;*[15] *Ego sum via, veritas et vita.*[16] Aliquando Spiritus Sanctus per Prophetas, aliquando universalis Ecclesia: *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus;*[17] *Hic est Iesus propheta a Nazareth Galilaeae;*[18] sic etiam Zacharias Propheta respondet dicens: *Ecce rex tuus venit tibi iustus et salvator, ipse pauper.*[19]

Ostenditur hodie Christus homo mirabilis.

III. *Quis est hic? Hic est Iesus propheta a Nazareth,* imo hic Deus est factus homo. Hinc venit in templum iuxta illud: *Statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis.*[20] Ostenditur hodie Christus homo mirabilis. Infidelibus indignum divina maiestate videtur quod [Deus] factus sit homo, hinc Paulus ait Christum *Iudaeis* esse *scandalum, Gentibus autem stultitiam;*[21] sed hi naturam humanam nudam considerant, humilem et abiectam. Veluti indignum reputatur ut princeps uxorem ducat mulierem humili loco natam: et tamen duxit Assuerus Esther, sed mundo muliebri regioque ornatu instructam;[22] habitavit Deus in templo, sed

7) Cf. Gn 6, 15. 8) Cf. Ex 26, 1-25; 27, 9-18. 9) Cf. 3 Rg 6, 2-3. 10) Io 17, 3. 11) Mt 17, 5. 12) Ps 23, 8. 10. 13) 63, 1. 14) Io 8, 25. 15) Ibid. vr. 12. 16) Ibid. 14, 6. 17) Ct 5, 10. 18) Mt 21, 11. 19) 9, 9. Vulg.: *Veniet.* 20) Mal 3, 1. 21) 1 Cor 1, 23. 22) Cf. Est 2, 8-18.

ex lapidibus pretiosis constructo auroque ornato;[23] sic arca Domini ex lignis erat, sed intrinsecus et extrinsecus auro tecta.[24] Sacra humanitas Christi erat sicut velum operiens sanctum sanctorum, mira varietate ornatum, sicut *Rationale* summi pontificis auro gemmisque ornatum et instructum.[25]

Saepe Divinae Litterae loquuntur de divinis humanitatis Christi ornamentis.

Egit Deus cum humanitate Christi in incarnatione quod egit cum corpore Christi in transfiguratione, quando *resplenduit facies eius sicut sol.*[26] Hinc saepe Divinae Litterae loquuntur de mirabilibus ac divinis humanitatis Christi ornamentis. Hinc Isaias: *Parvulus natus est nobis et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius, et vocabitur nomen,* etc.;[27] sic alibi: *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiae et intellectus,* etc.;[28] sic Ieremias: *Suscitabo David germen iustum et regnabit rex et sapiens erit et faciet iudicium et iustitiam in terra;*[29] sic Ioannes: *Verbum caro factum est et habitavit in nobis, et vidimus gloriam eius gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.*[30]

Semper Christus mirabilis est: in vita, passione, resurrectione et ascensione;

Sic semper Christus homo mirabilis ostenditur in incarnatione, quia opera Spiritus Sancti in Virgine concipitur, ab Angelo nuntiatus Virgini: *Ecce virgo concipiet et pariet filium;*[31] mirabilis in nativitate: natus, pannis involutus reponitur in praesepio, sed adoratur ab Angelis, a pastoribus,[32] a Magis, principibus et sapientibus viris, adoratur et muneratur;[33] mirabilis in baptismo, nam declaratur Filius Dei, repletur Spiritu Sancto, caeli aperiuntur super eum;[34] mirabilis in deserto, nam ieiunat quadraginta diebus, sicut Moyses[35] et Elias,[36] superat diabolum, ministratur ab Angelis;[37] mirabilis in vita, sanctitate divina, doctrina caelesti, miraculis supernaturalibus; mirabilis in passione, nam totum commovit universum: caelestia, terrestria et infernalia;[38] tandem mirabilis in resurrectione, in ascensione;[39] mirabilis supra modum in caelo, sedens ad dexteram Dei, super omnes choros angelicos exaltatus. Sic sacra

23) Cf. 2 Par 7, 1-3. 24) Cf. Ex 40, 31 sqq. 25) Cf. ibid. 39, 8-19. 26) Mt 17, 2. 27) 9, 6. 28) 11, 2. 29) 23, 5. 30) 1, 14. 31) Mt 1, 20-23; Is 7, 14. 32) Cf. Lc 2, 13-18. 33) Cf. Mt 2, 1-11. 34) Cf. ibid. 3, 13 sqq.: Mc 1, 9-12; Lc 3, 21-22. 35) Cf. Ex 24, 18; Dt 9, 9. 36) Cf. 3 Rg 19, 8. 37) Cf. Mt 4, 1-11; Lc 4, 1-13. 38) Cf. Mt 27, 45-53; Mc 15, 33-38; Lc 23, 44-45. 39) Cf. Act 1, 3-11.

Christi humanitas caelestibus divinisque ornamentis mirabiliter exornata fuit, ut digna esset unione Divini Verbi.

hodie mirabilis ostenditur maiestate, virtute, operibus,

Mirabilis hodie Christus ostenditur maiestate, virtute, operibus. Maiestate, quoniam cum homo esset privatus et de plebe, tamen tanquam rex triumphans ingreditur Ierosolymam; virtute, quia solus ipse omnes eiecit de templo; operibus, quia multa operatur miracula: videntes mirabilia quae fecit, *accesserunt caeci et claudi et curavit eos.* [40]

ideo appellatur rex et propheta.

Hodie Christus a Z a c h a r i a *Rex* dictus est, a populis autem *Propheta,* nam rex simul et propheta fuit, sicut Moyses, sicut David, sicut Salomon, ut ipsius doctrina summae auctoritatis esset apud omnes. Ostenditur mirabilis homo et verus Deus, talem enim se declarat, non tantum miraculis, verum etiam Scripturae testimoniis: *Nunquam legistis*: *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem?* [41] Summi autem momenti est Christum agnoscere regem, ut ait Z a c h a r i a s, et prophetam, ut dicunt populi, nam Prophetae etiam occulta cordium videbant, sicut Eliseus novit occulta Giezi. [42] Rex Christus est potentissimus, sapientissimus, optimus, fortunatissimus, propheta autem sanctissimus Divinoque Spiritu plenissimus, princeps Prophetarum.

Duplici via Deus cognoscitur:

IV. *Quis est hic?* Magnum miraculum Christus est, quoniam Deus et homo est, Deus verus, homo perfectus, Deus humanatus, homo deificatus, Deo factus aequalis. Non potest vere cognosci Christus quis et qualis sit, nisi vere cognoscatur Deus, sicut non vere cognosci potest quid sit homo, nisi vere prius cognoscatur quis sit anima rationalis, qua homo est homo. Deus autem duplici cognoscitur via: altera quidem naturali, altera vero supernaturali, ex natura divinitus condita et ex Scriptura caelitus revelata. Sic R e g i u s V a t e s in *Psalmo 18* duplicem hanc viam insinuavit, primo naturalem: *Caeli enarrant gloriam Dei et opera manuum eius annuntiat firmamentum;* [43] postea supernaturalem: *Lex Domini immaculata convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam praestans*

40) Mt 21, 12-14. Vulg.: *Et sanavit eos.* 41) Ibid. vr. 16. 42) Cf. 4 Rg 5, 24-26.
43) Vr. 1.

parvulis.[44] Cognosci potest Deus per philosophiam et per theologiam. Multi philosophi Deum agnoverunt ex contemplatione naturae, nam, ut Paulus ait, *invisibilia* Dei *a creatura mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas.*[45] Sic ex motu devenerunt in cognitionem primi motoris, primae omnium causae et principii, a quo caelum et natura dependent.

naturali,

Indicat autem Regius Vates naturales nonnullas rationes, quibus demonstratur Deum esse mundi huius auctorem et moderatorem. Primo quidem a mirabili magnitudine caeli: *Caeli enarrant gloriam Dei,* sicut opus laudat artificem. Sunt autem caeli magnitudine et altitudine sua supra modum mirabiles, hinc hebraice dicuntur *samaim* a *samam,* quod stuporem significat.[46] Itemque a pulcritudine et ornatu firmamenti; firmamentum nanque mirabili ornatu stellarum praedicat se esse opus manuum Dei, artificis omnipotentis, sapientissimi, optimi, palatium summi Dei, non casu factum, sed summa Dei sapientia et arte fabricatum. Quam stultus esset qui regale palatium, maximum, ordinatissimum, pulcherrimum, ornatissimum, quale fuit palatium Salomonis pro deliciis in Salem fabricatum, casu factum esse praerupto monte, aut instar arboris natum exortumque de terra [putaret]!

quod ostendit R. Vates a magnitudine caeli,

a firmamenti pulcritudine,

Alteram adhuc rationem adhibet ab ordinatissima temporum serie et dispositione: *Dies diei eructat verbum et nox nocti indicat scientiam.*[47] Dies diei succedens, ordo temporum perpetuus, series et dispositio dierum ac noctium, dant cognitionem Dei, indicant mundum hunc opus Dei esse, sicut ordinatissimum horologium non potest non sapientissimi artificis opus esse, hinc totus fere mundus a caelo edoctus est philosophiam hanc divinae cognitionis. *Non sunt loquelae neque sermones, quorum non audiantur voces eorum,* hoc est non ita loquuntur caeli, dum praedicant gloriam Dei, ut audiri et intelligi non possint, hinc: *In omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum.*[48] Sic omne hominum genus

a temporum ordinatissima serie,

44) Ibid. vr. 8. 45) Rom 1, 20. 46) Cf. supra, Feria quinta post diem Cinerum, pag. 34, not. 32. 47) Ps 18, 3. 48) Ibid. vrr. 4-5.

ubique Deum agnoscit, confitetur, adorat in caelo, ita ut sicut naturalis homo patrem reveretur et amat, ita omnis homo Deum, ut ait Tertullianus *Apologetico,* ostendens Deum esse testimonio « animae, inquit, naturaliter christianae »,[49] quoniam naturali instinctu homo ad Deum fertur, Deum confitetur in caelo, Deum invocat, Deum supplex adorat.

a sole, cui tribuere videtur motum veluti rationalem et generationem naturalem;

Praeterea aliam adducit rationem a sole sumptam: *In sole posuit tabernaculum suum,* hebraice: *Soli posuit tabernaculum in eis,* idest caelis, *et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo; exultavit ut gigas ad currendam viam... nec est qui se abscondat a calore eius.*[50] Appellat solem habitatorem caeli, quod caelum sit veluti palatium solis; ipsum etiam dicit sponsum naturae et gigantem fortem, indefessum, infatigabilem; tribuit soli motum veluti rationalem, tribuit et generationem naturalem. Dictu plane mirabile est! Naturalia quaeque ita operationes suas exequuntur ac si ratione praedita essent; sol ita motum suum moderatur tum diurnum tum accessus et recessus ac si ratione praeditus sciret atque cognosceret universalis creaturae ad rerum procreationem et conservationem ita expedire, ut sint in mundo dies et nox, aestas et hiems miraque temporum varietas. Sic etiam videmus bruta animalia exequi operationes suas quoad vitae conservationem et filiorum educationem, ac si ratione praedita essent.

unde dare necesse est universalem rationem omnia disponentem,

Necesse est ergo dare universalem rationem omnia disponentem, nam si puer recitat elegantissimam orationem latinis graecisque et hebraicis sententiis, prosa et versu ornatissimam, statim intelligimus doctum habere praeceptorem, qui orationem illam composuit, cum puerulo illi per aetatem non liceat; et si organum aut quodvis aliud musicum instrumentum audimus sonum edere maxime harmonicum mira proportione constantem longeque suavissimum, statim intelligimus musicum artificem soni illius causam; ita plane operationes rerum naturalium ostendunt Deum omnium sapientissimum auctorem.

Praeterea, cum sponsum naturae appellat, ex ipsa naturalium

49) Cp. 17, (P. L. 1, 377). 50) Ps 18, 6-7.

rerum generatione vult ut Deum cognoscamus. Manifestum est quod ars imitatur naturam, sed aequare non potest. Quid est autem ars, nisi opus rationis, intellectus, mentis? Bruta nanque animalia artes discere non valent, ut possint scribere, pingere aut quodvis opus cuiusvis artis operari. Opera ergo naturae opera sunt multo altioris intellectus et mentis, quam opera artis. Quisnam est hic intellectus? quaenam haec mens, cuius opera humanus intellectus vix imitari possit, vix capere et verbis explicare? Quis ex semente in terra plantam pulcherrimam, arborem maximam format et creat? Quis ex modico semine in utero mulieris format mirabilem machinam corporis humani tanta arte constantem? Si naturam dicis, explica quidnam sit haec natura tanta potentia et sapientia praeditam, ne nos ignoto hoc nomine illudas, ut certissimos effectus ac maxime notos tribuas incertae et ignotae causae. Natura ista quidnam est? terra? aqua? aer? ignis? caelum? sol? luna? Quidnam est quae tam potenter, tam sapienter talia et tanta universum per orbem, terra marique agit et operatur? Natura haec invisibilis est, magna est, ubique est, quia ubique operatur, potentissima et sapientissima est. Ergo Deus est. Cur ergo naturam dicis? Cur non manifeste Deum dicis, cum praeter Deum ignores quid dicas cum naturam dicis? Sic mens humana per artem divinam mentem artemque imitatur.

nullus enim intellectus humanus aequare potest opera naturae.

V. His igitur rationibus, ex naturae ipsius promptuariis et naturalis philosophiae fontibus manifeste desumptis, Regius Vates optime philosophatus Deum demonstrat. Postea a philosophia naturali ad supernaturalem transit theologiam: *Lex Domini immaculata*[51] est.

Sed clarius Deus cognoscitur via supernaturali,

Sed non est animus rationes indicare, quibus Deus ex Divinis Scripturis cognoscitur longe clarius quam ex naturae operibus. Cognoscitur nanque Deus ex natura, sicut pictor ex tabula, sicut artifex omnis ex suis operibus, sicut rex condita civitate, arce, palatio, templo quam magnificentissimo; sed ex Scriptura cognoscitur sicut

ex Scriptura, quam ex naturae operibus.

51) Ibid. vr. 8.

princeps ex verissima et absolutissima historia. Cupiens autem Deus a nobis perfecte cognosci, quoniam ad hoc non sufficiebat natura, adhibita est divinitus revelata Scriptura, quae multo clarius docet divina et naturales etiam divinitatis demonstrationes tradit, multo firmiores rationibus philosophorum Platonis atque Aristotelis.

Ratio Aristotelis falso nititur fundamento;

Nam ratio Aristotelis sumpta a motu ad indagandum primum motorem infinitae virtutis, Deum, falso nititur fundamento, quod omne quod movetur, ab alio movetur.[52] Hoc enim verum est in motu violento, non in motu naturali, nam quod naturali motu movetur, a principio intrinseco suapte natura et virtute movetur.

rationes autem R. Vatis verissimae sunt.

Rationes autem Regii Vatis, quas explicavimus, verissimae sunt. Et prima quidem axioma verissimum supponit, quod omnis effectus a causa est, magnus effectus a magna causa, sicut lumen a luminari. Cum igitur mundus hic magnum sit opus, ergo maximam habet causam, omnipotentem Deum.

Secunda autem ratio praesupponit quod ordo et dispositio rerum pendet a ratione, ab intellectu, a mente; sic ordo reipublicae, civitatis, exercitus, ordo et dispositio familiae a rectoris prudentia. Cum igitur in mundo magnus sit ordo, maxime vero ordinatissima series et dispositio temporum a motu ordinatissimo atque perpetua caelestium luminarium, manifestum est ordinem hunc ab aliqua ratione et mente altissima pendere.

Ex vera Dei cognitione oriuntur omnia bona.

VI. Deum vere cognoscere maximi refert, nam sicut lux prima omnium operationum divinarum fuit in mundi creatione, sic Dei cognitio basis et fundamentum est totius vitae christianae; hinc fides, qua Deum cognoscimus, dicta est a Paulo *substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium.*[53] Ignotum enim bonum, licet magnum et maxime desiderabile et amabile, non tamen amatur, ut in thesauro occulto et ignoto, sed qui eum invenit homo gaudet et maximi facit. Sicut autem in arbore omnis virtus pendet a radice, aucta autem radice, tota arbor crescit atque fructificat, ita

52) *Physicorum*, lib. 6, text. 32, 88; lib. 7, text. 3, 10; lib. 8, text. 27-40; *Metaphysicorum*, lib. 12, text. 36. 53) Hebr 11, 1. Vulg.: *Sperandarum substantia rerum*, etc.

accidit in cognitione Dei. Ex ignorantia autem Dei et rerum divinarum infinita oriuntur mala: quia *non est scientia Dei in terra, maledictum et mendacium... et adulterium et furtum inundaverunt et sanguis sanguinem tetigit;*[54] *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus. Corrupti sunt et abominabiles facti sunt... non est qui faciat bonum;*[55] qui Deum vere non norunt, nec vere colunt, sed *confitentur se nosse Deum, factis autem negant.*[56] Clarum est in hodierno Evangelio.

ex eius vero ignorantia omnia mala,

Venit Christus in templum, invenit in templo Iudaeos, qui fideles habebantur et Deum se nosse dicebant: *Notus in Iudaea Deus, in Israel magnum nomen eius.*[57] Sed quid faciebant in templo Iudaei? sacrificabant? orabant? adorabant Deum? audiebant verbum Dei? assistebant divinis laudibus? Minime! Negotiis, mercaturae, avaritiae, fraudibus operam dabant: Invenit in templo vendentes et ementes et omnes eiecit de templo dicens: *Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum.*[58] Sic Deum ignorantes, temporalia lucra, pecuniam, Deo praeferebant, acquirendae et cumulandae pecuniae per fas et nefas operam dabant: *Fecistis speluncam latronum.* Qui autem Christum agnoscebant, sequebantur, laudabant, honorabant acclamationibus, palmis, vestibus, hinc et caeci et claudi agnoscentes Christi virtutem et potentiam, *accesserunt ad eum... et curavit eos.*[59] O beatos qui Christum vere agnoscunt et ad eum accedunt!

sicut vidimus in Iudaeis, qui Deum ignorantes, sola mundana quaerebant.

II. ALIA HOMILIA

Quis est hic? [1]

I. Christi contemplatione hodie oculi sanctae civitatis Ierusalem plurimum pascebantur. Ipse enim est mons Domini ad pascendos greges fidelium optimus atque pinguissimus,[2] hinc in *Canticis*

Proponitur hodie Christi contemplatio.

54) Os 4, 1-2. Vulg.: *Furtum et adulterium,* etc. 55) Ps 13, 1; 52, 1-2.
56) Tit 1, 16. 57) Ps 75, 1. 58) Mt 21, 13. 59) Ibid. vr. 14. Vulg.: *Sanavit eos.*

1) Mt 21, 10. 2) Cf. Is 25, 6.

legimus sponsae dictum: *Caput tuum sicut Carmelus,*[3] caput autem Ecclesiae Christus; Carmelus autem mons erat amoenissimus et feracissimus, praebens gregibus optimum pabulum.

Pluribus modis Deus agnoscitur ex Scripturis Sacris;

Deus in Sacris Litteris agnoscitur pluribus modis, sed praecipue ab operibus creationis et providentiae, deinde a sacris imaginibus et hieroglyphicis, sic dicitur ignis, lux, fons aquarum viventium, sic pluribus modis apparuit Patriarchis atque Prophetis; aliquando a divinis laudibus, cum laudatur divina maiestas, potentia, sapientia, bonitas, caritas, etc.; aliquando rationibus mysticae theologiae, quae ostendit quidnam non sit Deus: *Non est Deus ut mutetur, neque filius hominis ut mentiatur;*[4] *Ego Deus et non homo;*[5] aliquando modis theologiae symbolicae, quae ex perfectionibus creaturarum colligit divinarum operationum thesaurum, nunc usa similitudinibus, cum Deum dicit regem, patrem, sponsum, pastorem, solem, fontem, etc., nunc comparationibus, collatione facta creaturae ad creatorem, mundi ad Deum, quem *caelum et caeli caelorum capere non possunt;*[6] sic Isaias ait omnem creaturam Dei comparatione veluti nihil esse.[7]

ita et Christus.

Ita omnibus hisce modis cognoscitur Christus. Ab operibus: *Videntes... mirabilia quae fecit,*[8] purgavit templum, illuminavit caecos, rectificavit claudos, etc.; a sacris imaginibus, nam templum imago Christi erat: *Solvite templum hoc; de templo corporis sui;*[9] a laudibus populorum: *Hic est Iesus propheta;*[10] puerorum: *Hosanna Filio David, benedictus qui venit in nomine Domini;*[11] *Ex ore infantium perfecisti laudem;*[12] ab oraculo Prophetae: *Ecce rex tuus venit tibi iustus et salvator;*[13] a rationibus theologiae mysticae et symbolicae: magno mysterio Christus super asinum sedens ingreditur Ierosolymam, et solus ipse super asinum sedens,[14] *qui sedet supra Cherubim.*[15] Utinam hoc vel maxime de Christo agnoscamus!

Asinus enim hic totum mundum significat, universum ipsum designat, angelicam etiam naturam. Talis et tanta est divina Christi

3) 7, 5. 4) Nm 23, 19. Vulg.: *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur.* 5) Os 11, 9. Vulg.: *Deus ego*, etc.
6) 3 Rg 8, 27; 2 Par 2, 6. 7) Cf. 40, 17. 8) Mt 21, 15.
9) Io 2, 19. 21. 10) Mt 21, 11. 11) Ibid. vr. 9. 12) Ps 8, 3. 13) Zach 9, 9. Vulg.: *Veniet.* 14) Cf. Mt 21, 7. 15) Ps 98, 1.

maiestas, ut illius comparatione angelica natura, nobilissima, potentissima, sapientissima, sanctissima, animal sit humile, debile, unde secundum legem immundum. Dei nanque infinita est nobilitas, potentia, sapientia; sanctitas Angelorum finita, finiti autem ad infinitum quae comparatio? quae proportio?

Magnitudo Christi infinite excedit magnitudinem Angelorum,

Ostenditur Christus solus mundi monarcha, sed infinitae maiestatis, potentiae, sapientiae, bonitatis. Utinam hoc vere cognoscamus, Christum principem esse et solum principem, mundi monarcham, et talem principem maximum, ubique regnantem in caelo, in terra, in inferno, qui in aeternum regnabit: *Potestas eius potestas aeterna quae non auferetur;*[16] *Regnabit in domo Iacob in aeternum et regni eius non erit finis;*[17] lapis ille apud Danielem, qui, statua illa mirabili ad nihilum redacta, totum implevit orbem, factus mons maximus et aeternus;[18] Principem tandem sapientissimum: *Omnia nuda et aperta sunt oculis eius;*[19] ac tandem animi optimi, integerrimi, incorruptissimi, qui patratis hodie operibus ostendit simul et severitatem et clementiam suam una cum divina potentia: severitatem quidem qua omnes vendentes et ementes eiecit de templo severe obiurgatos: *Scriptum est*: *Domus mea domus orationis est, vos autem,* etc.;[20] clementiam vero qua sanavit caecos et claudos, qui accesserunt ad eum.[21]

est enim Monarcha ubique regnans in aeternum,

sapientissimus et optimus,

severus et clementissimus.

Dulcis et rectus Dominus:[22] dulcem se et rectum operibus ostendit, quoniam princeps hic noster religiosissimus est, ingressus in civitatem venit in templum; princeps honoris divini zelantissimus, sicut Moyses, hinc ait: *Zelus domus tuae comedit me.*[23] Quanti refert reipublicae ut princeps pius sit et religiosus, ardens zelo divini honoris, cum Dei minister sit!

II. Cum agatur in hodierno Evangelio de cognitione Christi, sciendum quod princeps aliquis quattuor fere modis cognosci potest. Primo ab aspectu, a conversatione; secundo ab operibus ipsius, puta ab aedificiis, a machinis; tertio ab imaginibus ipsum ad amus-

Christus princeps est,

16) Dn 7, 14. 17) Lc 1, 32-33. 18) Cf. 2, 31-45. 19) Hebr 4, 13. 20) Mt 21, 13. 21) Cf. ibid. vr. 14. 22) Ps 24, 8. 23) Ps 68, 10; Io 2, 17.

sim referentibus; quarto ab historia, quae ipsius vitam, mores et gesta pro veritate narrat, sive a fama. Ita Deus. Sed primo modo nonnisi in caelo, alioquin: *Non videbit me homo et vivet;*[24] aliis modis cognosci etiam in hac vita potest ex contemplatione universi, ex homine, qui ipsius imago est, ex Scriptura, quae divina historia est. Similiter Christus ab Ecclesia, ab homine vere christiano, qui ipsius imago est, et ab Evangelio, quod vitam, mores et gesta ipsius verissime narrat.

et talis cognoscitur hodie ab operibus, oraculis Scripturae et fide populorum.

Christus autem hodie tanquam princeps nobis repraesentatur. Principis autem huius ostenditur primo quidem maiestas atque potestas superhumana, vere divina; deinde pietas in Deum zelusque divini honoris; insuper severitas punitionis et tandem clementia et viscera pietatis erga miseros, dum *accesserunt ad eum caeci et claudi et curavit eos.*[25] Cognoscendum autem se praebuit manifesta exhibitione praesentiae suae operibus editis, oraculis Scripturarum: *Nunquam legistis: Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem?* et fide ac confessione fidelium populorum, qui dicebant: *Hic est Iesus propheta,* etc.

III. ALIA HOMILIA[1]

Tria habemus hodie de Christo:

I. Habemus in hodierno Evangelio novum insolitumque in persona Christi spectaculum, quod totam civitatem admiratione replet: *Commota est universa civitas dicens*: *Quis est hic?*[2] Habemus divinas laudes ipsius: *Populi dicebant*: *Hic est Iesus ille propheta a Nazareth Galilaeae;*[3] pueri clamabant: *Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini;*[4] et ipse ait: *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem;*[5] quo ostendit divinas prorsus has esse laudes, non humanas, quoniam earum Deus et auctor et finis fuit, a Deo erant et ad ipsius gloriam, ad confusionem autem inimicorum

24) Ex 33, 20. 25) Mt 21, 14. Vulg.: *Et sanavit eos.*

1) Atramento clariori exarata. 2) Mt 21, 10. 3) Ibid. vr. 11. Ex graeco. 4) Ibid. vr. 9. 5) Ibid. vr. 16.

ipsius. Praeter autem mirabilem ingressum et mirabiles laudes, habemus etiam mirabilia opera: *Videntes*, inquit, *mirabilia quae faciebat,*[6] idest miracula, nam *accesserunt ad eum caeci et claudi et curavit eos.*[7] Sed facinus supra modum illustre et mirabile est divini templi purgatio.

Mirabilis ingressus, quia cum privata tunc esset persona et pauper, ita ut nonnisi humili asello et quidem alieno veheretur, suscipitur tamen tanquam rex, rex non solum novus, verum etiam triumphator, cum faustis acclamationibus: *Hosanna,* quasi: vivat Rex; *benedictus qui venit*: prosper, felix et faustus sit adventus; *rex Israel; Benedictum quod venit regnum patris nostri David, hosanna,*[8] *pax in caelo et gloria in excelsis!*[9] Precantur novo regi a Deo salutem, pacem, idest omnem felicitatem et gloriam, a Deo, inquam, qui in caelis habitat, ut caelitus divinitusque fortunaretur. **mirabilem ingressum eius in Ierusalem,**

Mirabiles laudes, nam agnoscitur et praedicatur verus Messias divinitus missus, hoc enim est: *Benedictus qui venit in nomine Domini;* hoc est: *hosanna Filio David,* idest vero Messiae, sic enim Messiam appellare solent Iudaei; hoc est quod aiunt: *Rex Israel et regnum David.* Eo autem mirabiliores sunt laudes hae quo nonnisi a Deo sunt: *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem,*[9a] hebraice: *fundasti virtutem;* sed *virtutem,* quia laudis obiectum est, laudem dixit; *fundasti* autem, idest optime fundatam, stabilem perpetuamque virtutis laudem tibi comparasti, ut cessare faceres inimicum. **mirabiles populi laudes,**

Mirabilia opera, quia multa sunt hic miracula, sed, ut Hieronymus ait, maximum omnium eiectio multitudinis de templo:[10] *Omnes vendentes et ementes,* etc.[11] **mirabilia opera.**

II. Egit hic Christus Ecclesiae reformatorem, ubi tria consideranda sunt: reformator Christus, reformatum templum et reformationis modus. Quoad primum, ad reformandam Ecclesiam suam Deus, quotiescumque vidit primam sanctitatis formam labefactatam, **Egit hodie Christus reformatorem,**

6) Ibid. vr. 15. Vulg.: *Quae fecit.* 7) Ibid. vr. 14. Vulg.: *Et sanavit eos.*
8) Mc 11, 10. 9) Lc 19, 38. 9a) Ps 8, 3.
10) Cf. *Comment. in Evang. Matthaei,* lib. 3, (P. L. 26, 152). 11) Mt 21, 12.

semper misit viros sanctissimos divina auctoritate praeditos, sic misit Moysen, sic Samuelem, sic Eliam, sic Eliseum, sic tandem Christum. Moysen misit summa vitae sanctitate zeloque religionis et pietatis divinae, summa auctoritate donatum, ita ut doctrina tum vitae sanctitate, tum miraculorum virtute comprobaretur divinaque crederetur. Sic promisit se missurum Prophetas Moysi similes ad verbum Dei praedicandum, vita sanctos et miraculis insignes.[12] Sic hodie Reformator noster Propheta dicitur: *Hic est Iesus propheta a Nazareth.* Sic alibi dicitur: *Propheta magnus surrexit in nobis,*[13] et: *Hic est Propheta, qui venturus est in mundum;*[14] *Qui fuit vir propheta, potens in opere et sermone;*[15] Omnes *sicut prophetam eum habebant,*[16] hoc est virum sanctissimum, sicut de Ioanne dicitur quod fuerit propheta et plusquam propheta;[17] Prophetae enim viri sanctissimi habebantur.

In eo enim reperitur summa vitae sanctitas,

Sed praeter vitae sanctitatem in reformatore requiritur etiam auctoritas, hinc dicunt Christo: *In qua potestate haec facis?* aut *quis dedit tibi hanc potestatem?*[18] Nemo, inquiunt, privata auctoritate potest Ecclesiam reformare, absque auctoritate publica fieri non potest. Si tu, cum privatus homo sis, non princeps, rex aut pontifex, nullam habes auctoritatem, quomodo hoc facis? Si habes, a quo habes? A pontifice? ab imperatore? a Deo? A quo habes? Sic alias, cum primum purgavit templum, dixerunt ei: *Quod signum ostendis nobis quia haec facis?*[19] Respondit nunc Dominus ut dicerent ipsi prius qua auctoritate baptizaret Ioannes, divina an humana?[20] insinuans quod sicut divina auctoritate Ioannes baptizabat, ita ipse templum reformabat, ita auctoritatem divinam miraculis, sicut Moyses, confirmabat. Ut igitur Dominus Ecclesiam reformaret, voluit prius agnosci verus propheta, vita sanctus et miraculorum operatione insignis, sicut Elias, Eliseus et alii, doctrinamque suam, praeter vitae sanctitatem, miraculis et Divinarum Scripturarum testimoniis confirmabat.

summa auctoritas

et miraculorum virtus;

Imo non solum propheta agnosci voluit, sed etiam verus Mes-

12) Cf. Dt 18, 15-18. 13) Lc 7, 18. 14) Io 6, 14. 15) Lc 24, 19. 16) Mt 14, 5. 17) Cf. ibid. 11, 9; Lc 7, 26. 18) Mt 21, 23. 19) Io 2, 18. 20) Cf. Mt 21, 25.

sias, de quo scriptum est: *Veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis... Ipse quasi ignis conflans... et sedebit conflans et emundans argentum et purgabit filios Levi.* [21] Venturus erat Messias ad purgandum Dei cultum, ad reformandam Ecclesiam. Sic hodie confitentur eum Messiam dum aiunt: *Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel.* Nam ad reformandum requiritur publica auctoritas [quae] ad principem spectat. Hinc simplex propheta, licet a Deo missus, praedicare poterat, reformare non poterat. Ieremias missus fuit ad praedicandum, [22] non ad reformandum, hinc nullam sibi arrogavit, nullam usurpavit auctoritatem; Ioannes Baptista similiter, licet a Deo missus esset, nullam tamen usurpavit sibi in populum auctoritatem, nisi arguendo vitia. [23] Moyses reformavit quia princeps, Eliseus quia princeps; ita Christus hodie, agnitus, acceptatus princeps, reformat Ecclesiam, licet etiam sine hoc tanquam verus Filius Dei verusque dominus templi - *Veniet ad templum suum,* - facere potuisset.

Imo hodie ostenditur non solum propheta, sed etiam verus Messias.

III. Nunc dicant novi evangelistae in qua potestate haec faciunt. Quis dedit eis hanc potestatem reformandi Ecclesiam, hoc est reducendi eam in primam formam, quam habebat, priusquam in Christum crederet, in ethnicismum, in atheismum? Dicunt se a Deo extraordinarie missos; sed hoc dicunt omnes haeretici, hoc etiam Mahumetes. [24] Num simpliciter credendum omnibus? Ad reformandam Ecclesiam Deus providit semper Sanctissimos Pontifices, Episcopos, Pastores et Doctores, Sacra Concilia, quorum auctoritate saepe reformata est ecclesiastica disciplina vitaque fidelium depravata. Ipsi quinam sunt? unde venerunt? Quis dedit illis potestatem hanc censoriam, reformatricem? Aiunt se missos sicut Ioannes, absque miraculis. [25] Bene, Ioannes quidem miraculum nullum fecit, [26] sed totus miraculum fuit: miraculo conceptus, miraculo natus, miraculo edu-

Has notas exhibere nequeunt novatores.

21) Mal 3, 1-3. 22) Cf. Ier 1, 4 sqq. 23) Cf. Mt 3, 1-12; Mc 1, 4-7; Lc 3, 2-18; Io 1, 19-36. 24) Cf. Bart. Edessenus *Confutatio Mahumetis,* (P. G. 104, 1447-1458); Io. Cantacuzenus *Contra sectam Mahumeticam Apologiae,* ibid. 154, 371 sqq.; *Contra Mahometem Orationes* ibid. col. 583 sqq. 25) Ita de se sentiebat Lutherus. Cf. S. Laurentius a Br. *Hypotyposis,* part. 1, pag. 62-76; part. 3, pag. 42. 26) Cf. Io 10, 41.

catus, miraculo in deserto tot annis divinitus potius quam humanitus servatus, Ioannes vaticiniis illustratus. Horum autem novorum evangelistarum nullum legimus vaticinium, nisi quod futuri erant haeretici. Deinde Ioannes nullam sibi arrogavit auctoritatem, nec populum ab obedientia principum et sacerdotum avocavit, non novam Ecclesiam novamque fidem invexit.

qui non reformatores, sed eversores sunt religionis.

Reformavit autem Christus Ecclesiam, purgavit templum, non autem destruxit aut funditus evertit, non usum abstulit, sed abusum damnavit, nam: *Veniet,* inquit, *ad templum suum... et purgabit filios Levi,* ut purgati offerrent Domino sacrificia in iustitia et placerent Domino sacrificia, etc. Sic non civitatem, sed templum purgare et reformare voluit, nam, optime purgato stomacho, totum corpus purgatur et saluti restituitur. Non evertit tunc Christus altare, non damnavit sacrificia, non abstulit sacerdotium, non redegit in nihilum Dei cultum, sed tantum voluit ut pie Deus et pure coleretur: *Scriptum est: Quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus, vos autem fecistis illam speluncam latronum.* [27] Novi autem evangelistae novique reformatores omnia funditus evertunt, sicut Chaldaei cum templo egerunt; [28] ministri sunt regis Babylonis, non Christi, non Dei, ministri satanae transfigurati, etc.

Ostenditur etiam modus quo Christus reformatorem agit.

Modus item reformationis ostenditur in hodierno Evangelio, nam zelo plenus Christus, non verbo tantum, verum etiam manibus utitur una cum lingua, sicque gravi correptione perculsos eiicit de templo nihilque penitus veretur inimicos suos principes, scribas, Pharisaeos, licet potentissimos; ubi pietatis et violatae religionis causa intercedit, praefert divinum honorem quibusvis propriis commodis ac ipsi etiam vitae, sicut olim Sancti Prophetae faciebant.

An autem hac methodo novi evangelistae reformationem Ecclesiae procurarint, ipsi viderint; a fructibus cognoscitur arbor; ita Dominus ait: *A fructibus eorum cognoscetis eos;* nam *non potest arbor bona fructus malos facere.* [29] Eorum doctrina multos, imo pes-

27) Mt 21, 13; Mc 11, 17; Lc 19, 45. 28) Cf. 4 Rg 25, 8; 2 Par 36, 17-21.
29) Mt 7, 16. 18. Vulg.: *Malos fructus facere.*

simos fructus fecit; non ergo bona, non a Deo esse potuit, cum non ad aedificationem, sed ad destructionem Ecclesiae et religionis profecerit nil minus quam doctrina Mahumetis, nedum Simonis Magi aut Arii.

IV. Ad nostram autem instructionem sciendum est quod Dominus pietatem quidem et religionem a nobis requirit, sed puram, non sordibus vitiorum infectam et maculatam. Non placet Deo religio, nisi munda et immaculata fuerit, aliena pro viribus ab omni vitio et peccato, sicut etiam Deus ipse apud Isaiam 1 capite docet manifeste.[30] Hoc item est quod Dominus ait: *Nemo potest duobus dominis servire,*[31] nullum regnum duos reges contrarios habere, nulla mulier duos viros, duos maritos. Paulus ait: *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.*[32] Cavendum ne templum Dei in nobis violemus, ne nos Deus disperdat.

Dominus a nobis requirit pietatem puram, non vitiis infectam,

Agit hodie Dominus cum Iudaeis quod docuit in parabola de ficu infructuosa, Lucae 13,[33] et quod egit etiam cum ficu, quam sine fructu reperit, Matthaei 21; illam enim sine fructu repertam omnino perdidit suaque maledictione arefecit ac radicitus evulsit.[34] Sic, inquam, Iudaeos eradicat de templo, ac tunc *accesserunt ad eum*[35] *caeci et claudi et curavit eos;* sicut post pauca, proposita vineae parabola, dixit: *Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius.*[36]

quorum causa Iudaei de templo eiecti fuerunt

Aiunt iurisperiti quod qui abutitur privilegio indignus est privilegio;[37] sic qui abutitur religione, quae summum est privilegium, summa Dei erga nos gratia, indignus est religione, servitio et famulatu Dei. Cum princeps a sua aula ministros aliquos aulicosque eiicit ob sua demerita, magno profecto illi damno, magno dedecore afficiuntur; ita hodie Dominus Deus Christum visus est summa

ac indigni declarati famulatu Dei.

30) Cf. vrr. 1 sqq. 31) Mt 6, 24. 32) 1 Cor 3, 17. 33) Cf. vrr. 6-9.
34) Cf. vr. 19. 35) Ms.: *Eos.* 36) Mt 21, 43.
37) Axioma iuridicum ex Simplicio Papa, epistola 2, (P. L. 58, 36); Reiffenstuel *Ius Canonicum Univ.*, t. 4, lib. 5, tit. 33, § 7, pag. 297.

auctoritate donatum visitatorem instituisse ac veluti commissarium suum effecisse ad ministrandam aulam suam totamque curiam, ut ministros malos amoveat bonosque sufficiat. Ita egit hodie Dominus, eiiciens omnes vendentes et ementes de templo, nam: *Non potestis Deo servire et mammonae.*[38]

38) Mt 6, 24. Tribus paginis albis relictis, transit ad feriam sequentem.

FERIA QUARTA INFRA HEBDOMADAM PRIMAM QUADRAGESIMAE

Accesserunt ad Iesum scribae et Pharisaei dicentes: ***Magister, volumus a te signum videre.*** [1]

I. Sicut Hebraei in Aegypto nonnisi visis magnis et mirabilibus signis Moysi crediderunt eumque tanquam vere missum a Deo susceperunt in prophetam, legislatorem, ducem et principem, [2] ita hodie increduli et perfidi Iudaei signa et miracula de caelo petunt a Christo, quibus manifeste probaret se verum esse Messiam a Deo promissum et missum. Difficile erat creditu quod Moyses, pauper et humilis pastor, infinitae ac sempiternae maiestatis Dei nuncius et legatus esset; sed multo difficilius quod Christus, pauper et humilis, ut putabatur fabri filius, [3] verus esset Filius Dei verusque Deus. Ad probanda autem et confirmanda quae creditu difficilia sunt, adhibita sunt caelitus divina miracula.

Ad probanda creditu difficilia adhibita sunt miracula,

Cum Samuel dixisset Sauli asinario, quod futurus erat rex Israel, quoniam electus erat a Deo, quoniam Sauli incredibile videbatur, ad veritatem hanc confirmandam tria signa adhibuit, sicut in *1 Regum* legimus, impletis autem signis, confirmatus fuit Saul in fide prophetiae. [4] Gedeon etiam, signis divinitus acceptis, confirmatus fuit, quod ipse populum salvaturus erat de manu Madianitarum. [5] Hac de causa Christus in mundum venit, sed cum signis ad confirmandam fidem divinitatis suae, multo enim plura multoque maiora miracula operatus est, quam operati fuerint Moyses et Prophetae.

Ideo Christus multis signis probavit divinitatem suam,

1) Pericope huius diei Mt 12, 38 sqq. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Ex 4, 29 sqq. 3) Cf. Mt 13, 55; Mc 6, 3. 4) Cf. 10, 1-21. 5) Cf. Idc 6, 11 sqq.

Et tamen adhuc multi similes sunt Hebraeis in deserto, qui cum multa vidissent signa et miracula in Aegypto, in mari Rubro, in deserto, non tamen crediderunt, sed adhuc dubitantes et tentantes Deum, novum signum petierunt; sic multi fidem Christi adhuc in dubium revocant. Dubitant an Christus Dominus noster sit verus Messias, an vera sit fides Christi, vera christiana Religio: *Volumus a te signum videre,* quibus merito dici posset ac forte etiam deberet: *Generatio mala et adultera signum quaerit, et signum non dabitur ei.*[6]

et tamen multi adhuc dubitant.

Sed tamen, ut penitus nullam habeant excusationem, volo ut, Deo favente, signa veri Messiae ex Sacris Litteris videamus.

Demonstratur veritas christianae fidei ex Veteri Testamento.

Sicut autem heri demonstravimus Christi divinitatem divinamque veritatem, quod sit Deus in mundo, non ex promptuariis sacrae theologiae, sed ex archiviis naturalis philosophiae, ita hodie christianae fidei veritas demonstranda nobis est ex Scripturis, non christianorum, sed Iudaeorum, qui christiani nominis hostes sunt acerrimi et infensissimi.

Adventus Messiae promissus fuit Hebraeis

II. Promissus fuit Hebraeis Messias et adventus ipsius. Multa praedicta fuere dataque signa a Divinis Vatibus, sicut promissa fuit Abrahamo terra Chanaan post[7] quadringentos [annos], liberato populo de captivitate Aegypti. Promisit Deus Abrahamo tria: primo quidem numerosissimam posteritatem descendentium, innumerabilem populum; secundo terram Chanaan in hereditatem et possessionem perpetuam, et tertio adventum Messiae in mundum pro communi salute totius generis humani: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.*[8] Adimpleta fuit prima et secunda promissio, praesignatis temporibus adimplenda erat tertia, de adventu Messiae tempore suo: Cum *venit plenitudo temporis.*[9]

et signa data fuerunt huius adventus, ut patet in vaticiniis Iacob,

Signa autem adventus Messiae in mundum multa in Sacris Litteris legimus. Non est autem animus omnia afferre, sed tantum praeclariora et illustriora, quorum primum sit vaticinium Iacob patriarchae in *Sacra Genesi*: *Non auferetur sceptrum de Iuda et dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est.*[10] Loquitur de duplici

6) Mt 12, 39. 7) Ms.: *Post* bis ponitur. 8) Gn 22, 18; Act 3, 25.
9) Gal 4, 4. 10) 49, 10.

principatu, saeculari et sacro, qui a Moyse et Aaron coepere in populo. Haec autem quis non videat penitus defecisse in populo Iudaeorum?

Quis non videt impletum Oseae vaticinium: *Diebus multis sedebunt filii Israel sine rege, sine principe, sine sacrificio?*[11] Quomodo ergo non venit Messias a Deo promissus in mundum? - Alterum signum est apud Aggaeum, quod Messias venturus erat tempore secundi templi: *Magna erit gloria domus istius novissimae magis quam primae.*[12] Templum autem illud, ad quod Dominus venturus erat, sicut etiam Malachias ait: *Veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis et Angelus testamenti, quem vos vultis,*[13] iam ante mille quingentos annos destructum et solo aequatum est. - Tertium, quod sacrificia legis desitura erant: *Sacrificium et oblationem noluisti... tunc dixi: Ecce venio;*[14] *Non est mihi voluntas in vobis... et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus.*[15] - Quartum signum vaticinium septuaginta hebdomadarum Danielis, quod ante elapsas septuaginta hebdomadas annorum venturus erat Messias, occidendus erat et postea destruenda civitas cum templo.[16] Quis non videt hic clarissimam lucem veritatis? - Quintum signum est apud eumdem Danielem, quod Messias subiugaturus erat sibi romanum imperium. Quis non videt Romam Christo subiectam? - Praeterea sextum signum, quod in diebus Messiae gentes, relicta impietate idololatriae, convertendae erant ad religionem et cultum veri Dei. Hoc etiam quis non videt impletum? - Septimum tandem, quod erigenda erat nova Ecclesia cum nova lege, in qua sacer principatus, dignitas ecclesiastica supremum locum super omnes alias dignitates mundi possessura erat. Sic enim Isaias vaticinatur dicens: *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium... et confluent ad eum omnes gentes et ibunt populi multi dicentes: Venite, ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas et ambulabimus in semitis eius, quia de Sion exibit lex et verbum Domini de*

Oseae, Aggaei, Malachiae, Danielis, Isaiae et Michaeae,

11) 3, 4. Vulg.: *Dies multos*, etc. 12) 2, 10. 13) 3, 1. 14) Ps 39, 7-8. 15) Mal 1, 10-11. 16) Cf. 9, 21 sqq.

Ierusalem.[17] Eadem autem iisdem verbis vaticinatus fuit Michaeas.[18]

quae impleta iam sunt

Nunc autem haec omnia quis non videt impleta? Quis non videt novam Ecclesiam, novam legem, sublimem gradum ecclesiasticae dignitatis supra omnes alias dignitates in populo christiano? In antiqua enim synagoga non erat; sic Aaron pontifex inferior erat Moyse principe, sacerdos inferior, sacerdotum princeps et hierarcha regi inferior. Nunc autem non sic.

unde clarissimam ostendunt veritatem fidei nostrae.

Quis ergo ex tot tantisque signis tam manifestis, tam evidentibus non perspiciet veritatem? Samuel tria tantum signa dedit Sauli ad confirmandam veritatem, quod ex humili pastore constituendus erat rex serenissimus totius regni Israel, quod rationi humanae videri poterat incredibile. Signa autem fuere primum quidem, quod in itinere iuxta sepulcrum Rachelis obviam habiturus erat duos viros, qui nunciaturi erant ei de patre suo Cis, quod, inventis asinis, sollicitus erat de eo; alterum, quod inde progressus iuxta quercum Thabor inventurus erat tres viros euntes ad sacrificandum in Bethel, quorum unus portaret tres haedos, alter tres tortas panis, tertius amphoram vini, quodque daturi erant ei duos panes; postremum, quod ubi pervenisset ad collem Dei, ubi erat statio Philisthaeorum, obviam habiturus erat gregem prophetarum descendentium de excelso cum musicis instrumentis et prophetantium quodque Divino Spiritu afflatus et in virum alterum mutatus prophetaturus erat cum eis. Cum autem haec omnia Sauli evenissent ad unguem, uti Samuel praedixerat, certissimus redditus fuit de veritate.[19]

At nos signa habemus multo maiora, clariora, evidentiora, et adhuc dubitabimus de divina fidei nostrae veritate?

Extant etiam signa generalia, quae in Christo verissime reperta sunt.

Praeter haec autem adducam generalia signa, quae in *Deuteronomio* dedit Deus ad dignoscendum verum prophetam a falso, prophetam vere missum a Deo a propheta misso a satana. Signa autem: vera religio, si propheta Dei cultum praedicat, non autem cultum idolorum; alterum autem signum est veritas praedictionum, vera futurorum cognitio, divinatio, prognosticum verum, alioquin si mendax reperiretur, sicut prophetae Achab, mendaci spiritu pleni,

17) 2, 2-3. Vulg.: *Fluent populi multi et dicent,* etc. 18) Cf. 4, 1-2.
19) Cf. supra not. 4.

haberetur propheta falsus.[20] Verus igitur cultus Dei et vera futurorum praedictio signa sunt data a Deo ad cognoscendum prophetam verum, qui a Deo vere missus erat, sicut Moyses, cui per omnia credendum erat sicut Moysi, sicut ipsi Deo. Duo autem signa haec in Christo verissime reperta sunt ac multo certius, quam in aliis prophetis, hinc ait hodie: *Ecce plus quam Ionas hic; ecce plus quam Salomon hic.*[21] Verissimus ergo propheta.

III. *Magister, volumus a te signum videre* de caelo, idest signum quod certo certius a Deo esse cognoscatur, ita ut in illud nullum cadat dubium. Nam cum veritatem miraculorum Christi negare non possent, non tamen credebant de caelo esse, a Deo esse, satanae ea tribuebant, sicut dicebant: *In Beelzebub principe daemoniorum eiicit daemonia.*[22] At vero nunc multi dubitant de veritate miraculorum Christi, an vera sint miracula quae leguntur in Evangelio. Sed dico: si falsa sunt, quomodo credidit mundus tam opera mendacia tanta cum simplicitate narrata? Moyses veris et multis et magnis miraculis vix potuit Hebraeos ad verum Dei cultum convertere, et Christus sine miraculis ab idololatria innumeros populos ad veram religionem reduxerit? Hoc plane maximum divinissimumque miraculum! Sed non potest esse verus effectus ex fictis causis, ut ignis pictus vere ardeat uratque, arbor picta veros fructus producat. Hebraei nonnisi veris miraculis moti Moysi crediderunt et vix crediderunt; ita Christus miraculis mundum ad se traxit.

Multi dubitant de veritate miraculorum Christi,

Generatio mala et adultera signum quaerit.[23] Ostendit Dominus causam incredulitatis esse malitiam voluntatis, hinc alibi ait: *Si quis voluerit voluntatem eius facere,* qui misit me, hic *cognoscet, de doctrina mea utrum ex Deo sit.*[24] De amicis facile credimus bona, de inimicis mala pro voluntatis affectu. Quoniam fides Christi vitam requirit spiritualem, carni contrariam, sanctam, virtutibus omnibus ornatam, unde praedicat divinam providentiam, immortalitatem animae, divinum iudicium, gloriam paradisi, poenam inferni post hanc vitam, qui perverso animo ac vitiis depravato corruptoque iudicio secundum carnem vivere volunt, ut in vitiis voluptuosis vivant, absque ullo metu divini iudicii aut conscientiae re-

ob malam voluntatem, quae causa est incredulitatis.

20) Cf. 18, 18 sqq. 21) Mt 12, 41-42. 22) Ibid. vr. 24; Lc 11, 15. 23) Mt 12, 39.
24) Io 7, 17.

morsu, divina fidei nostrae mysteria credere nolunt, quia pro ingenti carnis libidine nec Deum esse vellent in mundo, ne metu Divini Numinis a vitiis arceantur.

Agitur hodie de incredulitate Pharisaeorum et fide Apostolorum,

IV. Agitur in hodierno Evangelio de incredulitate et fide: de incredulitate scribarum et Pharisaeorum: *Volumus a te signum videre;* de fide Apostolorum: *Extendens manum in discipulos suos dixit: Ecce mater mea et fratres mei; quicumque fecerit voluntatem Patris mei;* [25] *Qui verbum Dei audiunt et faciunt.* [25a] Hi sunt duo populi in Scripturis Sanctis, electorum et reproborum: *Populus populum superabit et maior serviet minori;* [26] hi duo regna, Israelitarum et Aegyptiorum; duae civitates, Ierusalem et Babylonia; duo greges ovium, Iacob et Laban, grex ovium quae statuendae sunt a dextris Christi in die iudicii, et grex haedorum qui collocandi sunt a sinistris; [27] qui cum Ninivitis et regina Austri in die iudicii salvandi sunt et cum perfidis Iudaeis damnandi. [28] Hinc ait Habacuc Propheta paucis verbis hodierni Evangelii mysteria complexus: *Qui incredulus est, non erit anima eius recta in eo; iustus autem ex fide vivit;* [29] ubi ostendit fidem esse arborem bonam, veluti arbor vitae, nam *lignum vitae est iis qui apprehenderint eam;* [30] incredulitatem autem arborem malam, sicut arbor scientiae quae homini fuit arbor mortis. [31] Hinc hodie Dominus incredulis comminatur perpetuam damnationem, quae mors secunda est, in die iudicii.

et ostenduntur fructus cum incredulitatis tum fidei.

Ostenduntur etiam fructus cum incredulitatis tum etiam fidei quamplurimi. Incredulitas arbor mala est, arbor mortis, cuius radix est mala voluntas: *Volumus a te signum videre,* sed mala utique voluntate: *Generatio mala et adultera; Sic fiet generationi huic pessimae.* [32] Truncus autem perniciosa curiositas est: *Volumus videre; Nisi videro... non credam,* [33] ait Thomas, cui dictum fuit: *Noli esse incredulus, sed fidelis.* [34] Rami vero sublimes animi superbaeque cogitationes: *Volumus a te signum videre* de caelo miraculum magnum, nobis utique dignum, non humile et plebeium. Hae sunt tres partes principales malae huius arboris: perversa voluntas, curiositas atque superbia. Fructus autem? Sicut de vinea Sodomorum ait

25) Mt 12, 49 sq. 25a) Lc 8, 21. 26) Gn 25, 23. 27) Cf. Mt 25, 33. 28) Cf. Ibid. 12, 41-42. 29) 2, 4. Vulg.: *Recta anima eius in semetipso,* etc. 30) Prv 3, 18. 31) Cf. Gn 3, 1 sqq. 32) Mt 12. 45. Vulg.: *Sic erit,* etc. 33) Io 20, 25. 34) Ibid. vr. 27.

Moyses: *Uva eorum uva fellis et botrus amarissimus; fel draconum vinum eorum et venenum aspidum insanabile.*[35] Plantatam videmus arborem hanc in solo petricoso, in duro corde scribarum et Pharisaeorum hodie; contemplemur fructus in eis.

Incredulitas reddit hominem perversum, indignum misericordia Dei, divinorum contemptorem.

Oritur ex incredulitate vita perversa et scelerosa, vitiis omnibus contaminata: *Generatio mala et adultera;* oritur indignitas consequendae misericordiae a Deo: *Signum petit et signum non dabitur ei;* oritur impoenitentia: *Viri Ninivitae surgent in iudicio contra generationem hanc, quia poenitentiam egerunt;*[36] oritur divinorum contemptus: *Regina Austri surget... quia venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis.*[37] Hinc incredulis lectio Sanctarum Scripturarum insipidissima est, stomachum movet; lectio autem gentilium philosophorum, oratorum, poetarum, historicorum, plena mendaciis, iucundissima illis est propter splendorem eloquentiae et orationis ornatum, non enim veritatem, sed vanitatem et oblectationem quaerunt. Tandem [incredulitas] constituit hominem domum et habitationem daemonum: *Cum immundus spiritus exierit ab homine* - per fidei sacramentum - *vadit et assumit septem alios spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi, et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus.*[38]

habitationem daemonum;

fides hominem efficit sanctum et vere sapientem,

Fides autem arbor est faciens fructus longe saluberrimos: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in caelis est; Qui verbum Dei audiunt et faciunt;*[39] dat homini puritatem et sanctitatem vitae, quoniam purificat cor: *Fide purificans corda*[40] Deus. Ex fide ergo oritur vitae sanctitas, ex fide poenitentia, nam viri Ninivitae ad praedicationem Ionae poenitentiam egerunt, quia praedicanti Ionae crediderunt;[41] ex fide oritur caelestis sapientiae desiderium: Regina Austri, audita fama sapientiae Salomonis, venit ad audiendam eam, sapientiam praetulit regno.[42] Fides a nobis satanam expellit: *Cum immundus spiritus exierit ab homine; Revertar in domum meam unde exivi;* efficit hominem dignam Spiritus Sancti habitationem, *scopis mundatam et ornatam,*[43] nam sacramentum fidei mundat hominem a peccatis et confert Spiritum Sanctum; hinc Paulo dictum

habitaculum Spiritus Sancti,

35) Dt 32, 32-33. Vulg.: *Botri amarissimi.* 36) Mt 12, 41. Vulg.: *Cum generatione ista.* 37) Ibid. vr. 42. 38) Ibid. vrr. 43-45. Vulg.: *Et intrantes habitant,* etc. 39) Lc 8, 21. 40) Act 15, 9. 41) Cf. Ion 3, 5. 42) Cf. 3 Rg 10, 1. 43) Mt 12, 43-44. Lc 11, 25.

fuit: ut baptizeris *et implearis Spiritu Sancto;*[44] hinc in baptismo Christi descendit Spiritus Sanctus;[45] hinc P a u l u s ait: *Per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti.*[46] Tandem constituit hominem fratrem Christi, filium Dei, heredem Dei et coheredem Christi: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei... meus frater et soror et mater est; Extendens manum in discipulos suos,* qui credebant in eum, *dixit: Ecce mater mea et fratres mei.*[47] Sic opponitur in hodierno Evangelio lux fidei contra tenebras incredulitatis, caelum contra terram, paradisus contra infernum, Spiritus Sanctus contra satanam, via salutis contra viam perditionis et damnationis aeternae. Utinam ergo, fratres, nos vere fideles simus et non increduli! Nam: *Beati qui non viderunt et crediderunt;*[48] *Qui crediderit... salvus erit,*[49] *qui credit in eum non condemnatur.*[50]

filium Dei, fratrem et coheredem Christi.

V. *Accesserunt ad Iesum* ab Ierosolymis, etc. Venit hodie synagoga ad tentandum Christum, sicut olim regina Saba ad tentandam sapientiam Salomonis: *Ecce plus quam Salomon hic;* sed illa sapientiam tentavit, synagoga autem potentiam, an Christus posset in caelo miracula facere, sicut Moyses, Iosue, Samuel, Elias. Sed non pro voto successit hodie synagogae, sicut olim reginae illi; nam illa accessit ad Salomonem ex ardenti desiderio sapientiae audiendae, synagoga autem hodie accedit ad Christum ex odio, perverso et iniquo animo, spiritu satanae ducta, non ad honorandum Christum muneribus, sicut regina Saba Salomonem,[51] sed ad contemnendum et dehonestandum Christum. Nam cum Dominus hominem caecum, surdum et mutum a daemonio liberasset divinoque miraculo visu, auditu et loquela donasset, visoque tam ingenti ac stupendo miraculo, turbae divinam in Christo potentiam mirarentur, tunc accesserunt ad eum scribae et Pharisaei signum de caelo petentes, quasi miraculum illud contemnendum esset et pro nihilo habendum, quia non manifeste erat de caelo, poterat esse factum virtute Beelzebub principis daemoniorum. Sic contemnebant patratum miraculum, quod turbis, ut vere erat, ingens et divinum videbatur; accesserunt

Synagoga Christum tentat contemnens illius divinum miraculum,

44) Act 9, 17. 45) Cf. Mt 3, 16; Mc 1, 10; Lc. 3, 22. 46) Tit 3, 5.
47) Mt 12, 49. 48) Io 20, 29. 49) Mc 16, 16.
50) Io 3, 18. Vulg.: *Non iudicatur.* 51) Cf. 3 Rg 10, 12.

ut Christo auctoritatem et conceptam apud populum magnam opinionem et fidem vel penitus adimerent, vel saltem minuerent. Hinc homines cum essent magni nominis multaeque apud populum auctoritatis ob professionem religionis et sapientiae, palam coram omnibus postulata haec Christo offerunt, ut viderent turbae se non tanti facere nec tanti faciendum esse miraculum illud, quanti ipsae turbae faciebant, ut propterea existimarent Christum esse filium David, verum Messiam; nam, patrato miraculo, ait Matthaeus, omnes turbae stupebant et dicebant: *Nunquid hic est filius David?* Pharisaei autem dicebant: *Hic non eiicit daemones nisi in Beelzebub principe daemoniorum.*[52] Hoc igitur spiritu ducti veniunt ad Christum petentes signum de caelo coram turbis, ut ostenderet multo maiora signa, nempe caelestia et divina, quae a solo Deo fieri possunt, requiri ad ostendendam personam confirmandamque fidem veri Messiae.

quasi insufficiens ad probandum eum esse verum Messiam

VI. *Ecce plus quam Ionas hic; Ecce plus quam Salomon hic.* Per Ionam et Salomonem praefiguratus fuit Christus, non solum propter sanctitatem et sapientiam supernaturalem, verum etiam quia sicut Ionas conversurus erat gentiles ad cognitionem Dei, ad veram poenitentiam, sicut Salomon aedificaturus erat Deo novum templum, novam Ecclesiam, - convertit Ionas Ninivem non ad legem Moysi, ad circumcisionem, sed ad cultum Dei et veram religionem, quae lege Moysi multo antiquior est, nam ante legem floruere Patriarchae sanctissimi, homines piissimi et religiosissimi, acceptissimi Deo, - sic et Christus in mundum venit ad convertendas gentes non ad legem Moysi, sed ad verum Dei cultum ab idololatria, ut novam Ecclesiam aedificaret, lata nova lege. Non enim Salomon reparavit tabernaculum Moysi antiquatum, sed novum aedificavit templum, tabernaculo illo antiquo longe maius, augustius, gloriosius;[53] sic Christus Ecclesiam synagoga Moysi multo gloriosiorem instituit.

Christus venit ut gentes converteret ad verum Dei cultum

et novam Ecclesiam aedificaret.

Magister, volumus a te signum videre. Multi sunt qui longe clariorem cognitionem requirunt in divinis quam in humanis, in theo-

52) Mt 12, 23-24. 53) Cf. 3 Rg 6, 1 sqq.

In supernaturalibus non requiritur evidentia,

logia quam in philosophia, in fide quam in scientia naturali. In his quae fidei sunt, in supernaturalibus et divinis requirunt evidentiam: *Volumus signum videre.* Cur sic? cur sic? An non longe notiora debent esse nobis naturalia quam supernaturalia? humana quam divina? In philosophia quaenam clara certaque cognitio habetur de naturalibus, quaenam scientia? Si scientia secundum Platonem habetur per definitionem,[54] cuiusnam rei naturalis habetur definitio? Et si secundum Aristotelem scientia habetur per demonstrationem,[55] ubinam in philosophia sunt demonstrationes? Et tamen cum non habeat mundus claram certamque notitiam de naturalibus, de sensibilibus, corporalibus, terrenis, vult eam habere de spiritualibus, supercaelestibus, supernaturalibus, divinis; utique opera satanae, qui fidei semper insidiatur: *Venit malus et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant.*[56] Sed qui talem claritatem in rebus fidei quaerunt, forte nihil credunt, nonnisi quae vident et sub sensum cadunt, credunt; in Deum, quem non vident, minime credunt, et forte nec animam habere se credunt, quia non vident. O perniciosissimam curiositatem! o incredulitatem pestiferissimam, mortiferissimam!

quae saepe neque in naturalibus haberi potest.

VII. *Magister, volumus a te signum videre.* Iusta videtur petitio, nam ad supernaturalia confirmanda miracula necessaria sunt, sicut sigilli ad confirmandas litteras principum, ut eis fides adhibeatur. Hinc Moyses Hebraeis etiam populo non petenti signa dedit in Aegypto. Deus non tantum Abrahamo petenti[57] et Gedeoni petenti signa dedit,[58] verum etiam Noe non petenti dedit,[59] et Achaz regi etiam recusanti obtulit.[60] Cur igitur Dominus hodie Iudaeis iusta petentibus petita negat et tam acriter obiurgat et increpat? *Generatio mala et adultera signum quaerit et signum non dabitur ei,* profecto quia, ut Iacobus Apostolus ait: *Petitis et non accipitis, eo quod male petatis.*[61]

Iudaeis Christus petita negat acriter eos obiurgans,

quia male petebant,

Volumus... signum videre. Sic ne supplicantur principes? reges? pontifices? *Volumus videre!* Deinde quia petunt tentantes, veluti ir-

54) Cf. *Theaetetus, vel De Scientia,* lib. 13, pag. 79-88; *Protagoras, vel Sophista,* lib. 17, pag. 133-146. 55) *Poster. Analyt.,* lib. 1, cp. 2, 11. 56) Lc 8, 12. 57) Cf. Gn 15, 8 sqq. 58) Cf. Idc 6, 15 sqq. 59) Cf. Gn 9, 8-17. 60) Cf. Is 7, 10 sqq. 61) 4, 3.

ridentes, non ex animo. An non viderunt signa in caelo et in terra Christo moriente? Num propterea crediderunt? Multo obstinatiores et duriores in sua incredulitate et perfidia manserunt. Ad quid igitur data opera seminare in arena, ad littus maris? Ad quid lavare aethiopem? oleum et operam perdere? [62] *Signum non dabitur ei, nisi signum Ionae prophetae,* signum omnino magnum et mirabile. Magnum signum fuit Ionas Ninivitis: *Sicut fuit Ionas in ventre ceti... ita erit Filius hominis in corde terrae,* idest in sepulcro, *tribus diebus et tribus noctibus,* [63] idest tribus naturalibus diebus. Hebraei enim ad differentiam diei naturalis ab usuali atque civili, cum diem naturalem dicere volunt, noctem adiungunt, sicut: *Factum est vespere et mane dies unus;* [64] mansit autem in sepulcro Dominus tribus naturalibus diebus per synecdochen. tentantes ac veluti irridentes.

VIII. In [65] hodierno Evangelio Dominus semel et iterum universalis iudicii meminit et ostenditur quis sit iudex: *Ecce plus Ionas hic... ecce plus quam Salomon hic,* supremae auctoritatis, sapientiae et sanctitatis iudex; quinam sint iudicandi, qui salvandi, qui damnandi: *Ninivitae cum generatione ista;* quae causa salutis et damnationis: salutis, *quia poenitentiam egerunt, quia venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis; Quicumque fecerit voluntatem Patris mei,* etc.; damnationis: *Generatio mala et adultera,* quia poenitentiam non egerunt, quia Christi doctinam contempserunt, quia voluntatem Dei non fecerunt. Meminit etiam Christus hodie universalis iudicii.

ALIA HOMILIA

Magister, volumus a te signum videre. [1]

I. Habemus in hodierno Evangelio evidentia signa magnaque indicia odii Christi in improbos reprobosque improbitatis et vitiorum ergo; e contra, vero, benevolentiae et caritatis erga probos virtute- Ostenditur hodie Christi odium in malos

62) Proverbia, de quibus cf. P. Mannuccius *Adagia*, col. 252-253. 255.
63) Mt 12, 39-40. 64) Gn 1, 5. 65) Quae hoc numero continentur, atramento clariori et stylo latiori exarata sunt.

1) Mt 12, 38.

et amor erga bonos,

que praeditos. Ipse enim Dominus Cherub est apud Ezechielem habens faciem hominis et faciem leonis;[2] nubes illa media inter duos exercitus, Hebraeorum et Aegyptiorum, illis quidem clara, his autem obscura;[3] sol in Aegypto Hebraeis splendidissimus, Aegyptiis obscurissimus;[4] Angelus Domini in Aegypto et in mari Rubro, perdens Aegyptios et salvans Hebraeos;[5] virga Moysi divinitus data in favorem Hebraeorum contra Aegyptum;[6] Iosue salvans Hebraeos et perdens Chananaeos.[7]

de hoc etiam Scriptura utriusque Testamenti multa habet.

Hoc argumentum est quod in omnibus ferme Sanctis Scripturis utriusque Testamenti tractatur, amoris Dei erga bonos, odii contra malos: *Visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem his qui oderunt me et faciens misericordiam in millibus,* etc.[8] Hoc ostendit Deus ab ipso mundi primordio cum Angelis, hoc cum hominibus in paradiso, hoc ostendit cum Abel et Cain, hoc in diluvio, hoc in Pentapoli, hoc in Aegypto, hoc in mari Rubro, hoc in deserto, hoc in acquisitione terrae promissionis; hoc est quod ait: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.*[9] Ita videmus hodie qualem se ostendat Dominus et qualiter cum scribis et Pharisaeis se gerat: denegat gratiam, acriter corripit, minatur interitum in finali iudicio, praedicit obsessionem a diabolo multaque mala comminatur. At non ita cum discipulis: *Extendens* enim *manum in discipulos dixit: Ecce mater mea et fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei,* etc.[10]

Non datur Iudaeis signum ad credendum, sed dabitur ad condemnandum;

Signum non dabitur ei, nisi signum Ionae, etc.[11] Signum non dabitur quale petunt, ad persuadendum ut credant, non dabitur ad eorum preces eorumque intuitu et contemplatione, cum male petant, nam tentantes signum de caelo petebant; sed tamen dabitur signum si non ad credendum, efficax tamen ad condemnandum, hinc: *Viri Ninivitae surgent in iudicio,* etc.[12]

increduli et perfidi erant,

Cum immundus spiritus exierit ab homine, etc.[13] Ostendit hic Dominus Iudaeos incredulitatis et perfidiae ergo multo peiores esse quam si nunquam legem Dei suscepissent, sed fuissent sicut Gentiles

2) Cf. 41, 18-19. 3) Cf. Ex 14, 19-20. 4) Cf. ibid. 10, 22-23. 5) Cf. ibid. 14, 21 sqq. 6) Cf. ibid. 4, 17. 7) Cf. Ios 12, 1 sqq. 8) Ex 20, 5-6. Vulg.: *Eorum qui oderunt me... in millia.* 9) Rom 9, 13. 10) Mt 12, 49 sq. 11) Ibid. vr. 39. 12) Ibid. vr. 41. 13) Ibid. vr. 43.

absque lege et vero Dei cultu, nam corruptio optimi pessima.[14] Ita de haereticis docet Petrus *2 Epistola*, capite 2,[15] ita Paulus *ad Hebraeos*: *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati*, [etc.][16] ita Augustinus Epistola 137 *De monachis apostatis*, qui a monasteriis defecerunt.[17] *Fiunt*, inquit Dominus, *novissima hominis illius peiora prioribus*,[18] quia prius unum tantum habebat daemonem, nunc multos et multo peiores, qui multo libentius multoque commodius habitant in domo mundata atque ornata. In his enim cognitio et scientia Divinarum Scripturarum et mysteriorum fidei, ingenium, eruditio et huiuscemodi alia, quae Spiritus Sancti habitationem ornabant, diabolo serviunt, ut in Hebraeis et haereticis videmus. Haec enim omnia adhibent ad suam perfidiam tutandam suntque haec illis arma contra veritatem.

Volumus a te signum videre, idest cupimus, vellemus; sed ait: *Signum non dabitur ei*. Mirum videtur in perenni fonte, cuius inexiccabilis et copiosa valde vena est, imo in mari ipso aquas non invenire, aut in sole ipso lumen. Sed nil mirum, nam etiam Saul *1 Regum* 28 petiit, et obtinere non potuit, quoniam recesserat Dominus ab eo;[19] petiit Esau etiam cum lacrimis benedictionem a patre, et obtinere non potuit,[20] eo quod vilissimo pretio vendiderat primogenituram suam impiusque et inimicus Deo evaserat:[21] *Petitis et non accipitis*, inquit Iacobus Apostolus, *eo quod male petatis*.[22] Hi autem petebant tentantes eum. Libellum supplicem offerre videntur Christo summo principi: *Ecce plus quam Salomon hic*;[23] sed continet libellus hic petitionem valde impertinentem et multa cum arrogantia: *Volumus a te signum* de caelo *videre*: petimus caeleste miraculum, veluti si quis, oblato supplici libello, petat a principe maximum beneficium cum contemptu praeteritorum beneficiorum, quasi indigna illa fuerint, et magna cum arrogantia: *Volumus a te signum videre*. Profecto libellus ille supplex supra modum moveret stomachum principis et ad indignationem provocaret. Sic ait: *Generatio mala et adultera signum quaerit et signum non dabitur ei*.[24]

tentantes et arrogantes signum petebant ad credendum.

quasi non sufficerent multa iam patrata.

14) Aphorismus medicus de quo cf. Tob. Lohner *Bibliotheca Concionatoria*, tit. 40, pag. 375.
15) Cf. vrr. 20 sqq. 16) 6, 4. 17) Iuxta Migne epist. 78. (P. L. 33, 272).
18) Mt 12, 45. 19) Cf. vrr. 6-16. Ms.: 29. 20) Cf. Gn 27, 30-40.
21) Cf. ibid. 25, 29 sqq. 22) 4, 3. 23) Mt 12, 42. 24) Ibid. vr. 39.

Hodie agitur de quattuor mysteriis principalibus Christi.

II. Salvator noster in hodierno Evangelio videtur mihi veluti sacrum illud animal caeleste supramodum mirabile apud Ezechielem, habens quattuor facies, nempe hominis, leonis, bovis et aquilae,[25] quae quidem designant quattuor principalia pietatis nostrae mysteria, nempe incarnationis, passionis, resurrectionis et ascensionis. Et quidem agitur de his mysteriis in hodierno Evangelio: de mysterio incarnationis, passionis et resurrectionis in signo Ionae; de mysterio autem ascensionis, dum ait: *Ecce plus quam Ionas hic; Ecce plus quam Salomon hic.*[26] De Salomone autem legimus quod sedit supra solium Domini,[27] nec nisi postquam coronatus fuit rex in Ierusalem, venit ad eum regina Austri.[28]

et etiam de finali iudicio.

Sed ego alia ratione video hic quattuor in Christo facies hodie: faciem video leonis formidabilem atque terribilem, dum loquitur de finali iudicio: *Viri Ninivitae surgent in iudicio; Regina Austri surget in iudicio;* surgent tanquam actores, accusatores, *et condemnabunt,*[29] idest convincent, adeo ut propterea damnandi sint; itemque dum ait: *Generatio mala et adultera signum quaerit;* dum minatur: *Fiunt novissima hominis illius peiora prioribus; Sic erit generationi huic pessimae;* faciem hominis clementissimam, dum *extendens manum in discipulos suos ait: Ecce mater mea et fratres mei. Quicumque fecerit voluntatem Patris mei,* etc.; faciem leonis, dum loquitur de mysterio passionis et mortis suae; ac tandem faciem aquilae, dum de divina excellentia suae personae verba facit: *Ecce plus quam Ionas; Ecce plus quam Salomon.*

Ostendit Christus se noscere secreta cordium.

III. Sicut aquila avium regina est, super omnes alias aves altissime volat, talis est Christi excellentia super omnes creaturas totius universi, tum in mundo hoc tum etiam in caelo. Item aquila visus est acutissimi ac perspicacissimi, longissime videt. Est autem intellectus in anima sicut in corpore oculus. Ita Christus hodie divina mentis perspicacia aquilam se esse ostendit, videt enim secreta cordium. Accesserant ad eum hodie scribae et Pharisaei sub specie pietatis, simulantes se tactos cura et desiderio salutis, cupere tandem veritatem cognoscere an revera ipse Messias esset, ut in ipsum,

25) Cf. 10, 14. 26) Mt 12, 41-42. 27) Cf. 1 Par 29, 23.
28) Cf. 2 Par 9, 1. 29) Mt 12, 41-42.

uti par erat, crederent, agnita veritate; praeterea insigni aliquo miraculo, de quo nullatenus dubitari posset, cupere certos se fieri veritatis huius. Hinc blande loquuntur: *Magister,* ita honoris causa eum appellant, *volumus a te signum videre.* At Christus, cognita perspectaque eorum nequitia - sicut alibi: *Quid me tentatis hypocritae?*[30] - hodie ait: *Generatio haec mala et adultera signum quaerit.*

novit enim nequitiam et hypocrisin Pharisaeorum,

Aquilam etiam se ostendit Dominus, dum a longe videt et vaticinatur de rebus, quae longe post eventura erant, maxime de miseranda Iudaeorum perditione et Gentium conversione ad fidem.

et etiam prophetam agit.

Signum non dabitur ei, nisi signum Ionae prophetae. Sicut enim Ionas, etc. Lucas habet: *Sicut enim Ionas signum fuit Ninivitis, ita erit Filius hominis generationi huic.*[31] Hoc loco agit Dominus de signo ad convincendum, etsi non ad persuadendum ad credendum. Nam potest homo convinci et non persuaderi; sicut, e contra, potest persuaderi et non convinci, prout animo bene vel male affectus est circa obiectum. Fuit autem evidens signum quod Ionas divinitus missus erat ad praedicandum Ninivitis id quod accidit, ut proiectus in mare devorareretur a ceto et post triduum vivus redderetur, sanus et incolumis, ita ut praedicare posset Ninivitis poenitentiam. Evidens enim fuit divinae potestatis miraculum, nam multis spectantibus proiectus fuit in mare et devoratus a pisce. Hoc autem factum fuit, ut inde agnoscerent Ninivitae ipsum vere missum esse a Deo ad praedicandum ipsis poenitentiam.[32] Sic Christus in oculis multorum crucifixus est, mortuus est, sepultus est, iacuit triduo in sepulcro; postea vero, sicut Ionas e ventre ceti, ita ipse e sepulcro vivus egreditur et ad veram religionem gentium multitudinem convertit. Sicut igitur opus illud evidens et irrefragabile signum fuit quod Ionas missus esset a Deo, ita Christi resurrectio. Nam mortuum excitare solius divinae est potestatis; mortuus enim seipsum excitare non potest. Cum igitur divinitus excitatus sit, manifestum est quod nonnisi divinitus missus est, sicut Ionas, ad Evangelium praedicandum.

Morte et resurrectione sua Christus divinam suam missionem probavit.

30) Ibid. 22, 18. 31) 11, 30. Vulg.: *Nam sicut fuit Ionas... generationi isti.*
32) Cf. Ion 1, 15-2, 1 sqq.

In hac petitione consideratur quid et quomodo petitur.

IV. *Magister, volumus a te signum videre.* Licita videtur et honesta petitio, nam rem petunt honestam et, ut apparet, necessariam ad credendum, quod Christus Dominus noster verus esset Messias verusque et naturalis Filius Dei, consubstantialis, coaeternus et coaequalis, verus Deus. Videntur etiam bene petere, cum reverentia et honoris exhibitione, dum magistrum eum appellant; quare vel iniusta, vel non satis honesta videri potest Christi tam acris et tam severa duraque responsio: *Generatio mala et adultera.* Et tamen non ita est, sed iusta et summa cum ratione eis Christus ita respondit, si consideremus quid petierint, quomodo petierint et[33] personas ipsas orantes et supplicantes.

Pharisaei petunt miraculum vitiosum,

Petunt signum, idest miraculum, non qualecumque, sed de caelo, hoc est illustrissimum, maximum, indubitabile; non utile ad salutem, sed vitiosum, ad pascendos oculos, a quo genere miraculorum Christus abstinere voluit, ne videretur hisce velle admirationem sibi excitare gloriamque apud homines comparare; semper autem ea miracula operari voluit quae simul et miracula et magna beneficia erant.

sed fides donum Dei est, non effectus miraculi,

Deinde existimabant, viso caelesti miraculo, se credituros, quasi fides non esset donum Dei, sed opus effectusque miraculorum; cum tamen Pharao, tot visis miraculis, non crediderit, innumeri etiam Aegyptiorum,[34] Philisthaei etiam miracula viderunt, cum arcam Dei apud se detinerent, nec tamen crediderunt;[35] Iudaei viderunt innumera Christi miracula, etiam caelestia, in morte ipsius, non tamen crediderunt; Iudas, tot visis miraculis Christi, illum prodidit venditque.

nec miracula necessaria sunt ad fidem nec sufficiunt;

Praeterea existimabant miracula esse omnino necessaria ad fidem, cum tamen Ninivitae crediderint absque miraculis, Samaritani etiam crediderunt in Christum absque miraculis: *Ipsi enim audivimus et scimus, quoniam hic est vere,* etc.[36] Utilia quidem sunt miracula, non tamen suapte natura vel sufficientia vel necessaria. Quare nec honestum quod petunt est, cum nec utile aut bonum, sed curiosum, vanum, inane; nec sufficiens aut necessarium: patere poterat calumniae, nam dixissent etiam magos talia quandoque ope-

33) Ms.: *Et* bis ponitur. 34) Cf. Ex 14, 5-8. 35) Cf. 1 Rg 5, 1 sqq.
36) Io 4, 42.

rari; praeterquam quod hac petitione cetera Christi miracula contemnebant, quasi parva viliaque fuerint, non superhumana et divina. Christum etiam accusabant quod, si miracula fide digna fecisset, iam dudum in ipsum credidissent.

Finis etiam impertinens quoad modum. Nam: *Volumus,* inquiunt, *a te signum videre,* ac si cum homine de infima plebe loquerentur, aut cum suo famulo. Itane cum principibus agitur? cum fastu et arrogantia petuntur a principibus beneficia? *Volumus a te!* Quis ita loqueretur cum Papa, cum imperatore, cum rege, cum quovis principe?

petunt cum impertinentia

Tandem quoad personas. Nam erant inimici Christi, calumniabantur ipsius cum vitam et doctrinam tum miracula et tamen accedunt ad eum sub specie et habitu amicorum, sicut Iudas cum Christum osculatus fuit et amice salutavit eum dicens: *Ave Rabbi.* [37] Veluti si mulier adultera existimans latere virum adulteria patrata, illum accedat fingens se honestissimam mulierem virique amantissimam et propterea ab eo etiam cum fastu et arrogantia magna quid petat. An non merito viri stomachum movebit? Ita Christus hodie: *Generatio mala et adultera signum quaerit.* Christo enim summopere displicet simulata sanctitas, quoniam revera duplex est iniquitas. [38]

et hypocrisi.

Praeterea veluti irridentes hoc petunt a Christo, cum certo certius tenerent ipsi non posse eum caelestia signa praestare; hoc est quod Lucas ait: *Tentantes signum de caelo quaerebant ab eo.* [39] Irrisores autem omnes quidem honesti viri, sed maxime principes, vix ferre possunt, nam principem irridere crimen est laesae maiestatis. Hinc Dominus cum stomacho respondit, *Deus* enim *non irridetur.* [40]

ideo Christus petita negat eosque obiurgat et increpat.

V. Fuere autem hodierni hi scribae et Pharisaei veluti naturales imagines nostrorum haereticorum. Requirebant illi magna miracula, evidentissima, indubitabilia, alioquin credere nolebant. Ita hi nisi evidentissima habeant Scripturarum testimonia, credere re-

Pharisaei et scribae imaginem referunt haereticorum.

37) Mt 26, 49; Lc 14, 45. 38) Cf. S. Augustinus *Enarrat. in Psalmos,* ps. 63, (P. L. 36, 765).
39) 11, 16. 40) Gal 6, 7.

nuunt et quae evidentissima etiam sunt, veluti: *Hoc est corpus meum,*[41] perturbant et calumniantur, sicut illi miracula Christi.

qui, sicut illi, a Deo reprobantur.

In hodierno Evangelio agit Dominus cum Pharisaeis et discipulis suis quod egit Isaac, personam Dei gerens, cum Esau et Iacob, huic enim copiosissimam dedit benedictionem, illi nullam, quoniam reprobatus a Deo erat. Pharisaei hodie, veluti de semine Esau, obtinere nil possunt; discipulis bona omnia promittuntur, quoniam sunt de semine Iacob dilecti.

Maxime cavendum est ab impoenitentia.

Ostendit Dominus hodie faciem hominis, non solum iustis, verum etiam peccatoribus poenitentibus. Agens de Ninivitis: *Surgent,* inquit, *in iudicio, quia poenitentiam egerunt in praedicatione Ionae.* Cavendum igitur ab impoenitentia, nam: *Secundum duritiam tuam et impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei.*[42] Sic in die iudicii electis iustisque Dominus faciem hominis ostendet, reprobis autem et peccatoribus impoenitentibus faciem leonis terribilem et supra modum formidabilem.

Sacra Scriptura adeo clara non est ut expositione non egeat.

VI. *Erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus.*[43] Aiunt haeretici Scripturam claram esse, facilem intellectu, non opus esse expositionibus, intelligendam uti iacet.[44] Sed si ita est, falsum hodie Christus dixit, nam non mansit in sepulchro tribus diebus et tribus noctibus, sed vix horis quadraginta, a sero Parasceve sabbati usque ad mane primi sabbati; dicendum erit cum Helvidio Matrem Christi non fuisse perpetuam virginem, quoniam hic Christus fratres habere dicitur;[45] dicendum cum Manichaeis non verum sumpsisse corpus,[46] quoniam hic ait: *Quae est mater mea?*[47] sicut alibi: *Quid mihi et tibi est mulier?*[48] Quid igitur? Ita sentiendum est Christum fuisse mentitum? non habuisse matrem? aut non perpetuam virginem? Minime! Ergo expositione opus est. Non igitur adeo clara est Divina Scriptura ut expositione non egeat.[49]

41) Mt 26, 26; Mc 14, 22; Lc 22, 19; 1 Cor 11, 24. 42) Rom 2, 5. 43) Mt 12, 40. 44) Hoc asserit Lutherus, cf. S. Laurentius a Br. *Hypotyposis*, part. 2, pag 355-356; S. Bellarminus *Controversiae*, t. 1. *De Verbi Dei Interpretatione*, lib. 3, cp. 1, col. 127. 45) Cf. S. Hieronymus *Adversus Helvidium*, (P. L. 23, 193-194). 46) Cf. S. Epiphanius *Adversus Haereses*, haeres. 66, (P. G. 42, 624); S. Augustinus *Enarrat. in Psalmos*, ps. 37, (P. L. 36, 411); ps. 93, ibid. col. 1208; *Sermo* 12, cp. 9, ibid. 38, 104; *Sermo* 75, cp. 7, ibid. col. 477. 47) Mt 12, 48; Mc 3, 33. 48) Io 2, 34. 49) Duabus paginis albis relictis, transit ad Feriam sequentem.

FERIA QUINTA INFRA HEBDOMADAM PRIMAM QUADRAGESIMAE

Miserere mei Domine fili David, filia mea male a daemonio vexatur. Qui non respondit ei verbum. [1]

I. Loqui videtur hodie chananitis ad petram, sicut Dominus dixit Moysi et Aaron: *Loquimini ad petram... et illa dabit aquam;* [2] ad petram duram et insensatam loqui videtur hodie chananitis, nam Dominus *non respondit ei verbum,* durum se exhibet: *Non sum missus, non est bonum.* [3] Sed tandem petra haec dat aquas largissimas: *O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis.* [4]

Durum se ostendit Christus erga chananaeam

Sicut synagoga, ex Aegypto Dei opera egressa, per asperum iter tandem ad felicissimam et optatissimam terram promissionis Dei munere pervenit, cum multis modis in deserto tentata fuisset, ita hodie mulier haec chananitis, quae Sanctae Ecclesiae imago quaedam est, a finibus suis egressa, per asperum iter tentationum a Christo probata, tandem optatissimam gratiam consecuta est: *O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis.* Facta est velut navis in mari procellis agitata, sed tandem in optatissimum portum secura perveniens; *facta est,* ait Salomon de forti muliere, *sicut navis institoris, de longe portans panem suum,* [5] sicut navis Salomonis divitiis multis onusta.

ad probandam eius virtutem.

In chananitide hac hodie proponitur nobis imago et veluti exemplar animae vere christianae et piae, in qua veluti in nitidissimo speculo elucent virtutes omnes christianae perfectionis: fides, spes, caritas, religio, pietas, humilitas, patientia, perseverantia et aliae.

Chananaea haec imago est animae christianae,

1) Pericope huius diei Mt 15, 22. Cf. Missale Rom. 2) Nm 20, 8. 3) Mt 15, 23-24. 26. 4) Ibid. vr. 28. 5) Prv 31, 14.

quae prius a Deo probatur, deinde consolatur.

Elucet hic modus quo se gerit Deus cum fideli anima et item quomodo fidelis anima se gerit cum Deo. Quattuor [modis] Deus se gessit cum synagoga et synagoga cum Deo, usque ad terram promissionis. Synagogam Deus in primis per viam afflictionis ad se vocavit et traxit, sicut et chanitidem hanc, urgente enim tribulatione, venit ad Christum.

Videndus est modus huius conversionis:

II. In hodierno Evangelio duo sunt verba mysteriis plena: egressus est Iesus et egressa est mulier; Christus tanquam pastor ad oves: *Non sum missus nisi ad oves... domus Israel*, et tanquam pater ad filios: *Non est bonum sumere panem filiorum;* [6] chananitis autem ad Christum egressa est tanquam ovis ad pastorem et tanquam filia ad patrem. Mirabile dictu! non pastor ovem quaerit errantem, sed ovis pastorem.

ex parte Dei caritas est,

Modus quo Deus cum anima fideli procedit caritas est, sed saepe tecta sub larva durae cuiusdam severitatis, quod Ioseph cum fratribus in Aegypto egit. [7] Sanctis suis Deus nec tribulationes nec iucunditates sinit habere perpetuas, ut Chrysostomus ait, sed tum ex adversis tum ex prosperis eorum vita mira quadam varietate contexit. [8] Patet in Abrahamo, Iacob, Ioseph, David, in ipsa synagoga per desertum. Saepe autem Deus cum suis contraria insistit via, quam mundus cum suis. Nam, ut ille ait: *Omnis homo primum bonum vinum ponit*, deinde *id quod deterius est;* Deus autem non sic: *Servasti bonum vinum usque adhuc;* [9] tristibus initiis dat Deus laetissimos fines, sicut natura post labores dat fructus terrae, messem atque vindemiam.

ex parte animae pietas et religio,

Modus autem quo fidelis anima cum Deo procedit, pietas et religio est: *O mulier, magna est fides tua*, magna tua devotio, absque ulla superstitione aut fictione, qualis est hypocritarum devotio. Aurum igne probatum extitit mulieris huius devotio et pietas.

Deus fideles suos prius tentat,

Tentat Deus electos suos, sicut tentavit Abraham et Iob; tentatos autem atque probatos commendat: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitae.* [10] Sic

6) Mt 15, 24. 26. 7) Cf. Gn 44, 1 sqq. 8) *Ad Populum Antiochenum*, hom. 4, *De Patientia*, (P. G. 49, 63); *In Matthaeum*, hom. 53, ibid. 58, 350. 9) Io 2, 10.
10) Iac 1, 12.

cum probasset Abraham dixit: *Nunc cognovi quod timeas Dominum;* [11] sic post tentationem commendat mulierem hanc: *O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis.* Sine probatione virtus omnis suspecta est. Hinc cum Deus virtutem Iob commendasset: *Nunquid considerasti servum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, vir simplex et rectus* corde *et timens Deum et recedens a malo?* [12] Satan autem calumniatus fuit sanctitatem Iob, eo quod nondum fuerat tribulatione probatus, sed cuncta ei succedebant pro voto, secunda aura semper navigaverat. [13] Qui autem sui causa bonus est, bonus censendus non est, sed potius malus, nam, ut etiam Cicero sensit, qui non virtutis amore, non ipso honesto movetur ut bonus sit, sed utilitate aliqua aut fructu, callidus est reputandus quam bonus. [14] Talem satan Iob existimavit et propterea, ut vera solidaque sancti viri pietas virtusque nota esset, eam Deus tanquam aurum in tribulationis igne probavit ac tunc maxime commendavit. **deinde probatos commendat;**

Videmus hodie mulierem hanc prius quidem afflictam et postea consolatione repletam. Deus synagogae in deserto pluit manna de caelo [15] in Marah, quod est amaritudo, ubi populus sitiens aquas reperit amarissimas. [16] Mundus hic est sicut Aegyptus, ubi prius fuit septem annorum magna abundantia, sed postea secuta est maxima penuria, sicut duabus visionibus Pharaoni praemonstratum fuit. [17] Dat mundus prius, ut ita dicam, paradisum, sed postea infernum, sicut patet in epulone; Deus autem e contra, ut in Lazaro, [18] post afflictiones dat consolationes, post afflictiones temporales consolationes aeternas. **Mundus, e contra, prius consolationes dat, postea afflictiones.**

III. In chananitide hac hodie veluti in tabula a Spiritu Sancto depicta est imago pulcherrima animae sanctae et vere christianae: *O mulier, magna est fides tua.* Pinguntur aliquando imagines in tela, sive in aere, aut in lapide lydio, aut alia pretiosiori tabula; Spiritus autem Sanctus ad pingendam imaginem verae virtutis et sanctitatis mulierem accepit. *O mulier,* ecce tabula, *magna est fides tua,* ecce imago perfecta et numeris omnibus absoluta. **In hac muliere cernitur vera fides.**

11) Gn 22, 12. Vulg.: *Times Deum.* 12) Iob 1, 8. 13) Cf. ibid. vrr. 9-11. 14) Cf. *De Officiis,* lib. 1, 19. 15) Cf. Ex 16, 13 sqq. 16) Cf. ibid. 15, 23-25. 17) Cf. Gn 41, 1 sqq. 18) Cf. Lc 16, 19 sqq.

Feminini et masculini sexus eadem est nobilitas.

Muliebris sexus magna nobilitas est. Mulier, sicut vir, divina manu et arte formata fuit, sicut vir ad imaginem et similitudinem Dei, rationali anima praedita, sicut vir mundi domina creata: *Dominamini piscibus maris et volatilibus caeli et bestiis universaeque terrae;* [19] sicut vir ut ligno vitae et paradisi deliciis perpetuo frueretur, ut tandem sicut vir a terrestri in caelestem paradisum transferretur. Adam formatus fuit ut esset veluti rex mundi, Eva tanquam regina; Adam Dei opus, similiter et Eva, *Dei* autem *perfecta sunt opera.* [20] Quare non bene sensit Aristoteles cum dixit quod mulier est «mas occasionatus», [21] quasi non arte divina, sed casu, praeter intentionem naturae facta sit mulier. Non est verum! Divina arte facta et fabricata est sicut vir, simillima viro, alioquin viri felicitas in paradiso perfecta non fuisset. Hinc ait: *Non est bonum hominem esse solum*: *faciamus ei adiutorium simile sibi,* [22] quasi coram eo, adeo simile quasi seipsum videat coram se positum. Cum igitur magna sit naturae humanae dignitas atque nobilitas perfectaque sit in muliere humanae naturae ratio, - nam ait quod Deus *vocavit nomen eorum*, idest viri et mulieris, *Adam,* [23] nomen, quod naturam humanam significat, utrique sexui commune fecit, sicut utrique sexui communis natura est, - Spiritus Sanctus ad depingendam perfectae virtutis et sanctitatis imaginem, tabulam elegit pretiosam, nobilem, dignissimam.

quia eadem est ac perfecta natura.

Multae virtutes elucent in chananaea.

Imago haec hodierna sacra est, non profana. In sacris autem imaginibus supra modum laudari solet, non solum ars et diligentia pictoris, verum etiam devotio ac naturalis aliquis gestus pietatis ad vivum. Haec autem imago singulari arte Spiritus Sancti, vere mirabili, videtur multos gestus naturalissimos agere: primo quidem religionis, devotissimae orationis: *Mulier chananaea a finibus* Tyri *egressa* clamabat dicens: *Miserere mei, Domine fili David;* [24] et iterum: *Venit et adorabat eum dicens*: *Domine, adiuva me;* [25] gestum patientiae et constantis animi, nam contempta et obiurgata a Christo, patienter tulit; actum humilitatis, qua se catellam appellat:

19) Gn 1, 26. 28. 20) Dt 32, 4. 21) *De Generatione Animalium*, lib. 2, cp. 3. Quo sensu vero accipienda sit haec Aristotelis sententia, vide apud S. Thomam *In Sentent.*, lib. 2, d. 2, q. 2, art. 1, ad 1; item S. Bonaventura *In Sentent.*, lib. 2, dist. XX, art. un., q. 6.
22) Gn 2, 18. Vulg.: *Esse hominem solum*, etc. 23) Ibid. vr. 2. 24) Mt 15, 22.
25) Ibid. vr. 25. Vulg.: *Et adoravit*, etc.

Etiam, Domine, nam et catelli edunt de micis quae cadunt de mensa dominorum suorum;[26] tandem gestum perfectae virtutis: *O mulier, magna est fides tua.*

Multis nominibus laudantur mulieres in Sacra Scriptura,

IV. Multis nominibus laudatas mulieres legimus in Divinis Litteris: aliquando pulcritudinis, sicut Sara,[27] Rebecca,[28] Rachel,[29] Bethsabee,[30] Esther;[31] aliquando religionis, nam, ut Salomon ait: *Fallax gratia et vana est pulcritudo, mulier timens Dominum ipsa laudabitur,*[32] sic Anna, mater Samuelis laudatur[33] aliaeque sanctae et religiosae mulieres; aliquando prudentiae et sapientiae, ut mulier Thecuitis,[34] ut Abigail[35] et aliae; aliquando valoris et praestantis virtutis, ut Ruth Moabitis,[36] sic Salomon multis nominibus laudat mulierem fortem;[37] aliquando honestatis et pudicitiae, ut Susanna,[38] Iudith[39] et aliae; tandem aliquando spiritus prophetiae, ut Maria soror Moysi,[40] Debora[41] et aliae. Invenimus etiam mulierem a generis nobilitate laudatam, ut Elisabeth mater Ioannis, quae dicitur *de filiabus Aaron.*[42] Christus autem hodie mulierem hanc laudat, non a pulcritudine, qua plurimum delectantur mulieres, nam

hanc Christus laudat tantum ex virtute.

«Delectant etiam castas praeconia formae»,[43]

non a nobilitate, sed tantum a virtute, a magnitudine fidei: *O mulier, magna est fides tua.*

Deus virtutem probat ad ostendendum quam vera et solida sit;

Vera autem virtus sicut aurum optimum est, quod sive in terra sit sive in aqua aut igne, semper idem est. Sicut autem aurum in fornace probatur, ita Deus probat virtutem. Sic tentavit Deus Abraham, tentavit Iob, tentavit mulierem hanc; sicut etiam synagogam multis modis tentavit in deserto, sicut etiam Iosephum tentavit in Aegypto, Davidem etiam multis tribulationibus probavit, cum tamen vere esset homo secundum cor Dei.[44] Sic Deus virtutem probat ad ostendendum quam vera, solida et magna sit: *O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis; Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se.* Post aquas Marah populus cibatus

26) Ibid. vr. 27. 27) Cf. Gn 12, 11-14. 28) Cf. ibid. 24, 16. 29) Cf. ibid. 29, 17. 30) Cf. 2 Rg 14, 1-20. 31) Cf. Est 2, 7. 32) Prv 31, 30. 33) Cf. 1 Rg 1, 11. 34) Cf. 2 Rg 14, 1-20. 35) Cf. 1 Rg 25, 3. 36) Cf. Ruth 3, 11. 37) Cf. Prv 31, 1 sqq. 38) Cf. Dn 13, 2. 39) Cf. Iudith 8, 4-8. 40) Cf. Ex 5, 20-21. 41) Cf. Idc 4, 4-5. 42) Lc 1, 5. 43) Ovidius *Ars Amat.*, lib. 1, vr. 623. 44) Cf. 1 Rg 13, 14.

fuit manna de caelo, post peregrinationem deserti accepit possessionem felicissimae terrae promissionis, Abraham post tentationem accepit a Deo copiosissimam benedictionem,[45] sic Iacob luctatus cum Angelo et victor existens, corona victoriae donatus fuit,[46] sic Ioseph,[47] sic David, sic etiam Dominus noster tentatus in deserto fuit, sed, superata omni tentatione, *accesserunt Angeli et ministrabant ei.*[48]

sed post tribulationem confert consolationem.

Regius Vates in persona electorum ait: *Quoniam probasti nos, Deus, igne nos examinasti sicut examinatur argentum; transivimus per ignem et aquam et eduxisti nos in refrigerium.*[49] Sed sicut Iob ait: *Rursus post tenebras spero lucem,*[50] et Regius Vates: *Ad vesperum demorabitur fletus et ad matutinum laetitia,*[51] sic semper Deus post afflictiones dat electis suis magnas consolationes: *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum... consolatio nostra;*[52] *Secundum numerum dolorum meorum in corde meo consolationes tuae laetificaverunt animam meam;*[53] et alibi: *In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati,*[54] somniantes prae laetitia, mirantes prae gaudio, sicut Petrus *existimabat se visum videre;*[55] sicut Livius libro 33 ait de Graecis, cum nunciata fuit eis beneficio populi Romani praeconis voce libertas, ut possent suis legibus vivere, tanta fuit eorum laetitia, ut somniare viderentur, vix sibi ipsis crederent.[56] Ita Deus magna laetitia suos afficit: *Repletum est gaudio os nostrum et lingua nostra exultatione; Facti sumus laetantes; Converte, Domine,* idest recrea, *captivitatem nostram,* gentem a captivitate redeuntem, *sicut torrens* recreat australem regionem aridam et siticulosam: *Qui seminant in lacrimis, in exultatione metent; euntes ibant et flebant mittentes semina sua,* sicut pauperes agricolae, cum cara est annona; sed *venientes venient cum exultatione portantes manipulos suos;*[57] sic Petrus dixit *posteriores glorias.*[58] Sicut cum sensisset Isaac fragrantiam vestimentorum Iacob, benedixit ei,[59] ita hodie Dominus, cognitis virtutibus chananaeae: *O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis,* suavis virtutum odor.

45) Cf. Gn 22, 1 sqq. 46) Cf. ibid. 32, 24 sqq. 47) Cf. ibid. 41, 39 sqq. 48) Mt 4, 11. 49) Ps 65, 10. 12. 50) 17, 12. 51) Ps 29, 6. 52) 2 Cor 1, 5. 53) Ps 93, 19. Vulg.: *Secundum multitudinum,* etc. 54) Ps 125, 1. 55) Act 12, 9. 56) Cf. *Annales,* cp. 32, pag. 79-80. 57) Ps 125, 2 sqq. 58) 1 Petr 1, 11. 59) Cf. Gn 27, 27-29.

Sicut columba, cum non invenisset ubi requiesceret pes eius, venit ad Noe in arcam afferens ore ramusculum olivae virentibus foliis,[60] ita hodie chananitis ad Christum, nam ipse est verus Noe, consolator: *Venite ad me... et invenietis requiem animabus vestris... ego reficiam vos.*[61] Venit ad eum haec pura columba, quoniam non inveniebat ubi requiesceret in mundo. Hinc suis Dominus ait: *In mundo pressuram habebitis,*[62] in me autem pacem. Noe autem misit manum et accepit columbam in arcam, in locum quietis; Dominus autem hodie columbam hanc videtur abiicere, nolle eam recipere: *Non sum missus; non respondit; non est bonum;* sed tandem dulcissime eam consolatus fuit: *O mulier, magna est fides tua.* Cum ramusculo olivae in ore venit columba ad Noe, haec autem ad Christum misericordiam petens: *Miserere mei Domine fili David, miserere mei; Secundum iudicium diligentium nomen tuum,*[63] fac mecum secundum multitudinem misericordiae tuae. Venit ad fontem misericordiae, ad thronum gratiae, ut misericordiam inveniret.

Christus verus consolator est animae fidelis.

V. Elucet in chananitide imago animae sanctae, quoniam mulier haec tota pia et vere christiana est; sed in tribus quae de ea legimus: egressa de finibus clamabat, accessit et adorabat, ac tandem: *O mulier, magna est fides tua,* elucet imago triplicis status vitae spiritualis: incipientium, proficientium et perfectorum, iuxta tres partes templi Domini,[64] imo tres partes principales mundi huius: terram, caelum et empyreum, tres status synagogae: in mari Rubro, in deserto et in terra promissionis; in anima hominis tres potentias, imo in ipso homine tria vitae genera: vivit enim primum vitam plantae, postea animalis, tandem Angeli per usum intellectus. De virga Aaron tria legimus: primum quod germinavit, postea quod fronduit floruitque, tandem quod fructus edidit maturos atque perfectos.[65] Hae sunt tres partes vitae spiritualis: *Iustorum semita sicut lux splendet, procedit et crescit usque ad perfectam diem,* ait Salomon;[66] hoc quod sponsa dicitur *aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol.*[67] Hae sunt igitur tres chananitidis actiones.

In chananitide elucet triplex status vitae spiritualis.

60) Cf. ibid. 8, 9-11. 61) Mt 11, 28-29. Affert ordine inverso. 62) Io 16, 33.
63) Ps 118, 132. 64) Cf. 3 Rg 6, 1 sqq. 65) Cf. Nm 17, 8.
66) Prv 4, 18. Vulg.: *Quasi lux splendens,* etc. 67) Ct 6, 9.

Vita spiritualis maxime in oratione consistit.

Sicut naturalis vita ab actionibus dignoscitur, non enim potest absque ulla penitus operatione manere anima in corpore, percipitur semper aliqua ipsius actio, saltem palpitatio cordis aut respiratio, sic etiam in vita spirituali non potest Spiritus Sanctus in homine otiosus manere, nihil operans, quoniam ignis est natura maxime nobilis, activus, vivax. Vita autem spiritualis maxime in oratione consistit; haec est enim vita Angelorum in caelo: *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in saecula saeculorum laudabunt te;*[68] haec vita sanctorum in Ecclesia, hinc hodie etiam Apostoli orant, rogaverunt illum pro ea: *Dimitte illam, quia clamat post nos.*[69]

Oratio Deo gratissima est,

Est autem oratio Deo quidem gratissima, hominibus autem summe utilis et iucunda, quoniam magna est vis piae orationis apud Deum. Quod quidem manifeste docet Divina Scriptura in multis, sed singulariter in prima omnium oratione, quam fusam ad Deum legimus ab Eliezer servo Abrahami, tunc enim primum legimus preces ad Deum fusas et supplicationes pro gratia aliqua consequenda, non ante; legimus autem simul orationem et statim statim exauditionem, ita ut oratio prius exaudita fuerit quam finita.[70] Sic etiam oratio leprosi illius, quem Dominus primo curavit: *Domine, si vis, potes me mundare;* et ait Dominus: *Volo, mundare,* mundus esto.[71] Sic inquam oratio Deo gratissima, incensum ex multis aromatibus confectum, quod super altare sacerdos offerebat, odoris suavissimi Domino.[72]

hominibus autem summe utilis.

Hominibus autem summe utilis: *Fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora.*[73] Magna res est oratio, veluti omnium secundarum causarum vice est, nam sola orationis virtute, absque exorcista aut exorcismo aliquo, liberata est a daemonio filia chananaeae. Sic virtute orationis Moysi Dominus mare Rubrum divisit ut populus transiret:[74] ad mare illud transeundum opus fuisset multis, multisque navibus aut triremibus: sola suffecit oratio; sola virtute orationis pluit Deus Hebraeis manna de caelo pro cibo:[75] ad providendum tantae[76] multitudini commeatum ac sufficientem annonam quantis rebus opus fuisset? Sola suffecit oratio. Sitiebat po-

68) Ps 83, 5. 69) Mt 15, 23. 70) Cf. Gn 24, 11-20. 71) Mt 8, 2-3; Mc 1, 40-41; Lc 5, 12-13. 72) Cf. Ex 30, 23-26. 73) Mt 15, 28. 74) Cf. Ex 14, 21 sqq. 75) Cf. ibid. 16, 11-16. 76) Ms.: *Tanti.*

pulus: aqua de petra effluxit virtute orationis,[77] sic aeneum serpentem providit.[78]

Habemus in hodierno Evangelio duas mulieres:

VI. Sunt in hodierno Evangelio duae mulieres, quarum una laudatur a Christo, non altera; una plena Spiritu Sancto, virtute et gratia: *Magna est fides tua,* altera plena spiritu maligno: *Filia mea male a daemonio vexatur;* una est idea et exemplar animae sanctae, altera vero animae peccatricis; una, ut ita dicam, mulier tota caelestis, altera tota terrena, sicut Ioannes in *Apocalypsi* vidit caelestem mulierem sole amictam,[79] quae idea erat animae sanctae, et item mulierem sedentem super bestiam, quae a bestia horribili et monstruosa ferebatur et vocabatur Babylon, meretrix magna,[80] idea animae peccatricis; nam et Zacharias propheta impietatem se vidisse refert, sed specie mulieris intra amphoram, quae massa plumbi premebatur et a daemonibus per aera in terram Sennaar ferebatur.[81]

una imago est animae sanctae, altera peccatricis.

Imaginem animae sanctae hodie Spiritus Sanctus depingit in muliere aetate grandaeva, in qua fervor sanguinis et carnis ardor iam deferbuerat atque tepuerat; imaginem vero animae peccatricis in muliere adolescente, iuvene, sensu carnis et sanguinis fervore maxime vigente, quoniam sanctitas in caritate et carnis mortificatione consistit, peccatum vero in cupiditate, quae radix est omnium malorum:[82] *Filia mea male a daemonio vexatur.* Haec non est laudata a Christo, sed merito matris beneficio liberationis donata. Hinc matri dixit: *Fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius in illa hora.*

Oratio opus proprium est animae sanctae.

Ostenditur in hodierno Evangelio quod oratio opus proprium est animae sanctae. Oratio autem hic appellatur clamor: *Mulier a finibus illis egressa clamabat dicens: miserere mei, Domine.*[83] Clamor autem appellatur fervens oratio. Sic Moyses etiam tacens clamabat ad Dominum,[84] sic Anna mater Samuelis.[85] Hinc Regius Vates: *Clamavi in toto corde, exaudi me Domine.*[86] Placet autem valde Deo fervens oratio facta ex animo, maxime in tempore tribu-

77) Cf. Ex 17, 3-7; Num 20, 2-11. 78) Cf. Nm 21, 5-9. 79) Cf. 12, 1.
80) Cf. ibid. 17, 1-6. 81) Cf. 5, 5 sqq. 82) Cf. 1 Tim 6, 10.
83) Mt 15, 22. Vulg.: *Clamavit,* etc. 84) Cf. Ex 14, 13-15.
85) Cf. 1 Rg 1, 9-13. 86) Ps 118, 145.

lationis, hinc ait: *Ad Dominum cum tribularer clamavi et exaudivit me.* [87]

In oratione requiritur ardens desiderium

Requiritur in oratione ardens vivumque desiderium, nam ex vivo desiderio salutis et liberationis filiae a tali tantaque vexatione - *male a daemonio vexatur* - clamabat haec mulier. Nam mater amantissima erat, salutis filiae magno desiderio flagrabat.

et pia perseverantia;

Hinc etiam oritur perseverantia, qua vel maxime opus est in oratione ad consequendam divinam misericordiam; sic enim mulier haec, quae misericordiam Domini ardenter desiderabat, pluries etiam repulsam passa, in oratione perseveravit. Placet admodum Deo etiam importunitas in oratione. Importuna videbatur mulier Apostolis. Hinc rogaverunt Dominum: *Dimitte illam, quia clamat post nos;* sed non importuna visa est Domino. Dominus enim pia oratione et perseverantia orationis plurimum delectatur, quoniam pia oratio suavissimus concentus est auribus Domini: *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis;* [88] et tandem importuna omnino Deum vincit: *Magna est fides tua: fiat tibi sicut vis.*

huius orationis magna est apud Deum efficacia,

Ostenditur quod apud Deum magna est vis et efficacia piae et perseverantis orationis, quae a Deo non solum optatam gratiam impetrat, sed etiam laudem et honorem meretur: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Accessit ad Christum humilis, afflicta, angustiata, merito etiam piae orationis discessit consolata, laudata, exaltata a Christo, nam: *Qui se humiliat exaltabitur.* [89]

ut patet in multis S. Scripturae exemplis.

Sunt orationis effectus mirabiles supra modum. Dum Moyses oraret in monte, divinum splendorem concepit in facie; [90] dum oraret Christus in Iordane baptizatus, aperti sunt super eum caeli, descendit Spiritus Sanctus, vox Patris intonuit; [91] dum oraret, transfiguratus fuit; [92] dum oraret in horto, confortatus ab Angelo. [93] Haec autem scripta sunt ad indicandos mirabiles in nobis orationis effectus.

Mulier a finibus Tyri et Sidonis *egressa,* clamabat ad Dominum. Synagoga non in Aegypto, sed egressa inde in deserto aedificavit Domino sanctuarium, domum orationis; altare incensi positum fuit

87) Ps 119, 1. 88) Ct 2, 14. 89) Lc 14, 11; 18, 14. 90) Cf. Ex 34, 28 sqq. 91) Cf. Mt 3, 16 sqq.; Mc 1, 9-11; Lc 3, 21-22. 92) Cf. Mt 17, 1-2; Mc 9, 1-2; Lc 9, 28-29. 93) Cf. Lc 22, 40-43.

post altare sacrificii;[94] sacerdos prius offerebat sacrificium ad expianda peccata, postea incensum,[95] hoc est quod *a finibus egressa clamabat: Miserere mei fili David.*

In oratione oportet quam maxime perseverare.

Ostendit[96] hodiernum Evangelium quod placeat Deo id quod displicere solet hominibus. Nemo est cui improba importunitas non incommodet et molestiam afferat. Domino tamen placuit hodie chananitidis in petendo improbitas; hinc eam tandem laudavit: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Magna est apud Deum vis improbae orationis, nihil non obtinet ab omnipotente bonitate. Beatus homo qui in humili et pia oratione magna cum fide perseverat, nam quo tardius, eo cumulatius exauditur. In hodierna autem chananitide ostenditur qualis debeat esse oratio ut exaudiri mereatur; ostenditur enim quae et qualis sit oratrix, quid oret et quomodo oret.

ALIA HOMILIA

Et ecce mulier chananaea a finibus illis, etc. [1]

In hodierno Evangelio consideranda est historia et mysterium.

I. In hodierno Evangelio duo sunt consideranda, nempe historia et mysterium. Nam in chananitide hac veluti in tabula quadam a Spiritu Sancto, pictore excellentissimo, virtutum coloribus, diligenti penicillo artis et sapientiae suae depicta est imago animae sanctae, vere fidelis, vere christianae, ex animo ad Christum conversae. Ostenduntur autem sanctae animae cum virtutes tum etiam actiones eius cum Christo: actiones etiam et animus Christi erga fidelem animam, quomodo illam occulte trahit: *In funiculis Adam... in funibus caritatis;*[2] quomodo illam probat tentatque, contemptum ac veluti odium dissimulando, ac tandem quomodo illam consolatur et post aquas Marath, deducit ad suavissimas optimasque aquas Elim[3]

94) Cf. Ex 40, 1 sqq. 95) Cf. Lv 7, 1 sqq. 96) Quae hoc numero continentur, atramento clariori et stylo latiori exarata sunt.

1) Mt 15, 22. 2) Os 11, 4. Vulg.: *In vinculis caritatis.* 3) Cf. Ex 15, 23 sqq.

et post defectum cibi farinaeque aegyptiae, dat ei manna de caelo,[4] post sitim etiam dat aquam de petra.[5]

Quoad historiam agitur de efficacia orationis,

Sed quoad historiam tria consideranda occurrunt: primum est virtus et efficacia sanctae orationis: *Miserere mei Domine fili David;*[6] secundum est intercessio Sanctorum, nam *accedentes discipuli eius, rogabant eum dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos;*[7] tertium est salus et liberatio filiae a vexatione daemonis, divinitus facta ad preces et merita matris: *Propter hunc sermonem,* inquit Marcus, *vade, exiit daemonium a filia tua;*[8] *Sanata est filia eius in illa hora.*[9] His autem etiam quartum addi potest: laus et encomium fidei: *O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis.*[10] *Et sanata est filia eius.* Laudat autem Dominus non nudam fidem, ut nugantur haeretici, sed magnam fidem, fidem veram, vivam, multis virtutibus ornatam; laudat probatam virtutem, sicut in Abraham.[11]

quae tamen sit multis virtutibus ornata.

Ostenditur autem virtus probata esse instar auri optimi, quod ubicumque tandem positum sit, honesto loco aut vili, etiam in terra sepultum, eiusdem pretii et valoris est. Possumus autem hic dicere, quod Petrus etiam cum admiratione dixit, cognita perspectaque virtute Cornelii centurionis: *In veritate comperi, quod non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum et operatur iustitiam, acceptus est ei.*[12] Ita, inquam, hodie, quamvis dixerit Dominus: *Non sum missus, nisi ad oves quae perierunt domus Israel,* ad oves Iacob, non ad oves Laban, itemque: *Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus,*[13] nam gentilis erat haec mulier, ut Marcus manifeste dicit,[14] gentiles autem canes immundi a Iudaeis habebantur, tamen vera mulieris huius virtute hodie plurimum delectatur: *O mulier, magna est fides tua.*

Oratio est petitio divini auxilii;

II. At vero, quoniam de oratione chananitidis potissimum agitur in hodierno Evangelio, de ea sermonem instituendum censui. Ostenditur autem quid proprie sit oratio, nempe imploratio divinae misericordiae, petitio divini auxilii cum pietate et religione: *Miserere mei Domine fili David; Adorabat eum dicens: Domine, adiuva*

4) Cf. ibid. 16, 1 sqq. 5) Cf. ibid. 17, 1-7; Nm 20, 1-11. 6) Mt 15, 22. 7) Ibid. vr. 23. 8) 7, 29. 9) Mt 15, 28. Vulg.: *Ex illa hora.* 10) Ibid. 11) Cf. Gn 15, 6; Iac 2, 21-23. 12) Act 10, 34-35. 13) Mt 15, 24. 26. 14) Cf. 7, 26.

me.[15] Ostenditur etiam quis orat: *Mulier chananaea a finibus illis egressa,*[16] facta iam christiana. Oratio opus est hominis et Angeli, hominis in Ecclesia, Angeli in paradiso. Non possunt orare inanimata, insensilia, irrationalia, quoniam non habent imaginem Dei, mentem ad cognoscendum, voluntatem ad amandum et colendum. Oratio autem actus est religionis et pietatis, quae fidem, spem et caritatem complectitur. Nec Deus potest orare, ut stulte tradit *Talmud Iudaeorum* et Mahumetis *Alcoranus.*[17] Nam oratio supplicatio est inferioris ad superiorem, pauperis ad divitem, servi ad Dominum, subditi ad principem. Deus autem non habet superiorem, ditiorem, digniorem se, nec rei ullius eget. Actus itaque est tantummodo earum creaturarum, quae divina origine insignitae, capaces sunt Dei per cognitionem et amorem.

est opus solius creaturae intellectualis.

Orat itaque hodie mulier gentilis, sed ad Christum conversa. Omnis homo potest pias preces ad Deum fundere, maxime vero fidelis christianus, homo vera fide et religione praeditus. Orat autem Christum, non enim nisi ad Deum Optimum Maximum fundendae sunt preces. Sic enim Dominus orare nos docuit: *Pater noster, qui es in caelis,*[18] hoc est: Deus infinitae bonitatis caritatisque, tanquam Pater clementissimus noster, qui infinita item praeditus potestate es: *Omnia quaecumque voluit Dominus fecit in caelo et in terra.*[19] Rogamus pie et religiose Sanctos, sed ut ipsi nostras preces Deo offerant, ut pro nobis intercedant, sicut centurio per seniores Iudaeorum Christum pro salute servi rogavit, indignum se arbitratus Christi praesentia et maiestate.[20]

Solus Deus proprie rogatur; Sancti rogantur tantum ut pro nobis intercedant.

Sic itaque chananitis hodie ad Christum tanquam Deum Optimum Maximum orationem suam direxit dicens: *Miserere mei Domine fili David,* idest rex, Messias, qui vere es Dominus potens et clemens. Simpliciter Dominum appellat tanquam omnipotentem Deum, et misericordiam implorat tanquam Patrem misericordiarum et Deum totius consolationis, *qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.*[21]

Sic egit chananaea apud Christum.

15) Mt 15, 25. Vulg.: *Adoravit.* 16) Ibid. vr. 22. 17) Cf. *Alcoranus*, cp. 43; *Talmud*, ord. 1, tract. 1, d. 1. Apud S. Rob. Bellarminum *Controversiae Christ. Fidei*, t. 4, *De bonis operibus*, lib. 1, cp. 7, col. 1027. 18) Mt 6, 9. 19) Ps 134, 6. 20) Cf. Lc 7, 2-8. 21) 2 Cor 1, 4.

Res a Deo petenda honesta esse debet et necessaria.

III. Ostenditur quid orandum, quid in oratione petendum, nempe, ut in oratione Dominica petimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*[22] Hinc agitur hic de pane, nam gratiam quam petebat chananitis, Christus panem appellavit dicens: *Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus.*[23] Petiit autem gratiam Dei: *Miserere mihi, Domine,* divinum auxilium: *Domine, adiuva me.* Res petenda a Deo est, licita, honesta, utilis, necessaria instar panis ad salutem utriusque substantiae, ne dicatur nobis: *Nescitis quid petatis.*[24]

Orandum est cum magna fide, puritate et caritate,

Ostenditur quomodo orandum, nempe cum magna fide: *Magna est fides tua; Si quis indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter et non improperat... postulet autem in fide nihil haesitans.*[25] Orandum cum puritate animi et conscientiae, hinc Paulus ait: *Levantes puras manus;*[26] hinc mulier *a finibus illis egressa* oravit; sic sacerdos accessurus ad altare incensi, lustrali aqua seipsum purificabat manusque et pedes lavabat.[27] Orandum cum caritate: *Miserere mei, adiuva me,* cum tamen pro salute filiae orabat, quoniam filiam tamquam seipsam diligebat. Hoc est quod apud Isaiam 58 legimus: *Frange esurienti panem tuum,* nam *tunc invocabis et Dominus exaudiet, clamabis et dicet*: *Ecce adsum.*[28] Orandum humiliter; nam mulier haec, ut Marcus habet, cecidit ad pedes Christi;[29] *Deus* nanque *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*[30] Orandum patienter, perseveranter: sic egit hodierna oratrix, quousque audivit: *O mulier, magna est fides tua*: *fiat tibi,* etc.

cum humilitate et perseverantia.

Plurimi sunt effectus orationis,

Effectus etiam orationis indicantur in hodierno Evangelio, praecipue tres: salus filiae: *Sanata est filia eius ex illa hora; Propter hunc sermonem vade, exiit daemonium;*[31] consolatio matris: *Fiat tibi sicut vis;* laus oratricis, sicut etiam in centurione legimus:[32] *O mulier, magna est fides tua,* quamquam autem plures alios habeat effectus, nam operatur in homine actus hierarchicos, interiorem enim hominem purgat, illuminat, perficit; hi tamen sunt praecipui.

22) Lc 11, 3. 23) Mt 15, 26. Ms.: *Mittere panibus.* 24) Ibid. 20, 22.
25) Iac 1, 5-6. 26) 1 Tim 2, 8. 27) Cf. Ex 30, 18-21. 28) Vrr. 7. 9. 29) Cf. 7, 25.
30) Iac 4, 6; 1 Petr 5, 5. 31) Mc 7, 29. 32) Cf. Mt 8, 10; Lc 7, 9.

Theologi tres effectus tribuunt orationi: satisfactionem, meritum et impetrationem. Satisfactionem legimus in Davide, qui ad hoc[33] Poenitentiales Psalmos composuit,[34] in Manasse 2 *Paralipomenon* 33;[35] meritum apud Matthaeum 6: *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum et, clauso ostio, ora Patrem tuum... et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi;*[36] impetrationem saepissime legimus: *Deus propitius esto mihi peccatori,* et: *Descendit in domum suam iustificatus.*[37] Omnes tres hos effectus habemus hodie. Fuerat mulier peccatrix, gentilis: Dominus eam coarguit in satisfactionem, meruit sibi laudem, impetravit filiae salutem. O mulierem ter quaterque beatam, beati qui imitantur virtutem tuam!

sed specialiter tres hodie indicantur.

IV. Docet autem hodiernum Evangelium orandum esse non pro se tantum, verum etiam pro aliis, sicut Moyses pro populo oravit, sicut etiam pontifex, maxime in die expiationis, tenebatur orare pro populo;[38] sic chananitis hodie pro filia orat.

Orandum est non pro se tantum, sed et pro aliis,

Nec tantum generatim pro omnibus, verum etiam speciatim pro singulari persona; sic enim Abraham oravit pro Ismaele,[39] Isaac pro Rebecca,[40] Moyses pro Maria sorore lepra percussa,[41] sic Christus pro Petro,[42] sic universa Ecclesia pro eodem constituto in carcere;[43] sic hodie chananitis pro singulari salute filiae.

Nec tantum pro vivis, verum etiam pro defunctis, nempe pro animabus fidelium, quae in purgatorio igne cruciantur, ut Sancta Ecclesia Catholica semper ab initio pro fidelibus defunctis orare consuevit.[43a]

cum vivis tum defunctis.

Ostenditur etiam dignitas orationis, nam singulare officium munusque Sanctorum est. Hinc nanque hodie Apostoli rogabant sua sponte Dominum dicentes: *Dimitte eam, quia clamat post nos.* Fervens nanque oratio, quando magno cum desiderio oratur, in Divinis Litteris clamor dicitur, sicut in *Exodo* legimus: *Quid tu clamas ad me?*[44] Hic autem clamor Sanctos, qui cum Christo sunt, movet ad intercedendum pro nobis.

Ostenditur hodie dignitas orationis

33) Ms.: *Hos.* 34) Ps 6. 31. 37. 50. 101. 129. 142. Cf. Rituale Rom. et Breviarium. 35) Cf. vrr. 12-16. 36) Vr. 6. 37) Lc 18, 13-14. 38) Cf. Lv 16, 1 sqq. 39) Cf. Gn 17, 18-21. 40) Cf. ibid. 25, 21. 41) Cf. Nm 12, 11 sqq. 42) Cf. Lc 22, 32. 43) Cf. Act 12, 3-5. 43a) Cf. Conc. Trid., Sess. 25, decr. *de Purgatorio.* 44) 14, 15.

eiusque efficacia apud Deum

Ostenditur item virtus et efficacitas orationis apud Deum Christumque, cui vix diu resistere possit, sicut in *Exodo* legimus: *Sine me,*[45] et in *Genesi* de lucta Iacob, qua Deum ipsum quodammodo superavit;[46] non errore haereticorum, qui per orationem Dei providentiam mutari posse existimant, quasi mutabilis sit Deus, cum revera sit omnino immutabilis, ut legimus *Numerorum* 23;[47] *1 Regum* 15;[48] Malachiae 3[49] et Iacobi 1,[50] sed quia ab aeterno ipse ita disposuit, et effectibus saepe saepius ita comprobavit, ne fideles cum philosophis Epicureis et Peripateticis divinam circa res humanas providentiam tollerent dicerentque cum impiis, sicut Iob 22 legimus: *Circa cardines caeli ambulat et nostra non considerat.*[51] Pia oratio manifesta quaedam est divinae providentiae in Sancta Ecclesia demonstratio.

ac necessitas ad vitam spiritualem.

Sicut in exteriori homine manus instrumentum instrumentorum est ad comparanda fere omnia ad vitam humanam necessaria, ita in interiori homine oratio est, ut etiam Ioannes Chrysostomus docuit in libro *de Oratione.*[52] Dominus noster semper hortatus fuit ad studium orationis, maxime Lucae 11 capite, sub parabola amici petentis tres panes,[53] et Lucae 18, sub parabola viduae ab iniquo iudice petentis vindictam,[54] et 21: *Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini,* etc.;[55] Paulus *1 Thessalonicensibus* ultimo, vigilare praecipit et sine intermissione orare.[56]

Insaniae haereticorum de oratione.

V. Sed ad quid tam diu orare? Siquidem, ut Lutherani et Calviniani docent, oratio nullius est meriti nulliusque virtutis ad impetrandum apud Deum.[57] Sic novi isti apostoli et evangelistae satanae, quamvis orationis studium se maximi facere et commendare videantur, revera tamen omnino tollunt et destruunt, sicut Augustinus de Pelagianis ait, libro *De Haeresibus* capite 88[58] et Epistola 186 *ad Paulinum,*[59] cum nec necessariam doceant orationem,

45) 32, 10. Vulg.: *Dimitte me.* 46) Cf. 32, 24-26. 47) Cf. vr. 19. 48) Cf. vr. 29. 49) Cf. vr. 6. 50) Cf. vr. 17. De hoc errore cf. S. Thomas *Contra Gentes*, cp. 96. 51) Vr. 14. Affert ordine inverso. 52) *De Precatione*, hom. 1, (P. G. 50, 777-778); Hom. 2, ibid. col. 781-782. 53) Cf. vrr. 5-9. 54) Cf. vrr. 3-5. 55) Vr. 36. 56) Cf. vr. 17. 57) Cf. S. Bellarminus op. cit., t. 4, *De Bonis Operibus*, lib. 1, cp. 3, col. 1008-1009. 58) P. L. 42, 48. 59) Cp. 10-12, ibid. 33, 329-332.

quibus nonnisi fides sua, hoc est haeresis, ad salutem necessaria sit; nec omnino utilem, cum nullum ei tribuant meritum, nullam vim apud Deum, maxime in his quae ad salutem vitamque aeternam consequendam spectant. O capita insana! cum tamen in Sacris Litteris luce soleque clarius sit virtus sanctae orationis apud Deum.

Ostenditur contra haereticos

a) Christum absolute pro omnibus in mundum venisse,

VI. In [60] hodierno Evangelio habemus tria dogmata quae cum haereticis controvertuntur. Primum est Calvinianorum, qui ex hoc Evangelio probant Christum nonnisi propter electos et praedestinatos in hunc mundum venisse: *Non sum missus nisi ad oves quae perierunt.* [61] Sed oves domus Israel appellat Iudaeos, qui oves Dei dicebantur. Num omnes Iudaei electi erant et praedestinati?

b) utilem esse intercessionem Sanctorum,

Alterum est quod ex hoc Evangelio probant inutilem esse Sanctorum intercessionem, nam Christus nihili fecit eorum preces; nec esse invocandos Sanctos, quoniam nec legitur chananitis invocasse, aitque hoc loco Calvinus quod, licet Sancti orent dum vivi sunt, interest tamen inter vivos et mortuos. [62] Sed a Christo Sancti appellantur vivi, non mortui: *Non est Deus mortuorum, sed vivorum,* [63] et Apostoli dicunt: *Dimitte eam, quia clamat post nos.* Quomodo ergo non invocabat eos? Quid clamabat post eos? Quod autem Christus non exaudierit Apostolos, falsum est, nam distulit exaudire ut beneficium magis commendaret.

c) solam veram fidem a Domino commendari,

Tertium est dogma de sola fide, quam Christus commendavit; sed hac de re saepius egimus. Hic autem non potest fides haereticorum commendari, quia haec mulier Scripturas ignorabat, nec de divinis promissionibus aliquid intellexerat, cum esset gentilis, tamen audierat Christum esse filium David, idest Messiam a Iudaeis expectatum posseque omnia miracula facere. Hoc tantum firmissime credidit et hoc confessa est.

Ubi est ergo figmentum fidei haereticorum, quae nonnisi divinas

60) Quae hoc numero continentur stylo latiori exarata sunt. Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symbolorum*, n. 1096.
61) Mt 15, 24. Cf.
62) Cf. S. Bellarminus op. cit., t. 2, *De Beatitudine Sanctorum*, lib. 1, cp. 18, col. 655-656.
63) Mt 22, 32; Mc 12, 27; Lc 20, 38.

non illam fictam haereticorum.

promissiones firmissime amplectitur sibique certissime applicat? Haec mulier harum promissionum prorsus nihil audierat aut intellexerat. Unde ergo ei haec fides? Et tamen: O *mulier, magna est fides tua.*

In eo quod Dominus ait: *Non sum missus nisi ad oves,* sciendum est quod Dominus venit in hunc mundum ad duo: ad salvandum et redimendum, unde Sacramenta instituit, et ad praedicandum Evangelium, confirmando praedicationem suam miraculis. Cum dicit se missum tantum ad oves, dicit quoad postremum hoc. [64]

64) Pagina alba relicta, transit ad Feriam sequentem.

FERIA SEXTA INFRA HEBDOMADAM PRIMAM QUADRAGESIMAE

Est autem Ierosolymis probatica piscina quinque porticus habens. In his iacebat multitudo. [1]

I. Mirabile spectaculum videtur piscina hodierni Evangelii, quo forte nihil mirabilius spectari potest. Erat iuxta templum, quod vere erat mirabile, sicut Regius Vates ait: *Sanctum est templum tuum, mirabile in aequitate,* [2] hebraice: *mirabilia in iustitia,* quoniam in eo multa continebantur divinae sanctitatis mysteria. Sed magnitudine mysteriorum non minus mirabilis piscina haec, quae mihi quidem thesaurus videtur gratiarum Dei, fodina ditissima pretiosissimarum venarum divinissimorum mysteriorum. In templo erat aqua lustratoria, qua purificabantur sacerdotes et levitae; [3] hic aqua qua lavabantur homines a quacumque infirmate, sicut Naaman syrus in aquis Iordanis lotus fuit a lepra. [4] Mirabile balneum, quod etiam caecis visum dabat, sicut piscina Siloe caeco nato. [5] Erat in templo altare sacrificiorum ad punitionem peccatorum, morte enim et sanguine animalium expiabantur peccata, ad ostendendam peccati perniciem, cuius causa homo meretur mortem. Hic manifeste apparet peccati pernicies et quot mala invexit in mundum unum tantum Adami peccatum: *In his iacebat multitudo magna,* etc. In templo erat mensa panum, hic multitudo gratiarum et beneficiorum Dei; ibi candelabrum aureum, hic multiformis sapientia Dei, cur sanabatur tantum unus et qui prior descendisset: *O altitudo divitiarum,* etc.; [6] ibi altare incensi, hic vota et preces fidelium, ut descenderet

Multa mysteria significantur per hanc piscinam iuxta templum.

1) Pericope huius diei Io 5, 1-15. Cf. Missale Rom. 2) Ps 64, 5-6. 3) Cf. 3 Rg 7, 23-44. 4) Cf. 4 Rg 5, 9-14. 5) Cf. Io 9, 1-7. 6) Rom 11, 33.

Angelus; in templo divinum propitiatorium, hic benignitas et humanitas Dei, qui *secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis,* etc.;[7] in templo servata fuit virga Moysi, instrumentum omnipotentiae Dei in operatione miraculorum,[8] hic autem infinita Dei potentia homines perfectissime sanans ab omni incurabili infirmitate.

Singulariter curatione huius languidi innuitur discrimen inter gratiam Veteris et Novi Testamenti.

Sed tamen unum est quod speciali consideratione mihi visum est dignum in languido isto, qui non per Angelum, sed per Dominum Angelorum curatus est, ut dignoscatur latum discrimen inter gratiam Veteris et Novi Testamenti. Nam curatio per Angelum in piscina designat iustificationem per gratiam Veteris Testamenti; curatio autem per Dominum designat iustificationem per gratiam Testamenti Novi. Mysterium autem, quod speciali consideratione mihi visum est dignum, illud est quod Paulus ait: *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiae quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum,* etc.[9] Ubi Apostolus aperuisse visus est piscinae huius mysteria, maxime autem in eo quod languido huic Dominus ait: *Vis sanus fieri?*[10] In quo docemur quam facile salvari possit homo; licet naturae viribus salus sit impossibilis, viribus tamen gratiae facillima est, nam ab homine isto Dominus nonnisi voluntatem requisivit, sicut Moyses a populo in Aegypto nihil aliud petiit, nisi ut vellent de Aegypto exire.[11]

Piscina symbolum mundi, synagogae et Ecclesiae.

II. *Est autem Ierosolymis probatica piscina.* Haec autem mihi quidem nunc mundi huius, nunc synagogae Iudaeorum, nunc etiam Ecclesiae symbolum quoddam videtur. Erat piscina haec hospitale pauperum incurabilium, ubi paucissimi ex magna infirmorum multitudine optatissimam salutem assequebantur. Mundus hic peccati causa factus est locus miseriarum, theatrum calamitatum et omnis infelicitatis cum corporalis, tum etiam spiritualis, nam *mundus totus in maligno positus est,*[12] ubi innumeri sunt caeci per ignorantiam, claudi per animi imbecillitatem, aridi absque ullo internae consolationis humore. In hoc autem mundo hi quidem quaerunt lu-

Mundus locus miseriarum est.

7) Tit 3, 5. 8) Cf. 3 Rg 8, 1-9. 9) Tit 3, 4-5. Vulg.: *Benignitas et humanitas apparuit.* 10) Io 5, 6. 11) Cf. Ex 3, 6-18. 12) 1 Io 5, 19.

cem veritatis, rerum cognitionem, ut naturales philosophi, alii virtutem animi, ut morales, innumeri voluptatem et satisfactionem animi; sed paucissimi votorum compotes fiunt, nam sanabatur unus caelestis gratiae munere. [13]

In piscina elucet mysterium providentiae, quae mundum et Ecclesiam regit.

In piscina hac elucet mysterium divinae providentiae, quae in utilitatem et salutem hominum tribus veluti basibus nititur: potentiae, sapientiae et bonitati Dei. Nam ad opera providentiae opus est potentia, sapientia et bona voluntate, ut possit, sciat et velit providere, sicut patet in principe, in patrefamilias, in imperatore exercitus, sicut ad scribendum vel pingendum oculo, manu, et animo scribendi opus est. Hic autem exercebantur opera potentiae Dei, quia fiebant miracula; opera sapientiae, quia sanabatur unus et *qui prior descendisset;* [14] opera bonitatis, quia non tantum miracula, verum etiam beneficia erant et quidem optatissima. Divina autem providentia regit mundum, rexit synagogam, regit Ecclesiam.

Divina providentia utitur secundis causis.

Aliud etiam elucet providentiae divinae mysterium, quod utitur secundis causis. Nam per Angelum invisibilem et per visibilem aquam conferebat salutis beneficium, *Angelus* enim *Domini secundum tempus,* etc.; [15] ita plane in mundo, in synagoga, in Ecclesia. Praeterea ad consequendum salutis beneficium duo necessario concurrebant: motus divinae gratiae et opus humanae diligentiae, nam sanabatur unus, *qui prior descendisset.* Designat etiam piscina haec synagogam legemque veterem.

Hodierna haec piscina non tantum mirabile quoddam balneum mihi videtur, aquis Iordanis et aquis natatoriae Siloe [16] longe mirabilius, nam hic sanabatur homo *a quacumque detinebatur infirmitate,* [17] sed magna quaedam et mirabilis mappa mundi, in qua non solum universalis geographia descripta est, sed universi totius pancosmographia; nam hic cernitur natura et operatio Dei, natura et operatio Angeli, natura et operatio hominis, natura et operatio Dei in miraculis supernaturalibus, quae ibi fiebant, in divino etiam miraculo, quod ibi Dominus operatus est curans mirabiliter languidum, qui triginta et octo annos habebat in infirmitate sua. [18] Piscina

13) Cf. Io 5, 4. 14) Ibid. 15) Ibid. 16) Cf. ibid. 9, 1-7. 17) Ibid. 5, 7.
18) Cf. ibid. vr. 5.

haec mundus est; sed in mundo est et operatur Deus, est et operatur Angelus. Est et operatur Deus. Est Deus invisibilis, sed visibiliter operatur, invisibilis causa est, sed visibilis effectus; sicut motum solis videmus in caelo, a quo moveatur non videmus, motus corporis manifestus est et anima movens non item.

Plane mirabilis piscina ista, in qua cognoscitur natura Dei

III. Hodierna igitur piscina spectaculum est, non solum miserabile, quia xenodochium, hospitale incurabilium infirmorum, sed etiam mirabile, quia balneum miraculorum, quia theatrum divinorum mysteriorum, quia veluti stadium quo multi currebant ad bravium sanitatis, sed unus accipiebat, *qui prior descendisset in piscinam post motionem aquae;* tandem quia, uti diximus, hic cognoscitur natura Dei, natura Angeli, natura hominis. Natura Dei omnipotentis, excedens omnes vires naturae creatae, ut patet in operatione miraculi, quod quidem, quatenus miraculum est, opus est potentiae Dei, quatenus autem etiam beneficium, est [19] magnum opus bonitatis et misericordiae Dei, sed quatenus sanabatur tantum unus, opus erat sapientiae ad mysteria designanda. Natura igitur Deus est invisibilis, praeditus [20] infinita potentia, sapientia et bonitate. Sic Christus hodie non tantum verus homo, sed etiam verus Deus in homine, Deus invisibilis factus homo visibilis. Ad haec ostendenda miraculum operatur in languido. Nec tantum miraculum magnum, verum etiam magnum beneficium: *Totum hominem sanum feci in sabbato.* [21] Sic opus fuit divinae tum potentiae tum bonitatis. Quia vero nonnisi unum tantum curavit, cum innumeros ibi reperisset, opus divinae sapientiae fuit.

eiusque potentia, sapientia et bonitas;

Natura etiam Angeli hic prospicitur: *Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam et movebatur aqua.* Descendebat Angelus invisibiliter, ergo spiritus est, non corpus visibile, ex commotione tantum aquae deprehendebatur descendisse. Dicitur *Angelus Domini,* nuncius Domini, ergo minister Dei est, servus Dei: *Millia millium ministrabant ei.* [22] Descendebat ad praestandum hominibus beneficium optatissimae sanitatis, ergo amicus hominis est. Movebat aquam et divinitus imprimebat ei sanatricem

cognoscitur etiam natura Angeli,

19) Ms.: *Et* loco: *Est.* 20) Ms.: *Praedita.* 21) Io 7, 23. 22) Dn 7, 10.

virtutem, ita ut qui prior descendisset in piscinam post motionem aquae, sanus fieret a quacumque infirmitate; ergo spiritus magnae potentiae et virtutis est Angelus. Descendebat in tempus: insinuat Angelos esse in loco, moveri de loco in locum, operationes etiam Angelorum tempore mensurari, licet haec in utramque partem ut problemata a theologis disputentur. Ostenditur etiam nobilitas naturae angelicae, dum ait quod descendebat Angelus: de supremis est, caelestis spiritus est, domesticus et familiaris Dei est. Haec sunt quae hoc loco de angelica natura indicantur.

Tandem hic natura humana ostenditur quid sit, quidve possit sine gratia Dei et quid cum gratia caelesti. Vidit ibi hominem infirmum dixitque ei: *Vis sanus fieri?* At ille: *Domine, hominem non habeo.* [23] Homo suapte natura praeditus est libero arbitrio: *Vis sanus fieri?* Habet cognitionem boni et mali, odit malum, desiderat bonum. Haec omnia in homine isto videmus. Et insuper licet infirmus esset, non tamen viribus corporis omnino destitutus erat, ita ut penitus operari aut moveri non posset. Habebat aliquales vires, sed non sufficientes, hinc ait: *Hominem non habeo, ut cum mota fuerit aqua, mittat me in piscinam; dum venio enim ego, alius ante me descendit.* [24] Sic potest homo sine gratia et sine fide nonnulla opera bona facere: largiri eleemosynas et alia opera praestare.

et tandem natura hominis in triplici statu.

In *Vitis Philosophorum* apud Diogenem Laertium multa legimus et quidem praeclara virtutum opera: in vita Socratis, [25] in vita Platonis [26] et ante hos in vita Pythagorae, [27] in vita Taletis Milesii [28] et aliorum; sic nunc quoque Iudaei, infideles Turcae, Mauri, haeretici multa opera faciunt virtutum moralium; sed tamen quae ad salutem consequendam sufficientia non sunt. Hinc languidus iste, quia sufficientes vires non habebat, triginta et octo annis manserat in piscina, salutis spe semper frustratus; accepta autem gratia, *statim sanus factus est homo... et tulit grabatum suum et ambulavit,* [29] factus fuit sanus, vegetus, robustus, pristinae sanitati perfecte restitutus. Sic splendet hic naturae humanae triplex status: sanitatis pristinae, infirmitatis subsecutae et sanitatis restitutae,

Homo sine gratia aliqua bona opera facere potest, quae tamen ad salutem non sufficiunt.

23) Io 5, 7. 24) Ibid. Vulg.: *Cum turbata,* etc. 25) Cf. lib. 2, pag. 66-78. 26) Cf. lib. 3, pag. 116-122. 27) Cf. lib. 8, pag. 328-345. 28) Cf. lib. 1, pag. 14-23. 29) Io 5, 9. Vulg.: *Sustulit... et ambulabat.*

quemadmodum etiam in parabola hominis descendentis ab Ierusalem in Iericho, qui a latronibus spoliatus, etc.[30]

Elucet in hac piscina mysterium divinae providentiae

IV. Elucet in piscina hac mysterium divinae providentiae, quae in salutem hominum secundis utitur causis et spiritualibus et corporalibus. Ad dandam sanitatem utebatur Angelo et aquis turbatis: non erat aquis illis naturalis vis ad sanandum, alioquin semper et omnes sanassent, sicut ignis calefacit, aqua refrigerat, sol illuminat; at virtus aquae in momento consistebat, sanabatur unus. Deinde virtus naturalis balnei non potest hominem statim in momento curare; natura enim non operatur in instanti, sed tempore opus habet, unde nec ignis, activissimus cum sit, agit in momento, leviter enim tactus non urit: aliquando, igne accenso,[31] cum frigus est, per flammam manus traducimus nec urimur; virtus autem haec in instanti operabatur. Et tandem curabat ab omni infirmitate; uno autem remedio non potest morbus omnis curari, nam « contraria contrariis curantur, calida frigidis, frigida calidis ».[32] Ostendit etiam quod Deus non est, ut nonnulli docuere philosophi, agens necessarium, sed voluntarium, non agit ex necessitate naturae, sed ex electione voluntatis; hinc *secundum tempus*, cum ei magis videbatur opportunum, mittebat Angelum ad movendam aquam et curandum infirmum.

et caritatis erga hominem.

Ostenditur hic etiam mysterium caritatis Dei erga hominem. Solent reges plures medicos in curia sua habere et quidem excellentissimos; quando autem rex ad curandum aliquem suum specialem medicum mittit, signum est singularis affectionis, habetur pro magno favore. Deus rex est, unus ex principalibus Angelis Raphael dicitur, idest m e d i c u s D e i. Ad curandum autem hominem Deus medicum suum mittit, sicut ad illuminandum caecum Tobiam misit Raphaelem, qui felle piscis illum a caecitate curavit.[33] Angelus autem hic medicus Dei hominem curabat facillimo medicamento, aquam tamen adhibebat, non quidem claram et limpidam, quae melior videtur, sed commotam atque turbatam, cuius rei nulla potest

30) Cf. Lc 10, 30. 31) *Igne* repetitur. 32) Aphorisma medicum, de quo cf. Galenus *De Sanitate tuenda*, lib. 1, cp. 7, f. 65; lib. 5, cp. 1, f. 93; S. Gregorius M. *In Evang.*, lib. 2, hom. 32. (P. L. 76, 1232). 33) Cf. Tob 11, 1 sqq.

reddi ratio, ut discamus in divinis mysteriis non quaerere humanas rationes, hinc Dominus luto caecum illuminavit.

Sanabatur tantum unus ad insinuandum quod pauci sunt qui salvantur.

V. Mirum videri potest cur per Angelum nonnisi unus curabatur, nec Dominus nisi unum sanavit in piscina infirmum hodie. Sed mirum esset si miracula opera essent divinae tantum potentiae et bonitatis, non autem sapientiae. Sed sicut opera sunt potentiae supra omnem virtutem naturae, opera bonitatis et misericordiae, quia beneficia ad sublevandam humanam miseriam, sed opera etiam sapientiae ad instruendam humanam ignorantiam, sanabatur unus, quia pauci sunt qui salvantur, pauci gratiam Spiritus Sancti percipiunt, nam ad hoc requiritur etiam humana voluntas et diligentia; hinc sanus fiebat qui prior descendisset in piscinam. Hinc languido huic Dominus ait: *Vis sanus fieri?* priusquam eum curaret. Sanabatur unus, quia nonnisi unus tantum fidelis populus salutem aeternam consequitur. Sicut autem in uno homine in paradiso totum erat humanum genus, ita per unum hominem totus designatur fidelis populus. Per miraculum autem piscinae huius, ait Ambrosius, 2 *De Sacramentis* 2, designabatur mysterium adventus Domini in mundum pro salute humani generis,[34] nam per Angelum ipse Dominus designatur, qui dictus est *magni consilii Angelus,*[35] piscinam vero docet designare Baptismi sacramentum.

Ad salutem praeter bonam voluntatem, necessaria est gratia,

Sicut in piscina hac ad optatam salutem consequendam non sufficiebat voluntas ardensque salutis desiderium, non industria aut diligentia humana, non virtus naturalis aquarum, ita ad consequendam salutem aeternam, ad quam conditus homo est, non sufficit virtus naturae, requiritur supernaturalis gratia. Natus est equus aptus ad bellum, sed disciplina opus est, ut a magistro instruatur. Ut aqua sursum ascendat in altum, sicut in fontibus arte factis cernimus, non sufficit virtus naturalis aquae, licet apta sit ad hoc aqua, non autem terra, opus est artificio, opus fistulis bonis et bene factis. Harum auxilio aqua sursum ascendit, cum naturae ipsius proprium sit descendere. Dissoluto autem artificio, fractis fistulis, aqua non amplius ascendit, sed vi atque pondere naturali ad ima delabitur.

34) Cf. P. L. 16, 423. 35) Is 9, 6. Ex hebraico.

idest caritas supernaturalis.

Gratia Spiritus Sancti, caritas ipsa, aqua dicta est saliens in vitam aeternam.[36] Homo quidem aptus natus est ut Deum et caelestia diligat, ut sancte vivat et secundum virtutem; sed ut Deum super omnia diligat et virtutem Dei causa bonis omnibus temporalibus praeferat, sensu carnis gravatus, non potest sine divino auxilio. Homo nanque natura sui amantissimus est. Hinc mater, licet amantissima filiorum, in necessitate posita eo aliquando devenit ut, sicut factum legimus, fame urgente, filios devoret,[37] pater etiam filios vendat,[38] quia seipsum homo super omnia diligit; ut autem Deum supra se diligat, adeo ut Dei causa seipsum etiam oderit, virtute opus est supernaturali.

sine qua homo salutis incapax est.

Sicut etiam ad accendendum ignem ad speculum, sive cum vitro ad radium solis, multa opus est arte. Si vitrum planum fuerit aut concavum, nihil fiet; opus est ut convexum sit; deinde proportione opus est, ut radius per vitrum transiens acuto angulo fomitem tangat, ita ut ad accendendum ignem nec vitrum sufficiat nec radius, nisi ars et industria adsit. Sic ad accendendum in nobis divini amoris ignem virtus requiritur supernaturalis et divina. Nisi autem hic ignis adsit in nobis, salutis capaces minime sumus, nam, si *caritatem non habuero,* ait P a u l u s, *nihil mihi prodest.*[39]

VI. In sua hac mirabili mappa mundi I o a n n e s describit non geographiam aut cosmographiam, sed theographiam, quod Deus sit natura invisibilis, omnipotens, Dominus Angelorum et hominum omniumque creaturarum; angelographiam, quod Angelus sit natura invisibilis spiritus, minister Dei, medicus Dei, conferens homini perfectam sanitatem, sed sicut medicus peritus excellentissimus; tandem antropographiam, quod homo natura sit cognitione boni et mali ac libero arbitrio praeditus.

Homo in gratia conditus, peccare poterat, sicut revera peccavit,

Ubi etiam triplicem statum naturae humanae describit: primum, in quo homo sanus erat, sed infirmari poterat et infirmatus peccando est; alterum,[40] in quo infirmus quidem est, sed curari divino beneficio potest, caelesti gratia, non autem natura; tertium,[41] in quo Dei beneficio sanus est et reperitur in templo, sed in deterius

36) Cf. Io 4, 14. 37) Cf. 4 Rg 6, 28-29. 38) Ms.: *Vendet.* 39) 1 Cor 13, 2-3.
40) Ms.: *Alter.* 41) Ms.: *Tertius.*

cadere multoque peius infirmari potest: *Ecce sanus factus es, noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.*[42]

In secundo autem statu multa indicat Ioannes. Primo quidem, quod casus hominis non fuit irreparabilis, sicut casus Angeli, sed reparari potuit; sicut peccare potuit, ita etiam a peccato resipiscere; sicut cadere in infirmitatem, ita etiam curari. Non sic Angelis, qui peccavere, datum fuit.

sed casus eius irreparabilis non fuit,

Secundo ostendit infirmitatem hanc hominis natura incurabilem esse ac Dei tantum beneficio curari posse. Hinc languidus hic *triginta et octo annos* habebat *in infirmitate sua,*[43] humana arte curari non poterat, de caelo per Angelum salutis beneficium expectabat et nonnisi Christi gratia curatus est divino miraculo; *Statim sanus factus est.* Nec tantum sanus, verum et robustus, etc.

Dei enim beneficio fuit restitutus.

Tertio, inesse quidem homini a natura ingens quoddam salutis desiderium et vires etiam aliquales ad eam consequendam, sed minime sufficientes. Hinc languidus salutis desiderio ductus abiit in piscinam, ubi sperabat divino beneficio salutem se consecuturum aliquando ibique diu permansit. Sed, bone Deus, ubinam in nobis est salutis desiderium? An salutarem Sacramentorum piscinam non habemus? Sed quam pauci ad eam veniunt pro salutis beneficio!

Desiderare potest homo salutem sed ei desunt vires sufficientes.

Quarto, homini huic, voluntas quidem animi et ingens desiderium cum adesset salutis, potestas deerat. Volebat, sed non poterat. Deus autem et potuit et voluit, cum tempus opportunum visum ei fuit salutem homini afferre, nec nisi animi voluntatem ab eo requisivit: *Vis sanus fieri?* Egisse autem visus est Dominus cum homine isto, sicut piscator valde peritus, qui linea et hamo piscatur. Hic enim sentiens hamo captum ad escam magnum piscem et qui facile potest lineam rumpere et liber abire, non trahit lineam, sed laxat ne dirumpatur et eo usque laxat, quo piscis captus et hamo sauciatus, viribus defatigatus fuerit, tunc absque ullo periculo eum ad se trahit. Ita, inquam, egit Dominus cum homine isto. Hamo ferreo virtutis suae coepit eum, sed cum esca, salutis desiderio. Sed longanimitate opus fuit, ne si mox curatus fuisset, deterius aliquid ei contigisset.

quia requiritur gratia cum voluntate cooperans.

42) Io 5, 14. 43) Ibid. vr. 5

Ostendit Dominus hodie quid agendum sit diebus festis.

VII. Hodie Dominus ostendit quid faciendum sit fidelibus suis, maxime diebus festis. Cum dies festus esset, abiit Ierosolymam in templum ad adorandum. Finita autem oratione et adoratione, abiit in piscinam, in Bethesdha,[43a] in domum pietatis, ad visitandos infirmos. Visitavit singulariter languidum, verbis consolatus fuit: *Vis sanus fieri?* Nec tantum verbis, verum etiam beneficio salutis. Sic Dominus hodie totam legem implevit, quae in duobus praeceptis posita est: *Diliges Dominum Deum tuum... et proximum tuum sicut teipsum.*[44] Hoc autem Dominus nostri causa operatus est, ut eum imitemur, ut sciamus quid praecipue festis diebus agendum nobis sit. Sed, bone Deus, quam longe sumus a sanctis hisce operibus, quam male festos dies servamus! etc.

Gratia facilem efficit virtutem.

In statu autem restitutae et recuperatae divino beneficio salutis ostenditur quam facile sit divina praecepta servare: *Surge, tolle grabatum tuum et ambula,* nam *statim sanus factus fuit homo ille* et tulit lectum suum et ambulavit magna simul cum facilitate et voluptate. Sic enim gratia Spiritus Sancti operatur in nobis, ut virtutum opera etiam magna cum voluptate Dei causa exequamur. Hinc homo iste a Domino curatus, postea in templo inventus fuit,[45] templum frequentabat, non coactus, non iussus, sed sua sponte.

Piscina haec imaginem refert Sacramentorum,

VIII. Piscina haec hodierna divinorum Sacramentorum, maxime autem Baptismi in Ecclesia, referebat imaginem; sicut enim illa salutem integram caelesti beneficio afferebat, ita et Sacramentum regenerationis. Ad salutem in piscina consequendam tribus opus erat: descensu Angeli, aqua piscinae et motione aquae. Ita et in Sacramento tria opus sunt: minister, elementum et verbum, quod « cum accedit ad elementum, fit Sacramentum », ut Augustinus loquitur.[46] Sic Paulus ait quod Hebraei sub Moyse *baptizati sunt in nube et in mari;*[47] et *ad Ephesios* scribit: *Mundans nos lavacro aquae in verbo vitae,*[48] duo simul coniungit: lavacrum aquae et verbum vitae.

Habebat aqua piscinae ab Angelo mota virtutem magnam, divi-

43a) Sic hebraice *Bethsaida* appellatur. 44) Dt 6, 5; Mt 22, 37. 39; Mc 12, 30-31; Lc 10, 27. 45) Cf. Io 5, 14. 46) *In Evang. Ioannis,* trac. 80. (P. L. 35, 1840). 47) 1 Cor 10, 2. 48) 5, 26.

nam efficaciam ab omni morbo curantem: *Sanus fiebat a quacumque... infirmitate;* sic et divina Sacramenta divinam habent efficaciam curandi ab omni peccato. Piscina illa curabat caecos, claudos, aridos, omne genus infirmitatis; Sacramenta omne peccatum. Non sine mysterio credo a Ioanne commemoratos caecos, claudos, aridos,[49] nam sunt in universum tria peccatorum genera: hi enim per ignorantiam, illi ex infirmitate, alii ex malitia et perversitate peccant; sed divina haec piscina contra omne peccati genus divinam habet efficaciam.

quae virtutem habent curandi ab omni peccato.

Sed tamen humana etiam requiritur diligentia in Sacramentis; hinc enim qui prior descendisset in piscinam curabatur. Paulus ait: *Probet autem seipsum homo;*[50] Philippus eunucho dixit: *Si credis ex toto corde licet*[51] baptizari; et Dominus: *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit.*[52]

dummodo ex parte hominis diligentia adsit.

IX. *Prope*[53] *erat dies festus Iudaeorum,* etc. Tria videnda sunt in hodierno Evangelio: primum est ad quid Dominus Ierosolymam ascendit; secundum, miraculum quod operabatur Angelus in piscina; tertium, miraculum quod operatus est Dominus in languido. Quoad primum, pergit Christus in Ierusalem ad diem festum ad Patrem adorandum in templo, iuxta legis praescriptum; deinde descendit in piscinam, ad xenodochium pauperum incurabilium. Sic servat utrumque caritatis praeceptum ad nostrum exemplum, ut sciamus quomodo vel maxime diebus festis debeamus tempus expendere in operibus religionis, pietatis et caritatis; nam erat sabbatum cum Dominus in piscinam descendit. Sic Dominus ostendit quod pectus ipsius vere erat arca testamenti, in qua erant ambae legis tabulae reconditae. Sic praestabat opera vitae et contemplativae erga Deum et activae erga proximum. Pectus ipsius erat domus Iacob, ubi simul manebant Rachel et Lia; praestabat opera Marthae et Magdalenae.

Multa agit Christus hodie opera religionis et caritatis.

Quoad secundum, piscina haec symbolum erat legis mosaicae,

49) Cf. 5, 3. 50) 1 Cor 11, 28. 51) Act 8, 37. 52) Mc 16, 16.
53) Quae hoc numero continentur, atramento clariori exarata sunt. Sunt autem veluti epitome praecedentium.

Piscina symbolum est legis mosaicae, Baptismi et Poenitentiae;

symbolum etiam Sacramentorum, maxime Baptismi et Poenitentiae, quae est veluti alter baptismus. Erat etiam veluti archivium quoddam divinorum mysteriorum potentiae, sapientiae, bonitatis Dei, iustitiae etiam et misericordiae; nam virtute supernaturali ibi operabantur miracula, quae etiam sunt beneficia. Quod autem uni tantum conferebatur sanitas et huic potius quam illi, nec semper, sed secundum tempus, opus erat sapientiae. Infirmitates erant opera iustitiae: *Noli amplius peccare ne,* etc.; sanitas conferebatur absque meritis, sic opus misericordiae. Tandem hic divina splendebat providentia, quae in salutem humani generis etiam supernaturalia providit remedia et ad fidem excitandam operabatur miracula.

In ea elucet etiam divina providentia.

Quoad tertium, ostenditur quod ad salutem consequendam necesse est ut concurrant simul natura et gratia: *Vis sanus fieri?* liberum arbitrium hominis requirit. Hinc est quod pauci sunt qui salvantur, quoniam pauci sunt qui divinae gratiae cooperari volunt, cum tamen nihil aliud requisierit Dominus a languido.

Ad salutem requiritur concursus naturae et gratiae.

ALIA HOMILIA

Prope erat dies festus Iudaeorum. [1]

I. Duo consideranda nobis sunt in hodierno Evangelio: historia miraculi et mysterium ipsius; nam per exteriorem sanitatem designatur interior, quam per iustificationem divinitus factam homo consequitur, non naturae viribus, sed gratiae munere, concurrente tamen libero hominis arbitrio.

Huius miraculi consideranda est historia et mysterium.

II. Quoad historiam, insigne est hodiernum miraculum ex multis. Ex tempore, quia factum in die festo Iudaeorum, ut putatur et creditur in festo Pentecostes, et insuper in die sabbati; [2] dies erat duplici titulo celebris. Ex loco, quia in probatica piscina, qui locus divinis miraculis valde insignis et illustris erat, qui quidem locus erat veluti stadium in quo ad pallium curritur, nam *qui prior descendisset in piscinam post motionem aquae, sanus fiebat,* [3] unus tantum, sicut Paulus ait, quod *omnes currunt, sed unus accipit bravium.* [4]

Quoad historiam hoc miraculum insigne est ex tempore et loco,

1) Io 5, 1. 2) Cf. ibid. vr. 9. 3) Ibid. vr. 4. 4) 1 Cor 9, 24.

Insigne ex persona, in qua factum est, nam invenit ibi hominem triginta et octo annos habentem in infirmitate sua.[5] Nam ad ostendendam miraculi magnitudinem hoc notavit Ioannes, sicut etiam in caeco nato fecit et in Lazaro suscitato: quoad illum quidem caecum, sed a nativitate, illuminavit,[6] hunc autem mortuum, sed quattuor iam dies sepultum, suscitavit.[7] Egit Christus hodie sicut praestantissimi medici, qui in morbis diuturnis et ab aliis medicis iam desperatis, solent peritiam virtutemque suam ostendere. **ex persona in qua operatum fuit.**

Insigne ex modo faciendi: *Surge, tolle grabatum tuum et ambula. Et statim sanus factus est homo ille, et sustulit grabatum suum et ambulavit;*[8] solo verbo soloque imperio hominem perfecta sanitate donavit, ita ut magnum quidem esset miraculum, quod Deus per Angelum operabatur in piscina post motionem aquae, sed multo maius multoque mirabilius hoc quod Christus per seipsum operatus est in hoc languido. **ex modo quo fuit operatum**

Insigne tandem a fine, nam ad hoc Christus in piscina operari voluit hoc miraculum, ut ostenderet se illum esse qui per Angelum operabatur ibi divina miracula. Hinc ait: *Pater meus usque modo operatur et ego operor,*[9] idest miracula. Ex quibus verbis intellexerunt Iudaei Christi mentem, quod significaret se Filium Dei verumque Deum esse. Hinc ait Evagelista: *Propterea persequebantur* eum *Iudaei,* non solum quia sabbatum solvebat, *sed* quia *Patrem suum dicebat Deum aequalem se faciens Deo.*[10] **et fine.**

Ad hunc ergo finem operatus est Christus hodiernum miraculum in piscina, ut ostenderet se aequalem esse Deo, qui credebatur, ut vere erat, miracula illa in piscina operari. Erat enim piscina illa balneum supernaturale, non enim naturali virtute aqua illa sanitatem conferebat, alioquin semper et omnibus contulisset, sicut ignis calefacit, sol illuminat; sed supernaturali virtute divinitus impressa; hinc solum post motionem aquae ab Angelo et nonnisi unum tantum curabat *a quacumque detinebatur infirmitate;*[10a] hinc erant ibi caeci, claudi, aridi, etc. **Christus hoc miraculum operatus est ut ostenderet divinitatem suam**

5) Cf. Io 5, 5. 6) Cf. 9, 1-7. 7) Cf. ibid. 11, 39-44. 8) Ibid. 5, 8-9. Vulg.: *Ambulabat.* 9) Ibid. vr. 17. 10) Ibid. vrr. 16-18. 10a) Ibid. vr. 4.

et ingentem caritatem erga hominem.

Operari etiam hoc miraculum Dominus voluit, ut ostenderet ingentem pietatem caritatemque suam erga hominem miserabilem, sicut clementissimus samaritanus,[11] etiam si sciret hoc miraculo magnam excitaturum contra se Iudaeorum invidiam. Hinc enim ait: *Propterea persequebantur eum Iudaei,* quia sabbatum solvebat, *quia haec faciebat in sabbato.*[12] Quam caeca est in bonis invidia! quam oculata in specie mali! Non advertunt miraculum, sed id quod contra sabbatum videbatur. Cum autem ob turpitudinem suam nolit nuda videri et in publico comparere, honestam induit vestem, zelo legis et sabbati se cooperit, cum tamen ex opere scire potuissent non esse sub lege sed supra legem qui talia poterat operari; aut multo melius mandata legis intelligere quam ipsi. At vero nonnisi ad malum propensa invidia est.

Quoad mysterium piscina haec symbolum fuit Sacramentorum Antiquae et Novae Legis.

III. Quoad mysterium multa hic essent consideranda, praecipue vero quid ipsa piscina significet et cur sanabatur tantum unus, qui prior descendisset post motionem aquae; quid item homo iste a Christo in piscina inventus *triginta octo annos habens in infirmitate sua.*[13] Sed scire sufficit piscinan illam symbolum fuisse sacramentorum Antiquae Legis et figuram Sacramentorum Novae, maxime vero Baptismi; quod lex ostendebat peccatum,[14] non curabat; quod sacramenta illa iustificabant ex opere operantis, ut theologi dicunt, non ex opere operato; hinc pauci admodum iustificabantur.

infirmus autem curatus imago hominis in statu peccati et gratiae.

Homo autem iste in duplici statu ante et post curationem imaginem gerit hominis in duplici statu: peccati per Adam et gratiae per Christum; quod peccatum infirmitas est incurabilis, nonnisi divinitus curari potest; quod non omnino destruit, sed vitiat naturam, non enim mortuus, sed infirmus hic reperitur, sicut etiam homo qui descendens ab Ierusalem in Iericho, etc.[15] Non erat homo iste omnino impotens, nam ait: *Dum venio enim ego, alius ante me descendit;*[16] poterat igitur se movere, poterat ambulare, sed lento gradu, ita ut non posset ad statum salutis suis viribus pervenire. Ita plane homo per peccatum non redditur omnino impotens ad bene ope-

11) Cf. Lc 10, 30-35. 12) Io 5, 16. Vulg.: *Iudaei Iesum,* etc. 13) Ibid. vr. 5.
14) Cf. Rom 3, 20. 15) Cf. supra, not. 11. 16) Io 5, 7.

randum, potest bona aliqua moralia operari, sicut Paulus *ad Romanos* 2 ait, quod gentes legem non habentes *naturaliter ea quae legis sunt faciunt,*[17] maxime cum nulla vehementi tentatione tanguntur, qua magnam ad bene operandum resistentiam patiantur. Non tamen potest homo divinam legem servare absque speciali gratia, nec operari, ita ut vitam aeternam mereatur: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid,* etc.;[18] *Sine me nihil,* etc.[19]

IV. *Vis sanus fieri?... Surge tolle grabatum tuum et ambula. Et statim sanus factus est.* Ad salutem consequendam impossibilia visus est praecepisse, sicut novatores sectarii docent Deum impossibilia hominibus praecipere.[20] Sic Deum non pium Patrem aut pastorem, sed tyrannum faciunt crudelissimum, instar Pharaonis, qui Hebraeis impossibilia praecipiebat.[21] Sed: *Iugum meum suave est et onus meum leve;*[22] *Mandata eius gravia non sunt;*[23] *In dextera eius ignea lex,*[24] est autem ignis natura levissimus. Praecipit ut diligamus eum *ex toto corde,* sed *ex omnibus viribus tuis,*[25] inquit, non supra vires; diliges pro tua virili, quantum potes. Non ergo mandat impossibilia, cum non mandet nisi ut quantum possumus eum diligamus. Non praecipit hodie impossibilia huic homini, nam *statim sanus factus est et sustulit grabatum suum et ambulabat.* Divinum verbum non est tantum significativum et expressivum conceptuum animi, ut humanum, est etiam effectivum: *Dixit et facta sunt,*[26] ut patet in *Genesi*: *Fiat firmamentum; Germinet terra; Fiant luminaria; Producant aquae; Producat terra animam viventem.*[27] Ita egit hodie: praecepit ut surgeret, ut tolleret, ut ambularet, et statim dedit virtutem, et quidem magnam, integram, perfectam, sicut apud Ezechielem legimus praeceptum illi fuisse ut staret supra pedes suos, et statim Spiritus Domini erexit eum.[28] *Dabo,* inquit, *vobis cor novum... et ponam spiritum meum in medio vestri et faciam ut in*

Deus impossibilia non iubet,

sed adiuvat ut quod praecipit facere possimus;

17) Vr. 14. 18) 2 Cor 3, 5. Vulg.: *Non quod sufficientes simus,* etc. 19) Io 15, 5.
20) Propositio Iansenii damnata uti temeraria, impia, blasphema, anathemate damnata et haeretica. Cf. Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symb.*, n. 1092; Lutheri etiam, cf. S. Laurentius a Br. *Hypotyposis,* part. 3, pag. 168, not. 101; S. Bellarminus *Controversiae,* t. 4. *De Iustificatione,* lib. 4, cp. 10, col. 917-918. 21) Cf. Ex 5, 5 sqq. 22) Mt 11, 30.
23) 1 Io 5, 3. 24) Dt 33, 2. 25) Ibid. 6, 5; Mt 22, 37; Mc 12, 30; Lc 10, 27.
26) Ps 148, 5. 27) 1, 6. 11. 14. 20. 21. 28) Cf. 2, 1-2.

praeceptis meis ambuletis.[29] Sic Moysi praecepit ut tabernaculum construeret, et statim necessariam materiam artificesque providit.[30]

requirit tamen consensum liberi arbitrii,

Vis sanus fieri? Requirit liberum arbitrium voluntatisque nostrae liberum assensum. Quid igitur novatores negant liberum arbitrium[31] contra universam theologiam, contra philosophiam, contra naturam ipsam, contra sensum, contra manifestissima experimenta, ac si dicerent homines non esse homines? Venit Christus in mundum ut homines faceret angelos: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri,*[32] ut similes essent Angelis, nam Beati in caelo erunt sicut Angeli, aequales Angelis. Venit Lutherus, venit Calvinus, ut homines facerent[33] bestias, nam si ab homine liberum arbitrium et rationem tollas, bestia est, brutum est, non homo ad imaginem Dei. Negant hi manifesta, ut statuant occulta, nam propter divinam praescientiam divinaeque voluntatis ab aeterno determinationem, negant liberum arbitrium, omniaque necessario evenire docent, cum capere non possent quomodo possit stare liberum hominis arbitrium cum infallibili praescientia Dei et determinatione divinae voluntatis ab aeterno.

quod impie negatur a novatoribus.

Hac de causa philosophi negabant, non quidem liberum arbitrium, cum sit manifestissimum, sed hi quidem divinam praescientiam, illi vero divinam providentiam in rebus humanis, ut Epicurei necnon etiam Peripatetici. Sed hi multo peius negant manifestissima ut statuant occultissima, veluti si quis ut statuat animam hominis, negaret corpus, et ut statuat Christi divinitatem, negaret humanitatem, passionem, mortem.

Concordia liberi arbitrii cum praescientia Dei mysterium est.

Sed dico, num etiam Deus libero arbitrio caret et ex necessitate omnia operatur, non autem secundum consilium voluntatis suae in mundo, in Ecclesia, in Paradiso, quia ab aeterno praescivit et praeordinavit quae facturus erat in tempore, in mundo, in Ecclesia, in paradiso? Num divinae libertati vim

29) Ibid. 36, 26-27. Vulg.: *Spiritum meum ponam*, etc. 30) Cf. Ex 31, 1-11.
31) Cf. S. Laurentius a Br. *Hypotyposis*, part. 2, pag. 57-58 et not. 130-134. 141-142; S. Bellarminus *Controversiae*, t. 4, *De Gratia et libero arbitrio*, lib. 3, cp. 1, col. 482.
32) Io 1, 12. 33) Ms.: *Faceret*.

inferemus, ne praescientiae et praedestinationi inferamus? Si capere non possumus concordiam liberi arbitrii cum divina praescientia et praedestinatione, dicendum cum Paulo: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius!*[34] non neganda manifestissima veritas sensibus ipsis patentissima, nedum in Divinis Litteris apertissima.

V. *Statim sanus factus est homo ille et sustulit grabatum suum.* Sanitas haec vera, integra, perfecta, naturalis, imago est verae iustificationis in anima, nam Christus ait de hoc miraculo dicens: *Totum hominem sanum feci in sabbato.*[35] Dedit huic Dominus perfectam virtutem ad exequenda mandata; non ficta fuit et apparens sanitas, ita ut phrenetici hominis instar sanum se putaret, cum revera non esset; sed verissima eum sanitate perfecte donavit.

Sanitas haec imago est iustificationis,

Et tamen sanctificationem in anima hominisque iustificationem fictum quid esse docent novi evangelistae;[36] sed animam iustificatam dici et apparere, non tamen esse; veluti si uxor adultera et in adulteriis perseverans ducenda esset honesta mulier, quia vir ipsius, stultus et impudens, non existimaret adulteria illa esse, sed pro honesta muliere eam haberet; aut si medicus ita infirmum curaret, ut phrenesi affectum sanum se ille exsistimaret, cum tamen nil minus esset. Sic putative sani sunt evangelici sicut phrenetici, qui se sanos putant. Non ita Christus curabat infirmos.

quae realiter animae inhaeret.

Vis sanus fieri? Animi voluntatem saepe requirit Dominus, non item intellectum, nam qui bonam habet voluntatem, licet non talem intellectum, Angelis similis esse potest. E contra vero, qui intellectum bonum non voluntatem habent, daemonibus similes sunt. Dominus in *Exodo* a singulis Hebraeis dimidium sicli requirit.[37] Anima intellectu et voluntate constat; voluntatem maxime hominis cupit.

Deus voluntatem ab homine maxime requirit,

Vis sanus fieri? Non requirit ab hoc homine Deus fidem, sicut ab aliis, nam non poterat hic de Christo fidem aliquam concepisse.

34) Rom 11, 33. 35) Io 7, 23. 36) Sic Lutherus, Calvinus et alii, apud S. Bellarminum *Controversiae*, t. 4, *De Iustificatione*, lib. 2, cp. 1, col. 775-779. 37) Cf. 30, 13.

ut faciat quod in se est.

Hoc exemplo probari potest eorum theologorum opinio, qui asserunt hominem, qui absque sua culpa nunquam Christi Evangelium audivit, modo implicitam fidem habeat faciatque quod in se est,[38] salvari posse. Nam Deus non requirit ab homine impossibilia; ab hoc homine id tantum quod habebat et praestare poterat ad salutem requisivit.[39]

38) Iuxta axioma theologicum: « Facienti quod est in se Deus non denegat suam gratiam », de quo cf. S. Thomas opusc. *De Veritate*, q. 14, a. 11, ad 1.

39) Post duas paginas albas invenitur inscriptio: « Sabbato infra hebdomadam primam Quadragesimae »; attamen quattuor folia alba relinquit et transit ad Dominicam secundam.

DOMINICA SECUNDA QUADRAGESIMAE

Resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix, etc. [1]

Proponitur hodie spectaculum gloriae Christi.

I. Mirabile spectaculum in theatro montis excelsi proponitur oculis nostris hodie, quo mirabilius nunquam visum est. Pulcrum spectaculum est caelum micantibus stellis ornatum, sed nunquam videre datum est in caelo stellas una cum sole. Hodie autem videre licet solem cum stellis, gloriam Christi una cum gloria Sanctorum, nam apparuerunt illis *Moyses et Elias,* ut Lucas habet, *visi in maiestate,* [2] sicut Ioannes in *Apocalypsi* ait vidisse se Christum, cuius facies splendebat ut *sol in virtute sua,* [3] idest ut sol lucidissimus, sed vidit eum in medio septem candelabrorum aureorum et stellarum splendentium; per candelabra autem interpretatur ipse Ecclesias, idest fideles Christi, Sanctos Dei, per stellas autem spiritus, idest Angelos sanctos. [4] Sic cernitur hodie paradisus gloriae Christi et gloriae Sanctorum eius.

Describit Moyses mirabilem hominis felicitatem in terrestri paradiso,

Multa scripsit Moyses de terrestri paradiso, quod erat speciale opus manuum Dei: *Plantaverat autem Dominus paradisum voluptatis a principio,* [5] sive, ut hebraice est, *paradisum in Eden,* ab oriente, idest solo amoenissimo, pulcherrimo, deliciosissimo, exposito ad ortum solis, quod erat specialis habitatio hominis: *Tulit Dominus Deus hominem et posuit eum in paradiso voluptatis,* [6] quod erat locus omnium deliciarum: *Produxit* autem *Dominus de humo omne lignum pulcrum visu et ad vescendum suave;* locus immor-

1) Pericope huius diei Mt 17, 1-9. Cf. Missale Rom. 2) 9, 30-31. 3) 1, 16. 4) Cf. ibid. vr. 10. 5) Gn 2, 8. 6) Ibid. vr. 15.

talitatis et vitae perpetuae, *lignum etiam vitae in medio paradisi;*[7] *Sumat de ligno vitae... et vivat in aeternum;*[8] et tandem veluti sedes imperii: *Dominetur piscibus maris et volatilibus caeli et bestiis universaeque terrae;*[9] *Gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subiecisti sub pedibus eius.*[10]

quae tamen perfecta non erat.

Sed non erat ibi humana felicitas omnino perfecta. Erat locus divinae similitudinis, sed nondum perfectae. Poterat Adam a satana tentari, sicut tentatus fuit; poterat peccare, sicut peccavit; poterat felicitatem illam amittere, sicut amisit; sustinebat prohibitionem boni desiderabilis, quale erat lignum scientiae, nam: *Vidit mulier lignum quod esset pulcrum visu et ad vescendum suave aspectuque delectabile;*[11] tandem divina illa similitudo non erat omnino perfecta, hinc serpens dixit: *Eritis sicut dii, scientes bonum et malum.*[12]

sed imaginem praeferebat gloriae paradisi caelestis.

Paradisus ergo ille veluti imago quaedam extitit veri paradisi qui in caelo est: *Dabo* illi *edere de ligno vitae, quod est in paradiso Dei mei;*[13] *Raptus est in paradisum et audivit arcana verba, quae non licet homini loqui.*[14] Paradisus terrestris locus erat hominis et animalium, caelestis autem locus est Dei et Angelorum electorumque Dei et verorum Christifidelium, sicut caelum locus est solis et stellarum. Sic videmus in hodierno Evangelio gloriam Christi: *Resplenduit facies eius sicut sol,* et gloriam Sanctorum eius post hanc vitam: *Apparuerunt illis Moyses et Elias, visi in maiestate,* caelesti splendore amicti. Christus fulgebat ut sol, Moyses et Elias ut stellae splendidissimae, nam: *Qui docti sunt, fulgebunt sicut splendor firmamenti,* etc.[15]

Splendor Christi glorificati imago fuit gloriae ipsius divinitatis et humanitatis.

II. *Resplenduit facies eius sicut sol.* Splendor iste solaris imago est gloriae tum divinitatis tum etiam humanitatis Christi. Divinitatis quidem, quoniam philosophis, maxime autem Platonicis, sol divinitatis hieroglyphicum est. Fuit etiam splendor hic praesagium futurae gloriae Christi, tum in caelo post resurrectionem, cum qua

7) Ibid. vr. 13. 8) Ibid. 3, 22. 9) Ibid. 1, 26. Vulg.: *Praesit*, etc. 10) Ps 8, 7-8. 11) Gn 3, 6. Vulg.: *Pulcrum oculis*, etc. 12) Ibid. vr. 5. 13) Apc 2, 7. 14) 2 Cor 12, 4. 15) Dn 12, 3. Vulg.: *Qui docti fuerint*, etc.

venturus est ad iudicandum, tum etiam in mundo et in Ecclesia post passionem suam, nam quoniam *exinanivit semetipsum formam servi accipiens* et *humiliavit semetipsum... usque ad mortem, mortem autem crucis... exaltavit illum* Deus *et dedit illi nomen quod est super omne nomen,* [16] sicut lux solaris est super omnem lucem.

Resplenduit sicut sol. Ostenditur divina [17] Christi gloria et virtus sub imagine solis. Sicut enim sol plus habet lucis et splendoris quam omnia simul astra totumque caelum et plus ipse solus quam omnia simul sidera mundum illuminat, ita solus Christus, verus Deus, hominem beare potest magis quam omnia bona mundi. Sicut etiam sol perennis est fons, inexaustus, inexiccabilis et primus fons totius luminis in mundo, ita Christus fons omnis bonitatis et felicitatis etiam in caelo. Nam Christus sol est paradisi, ut in *Apocalypsi* legimus; [18] sicut enim nulla est in caelo stella quae lumen non mutuetur a sole, et totum lumen, ita nullus est in caelo sanctus et beatus, qui non a Christo acceperit quidquid habet gloriae et gratiae, nam: *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* [19]

Gloria Christi infinite superat gloriam omnium Beatorum.

III. De sole Moyses in *Sacra Genesi* quattuor docet: originem, quod conditus a Deo; magnitudinem, luminare magnum, *luminare maius;* principatum, *ut praeesset diei;* locum et situm, quod positus a Deo est in firmamento caeli. [20] Regius Vates nonnulla alia addit, nam cum de situ et loco solis dixisset: *Soli posuit tabernaculum in caelis,* appellat ipsum sponsum et gigantem: *Tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam,* sponsus naturae, pulcherrimus et gigas maximus atque fortissimus; indicat motum perpetuum: *A summo caelo egressio eius et occursus eius usque ad summum eius,* et magnam vim in toto universo: *Nec est qui se abscondat a calore eius.* [21] Haec autem omnia de sole dicta sunt quatenus Christi refert imaginem.

Magna de sole praedicantur in S. Litteris

Solem aiebat Plato in mundo esse imaginem et simulacrum Dei, [22] et Pythagorici ad orientem solem adorabant, [23] quasi sol Deum repraesentaret. Anaxagoras natum se dixit ad viden-

et ab antiquis philosophis,

16) Phil 2, 7-9. Vul.: *Semetipsum exinanivit... donavit illi,* etc. 17) Ms.: *Divini.* 18) Cf. 21, 23. 19) Ps 83, 12. 20) Cf. 1, 14-17. 21) Ps 18, 6-7. Ex hebraico. 22) Cf. *De Republica,* lib. 6, pag. 352. 23) Cf. Marsilius Ficinus *Comment. Plotini,* Ennead. lib. 4, cp. 29, pag. 423.

dum solem.[24] Aliquando Deus in Sacris Litteris sol appellatus est: *chi scemesc humagen Iehova Elohim: quoniam sol et scutum Dominus Deus,* ait Regius Vates, *gratiam et gloriam dabit Dominus;*[25] ad quem alludens Iacobus Apostolus ait: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum,*[26] quoniam vere sol in multis refert imaginem Dei.

quod autem sol est oculis, hoc Deus est mentibus.

Quod enim sol est oculis, hoc Deus est mentibus, nam sol intelligentiae Deus est; sol mundo manifestissimus est, sed natura ipsius occultissima, quid sit ignoratur: hi dicunt densiorem partem sui orbis, alii caelestem ignem, ut vetustissima philosophia habet.[26a]

Resplenduit sicut sol. Est sol in caelo siderum princeps ditissimus et beneficentissimus, a popularibus suis nihil accipiens, sed omnes ditans atque locupletans thesauris divitiarum suarum, ita quod rex est non ditatus a regno, sed ditans ipse regnum. Talis princeps Christus est constitutus a Patre. Hinc ait hodie: *Hic est Filius meus dilectus... ipsum audite;*[27] princeps medius inter Moysen et Eliam; princeps simul clementissimus et severissimus, mitissimus et ardentissimus.

Hodie Christus constituitur princeps Ecclesiae,

IV. Constituitur hodie Christus a Patre princeps Ecclesiae, sicut Salomon rex a patre Davide.[28] Hinc Divus Petrus, testis oculatus, aperiens mysteria hodierni Evangelii ait: *Accipiens a Deo Patre honorem et gloriam, voce huiuscemodi ad eum delapsa a magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi* bene *complacui, ipsum audite.*[29] Alludit Petrus ad oraculum illud: *Gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subiecisti sub pedibus eius;* hinc ait: *Accipiens a Deo Patre honorem et gloriam.* Sicut Adam institutus fuit princeps mundi huius a Deo in paradiso, ita hodie Christus princeps universalis Ecclesiae: *Ipsum audite.* Et sicut cum constituisset Deus Moysen principem populi et legislatorem, divino splendore illustra-

24) Cf. Diogenes Laertius *De Vita et Moribus Philosophorum,* lib. 2, pag. 63.
25) Ps 83, 12. Ex hebraico. 26) 1, 17. 26a) Cf. Plato *Timaeus,* t. 3, pag. 22-23. 40; et apud Conimbricenses *De Caelo,* lib. 2, cp. 2, q. 5. a. 1. 27) Mt 17, 5. 28) Cf. 3 Rg 1, 32-35.
29) 2 Petr 1, 17. Vulg.: *Voce delapsa ad eum huiuscemodi,* etc.

vit ac mirabilem reddidit faciem ipsius,[30] ita hodie agit cum Christo: *Resplenduit facies.*

princeps infinitae nobilitatis, est enim Deus.

Ostenditur autem principis huius nostri nobilitas: *Hic est Filius meus,* primogenitus, unigenitus, consubstantialis mihi, coaeternus et coaequalis; *Filius meus,* non servus meus, ut Moyses, ut Elias, sed Filius tanto maior Moyse et Elia, quanto dominus servis, Deus hominibus; nec filius qualiscumque, sed *dilectus, in quo mihi bene complacui,* Filius mihi longe carissimus, dilectissimus uti simillimus. Ostenditur luce et candore decoratus, sed luce solis et candore nivis, summa luce, summo candore: *Resplenduit facies eius ut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.*[31] Quidquid in Christo est, summum est, maius excogitari non potest, sive potentia, sive sapientia, sive bonitas, sive sanctitas, sive maiestas, gloria, dignitas, auctoritas. Quidquid in eo est, lux solis est et candor nivis.

Ostenditur gloria paradisi et via ad eam consequendam;

Sed quidnam emolumenti aut commodi afferet nobis princeps iste? Illud ipsum quod sol affert mundo; hinc: *Resplenduit facies eius sicut sol.* Quia Hebraei Moysen audierunt, sortiti fuere felicissimam terram promissionis. Sed hodie, dum Christus princeps declaratur, ostenditur caelestis et divina gloria: *Ecce nubes lucida obumbravit eos.*[32] Nubem hanc lucidam Petrus magnificam gloriam appellat, nam quod Evangelista dicit: *Et ecce vox de nube dicens,*[32a] Petrus ait: *Voce ad eum delapsa a magnifica gloria.* Conspicua igitur hic facta est gloria Dei, gloria paradisi; quare sicut Iacob patriarcha caelum vidit apertum et scalam, per quam Angeli in caelum ascendebant,[33] ita hodie ostenditur gloria paradisi, et quid agendum sit ad eam consequendam: *Ipsum audite.*

ostenditur etiam gloria servorum Christi,

V. Ostenditur in hodierno Evangelio non solum gloria Christi regis, verum etiam servorum eius, Moysis et Eliae, nam, ut Lucas habet, *visi* sunt *in maiestate,* divina utique gloria donati, sicut fulgentia sidera in caelo a sole illustrata. Elias, quia servus Christi fuit, raptus est in caelum,[34] Moyses supra montem excelsum sanctam

30) Cf. Ex 34, 29 sqq. 31) Mt 17, 2. 32) Ibid. vr. 5. 32a) Ibid.
33) Cf. Gn 28, 12-13. 34) Cf. 4 Rg 2, 1-12.

quae principalis est articulus fidei.

animam et spiritum Deo reddidit,[35] caeloque et mundo apud Angelos et homines perpetuo gloriosus erit.

Gloria caeli, quae hodie conspicua facta est electis Christi discipulis et vitae christianae praemium constituta, principalis est fidei nostrae articulus. Hinc ad confirmandam veritatem hanc testibus omni exceptione superioribus Dominus voluit eam tribus Apostolis, omnium optimis, esse conspicuam, ut eam oculati testes mundo testificarentur et veritatis huius fidem indubitatam facerent. Sicut Angelus Ioannem duxit in montem excelsum et ostendit ei caelestem civitatem Ierusalem[36] et alius Angelus olim Ezechielem duxit et supra montem ostendit ei gloriosum templum Dei,[37] sicut etiam Moyses duxit in montem Aaronem, Nadab et Abiud, ut viderent gloriam Dei,[38] ita hodie Christus duxit in montem Petrum, Iacobum et Ioannem. Et sicut voluit ut Moyses supra montem excelsum ascenderet, ut inde contemplaretur felicissimam terram promissionis,[39] ita voluit hodie Apostolos cum Christo excelsum montem conscendere, ut ibi contemplarentur et viderent, non felicitatem terrae, sed gloriam caeli.

Christus natura princeps est,

VI. *Resplenduit facies eius sicut sol,* cui lux non extrinseca tantum est, non accidentaria, sicut lunae, sed intrinseca, naturalis, sicut calor igni. Sic Christus, Unigenitus Filius Dei, natura princeps est, Dominus universae creaturae, cum sit rerum omnium conditor et creator, *omnia* enim *per ipsum facta sunt.*[40]

et transfigurari voluit ad ostendendam gloriam suae divinitatis.

Transfigurari Dominus voluit ad confirmandam confessionem Petri, qua dixerat: *Tu es Christus Filius Dei vivi;*[41] ad ostendendam gloriam cum qua venturus est ad iudicandum: *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua,*[42] sicut promiserat: *Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis ... in regno suo,*[43] et ad ostendendam gloriam divinitatis, quae latebat in homine. Sic enim coram dignis testibus a Deo hodie confirmata est fides divinitatis Christi.

35) Cf. Dt 34, 1-6. 36) Cf. Apc 21, 9 sqq. 37) Cf. Ez 41, 2 sqq. 38) Cf. Ex 24, 1-9. 39) Cf. Ibid. 34, 1-4. 40) Io 1, 3. 41) Mt 16, 16. 42) Ibid. 25, 31. 43) Ibid. 16, 28.

Resplenduit sicut sol, ut sciamus quod princeps hic noster rex caelestis est, rex perpetuus, immortalis, nullius rei indigus, rex potentissimus, beatissimus, gloriosissimus, rex, ut uno dicam verbo, divinissimus, rex fugans tenebras omnium malorum, rex cuius natura, cuius magnitudo non potest nobis esse perspecta. Simili modo a sponsa in *Canticis* descriptus videtur: *Caput eius aurum optimum... venter eius eburneus, manus eius tornatiles aureae... crura eius columnae marmoreae... super bases aureas.*[44] Caput, manus et pedes habet ex auro fulvo solari, corpus autem candidum sicut ebur, sicut marmor, hinc dictus est *candidus et rubicundus,* nam sol aliquando rubicundus videtur; *electus ex millibus, vexillanus in decem millibus,*[45] princeps magni exercitus, sicut est sol in caelo. Sicut igitur hic splendidus candidusque ostenditur, ita etiam a sponsa describitur.

Christi natura et magnitudo incomprehensibis est.

Resplenduit sicut sol, qui et per seipsum et per lunam et stellas mundum illuminat atque laetificat; ita Deus et per seipsum, et per secundas causas mundum regit, moderatur, conservat, sicut rex regum et per seipsum et per ministros gubernat, et sicut anima spiritibus usa, humore et calore, corpus regit et servat.

sicut magnitudo solis sensu percipi nequit.

Resplenduit sicut sol, qui videri non potest absque lucis suae beneficio; licet autem videatur, non tamen plene cognoscitur, nam cum magnus sit valde et incredibilis magnitudinis, parvus tamen videtur, et cum motu celerrimo, concitatissimo, infinitis prope partibus velocius aquilis et sagittis, tamen motus ipsius vix discernitur, manere videtur immotus, sicut mansit tempore Iosue spatio unius diei.[46]

VII. *Resplenduit sicut sol.* Rex est immutabilis. Non enim sol ut luna mutatur, non crescit aut decrescit, sed idem semper est absque ulla penitus alteratione. Sic Deus ait: *Ego enim Dominus et non mutor.*[47] Sic Christus Deus. Sol lucidissimus est et calidissimus, ut tum vetustissima philosophia tum ipsa etiam experientia

Solis imagine describuntur in Christo quae in optimo principe maxime desiderari solent.

44) 5, 10. 14-15. Affert ordine inverso. 45) Ibid. vr. 10. Ex hebraico.
46) Cf. Ios 10, 12-14. 47) Mal 3, 6.

docet: *Non est qui se abscondat a calore eius,*[48] nam per calorem omnia operatur. Sic Christus sol est lucidissimus per sapientiam, calidissimus per caritatem, nam ipse Dei virtus et sapientia est, *splendor gloriae et imago substantiae eius.*[49] Solis imagine describuntur in Christo quaecumque in optimo principe desiderari possunt.

Sicut sol in caelo princeps est beneficentissimus, ita Christus in Ecclesia.

Designatur etiam per solem, qui summus in caelo est princeps, non habens superiorem aut aequalem alium solem, et unicus princeps est, monarcha est. Ita Deus unicus princeps est; ita Christus Dominus. In creatione et coronatione regis ita fieri solet, ut regnum quaedam petat a rege: ius privilegiorum, pacem, iustitiam, abundantiam; rex etiam multa petit a regno: fidem iuratam, obedientiam, tributa, auxilia in bellis gerendis et similia. Sic hodie regnum Sanctae Ecclesiae in suis principibus, Petro, Iacobo et Ioanne, petit a Christo: *Domine, bonum est nos hic esse.*[50] Quod enim respublica expectat et expetit a rege, felicitas est proveniens ex optimo regimine. Magna petitio bonum est: *Dicite iusto, quoniam bene.*[51]

quia fidelibus suis duplicem confert felicitatem;

Rex autem hic noster fidelibus suis duplicem tribuit felicitatem, tum in praesenti saeculo tum in futuro, hinc visi sunt Moyses et Elias, servi Christi, in maiestate. Tum etiam in praesenti, nam Petrus, qui adhuc mortalem vitam agebat, ait: *Domine, bonum est nos hic esse.* Hoc est quod Abrahamo Dominus ait: *Noli timere, Abram, ego protector tuus sum et merces tua magna nimis.*[52] Hoc quod populus Dei non solum in terra promissionis optatissima felicitate potitus est, verum etiam in deserto caelesti manna, suavissimo cibo Angelorum nutritus.[53] Sic duplicem legimus paradisum: terrestrem et caelestem. Hodie itaque rex noster petitioni principum regni annuens, duplicem promittit felicitatem. Ipse enim sol est, qui non tantum caelum, verum etiam terram illuminat totumque mundum magna laetitia replet.

vere princeps optimus,

Verum etiam rex petit a regno, a principibus, popularibus suis sua iura. Quid igitur rex noster petit? *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Princeps nobilissimus et optimus, hinc

48) Ps 18, 7. 49) Hebr 1, 3. Vulg.: *Figura substantiae eius.* 50) Mt 17, 4.
51) Is 3, 10. 52) Gn 15, 1. 53) Cf. Ex 16, 33.

dilectissimus Deo, cui nonnisi optima quaeque placent. Hic autem adeo placet Deo, ut nihil magis placere Deo possit. Princeps est etiam in oculis Dei optimus, adeo ut nec Deus ipse, qui infinita sapientia est, meliorem vel formare, vel excogitare, vel desiderare possit. Talem igitur principem dat Ecclesiae suae Deus, optimum, infinitis partibus meliorem Moyse et Elia, summis synagogae principibus.

Semper nanque studuit Deus regno suo in terra bonos principes providere.[54] Hinc cum primum synagogam in regni formam redegit, providit ei praestantissimos principes, Moysen et Aaronem; postea alios his similes, Iosue, Gedeonem, Samuelem, Davidem, Salomonem, Ezechiam et alios. Nunc autem optimum principem dat, Angelis ipsis in caelo multo meliorem, solem stellis multo splendidiorem. Talem igitur cum dederit nobis principem, sciens quanti referat reipublicae principem habere optimum, navi optimum nautam et ductorem, exercitui imperatorem, videndum quid tandem requirat a nobis: *Ipsum*, inquit, *audite*, obedientiam ei praestate fidemque, principi huic optimo, qui nonnisi Patris praecepta dabit pro ingenua erga nos caritate, obtemperate. Nihil aliud praeterea hodie requirit a nobis.

cui igitur obedientia et fides praestanda est.

Nunc videndum nobis est an sicut ipse optimus princeps est, ita nos boni saltem subditi et populares ipsius simus. Regis nostri bonos subditos habemus in hodierno Evangelio: *Assumpsit Petrum et Iacobum et Ioannem... et duxit illos in montem excelsum.*[55] Homines sunt qui ipsum sequuntur sursum ascendentem per asperum et difficile virtutis iter, spiritu facta carnis mortificantes, qui divinam legem fide, spe et caritate praediti atque muniti servant, qui mysticum hunc Moysen ex Aegypto in terram promissionis per desertum ex animo sequuntur.

Sed pauci sunt qui per viam salutis Christum sequuntur

Sed, bone Deus, quam pauci, quam rari hi sunt! Qui per viam perditionis incedunt multi sunt, qui autem per viam salutis paucissimi. Hinc non omnes Apostoli cum Christo ascenderunt in montem hunc, ut gloriam Dei viderent, sed tres tantum, primores ac ceteris multo perfectiores: Petrus, Iacobus et Ioannes.

54) Ms.: *Studuit* iterum ponitur.

55) Mt 17, 1. Affert ex Breviario Rom.

Regnum Christi testimonium habet a Moyse et Prophetis.

VIII. *Apparuerunt illis Moyses et Elias cum eo loquentes.* Regnum Christi testimonium habet a Moyse et Prophetis. Moyses enim Christum regem praedixit: *Non auferetur sceptrum de Iuda et dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium;* [56] hebraice: *Ipsi congregatio populorum;* Paraphrasis Chaldaica: *Ipsi obedient populi;* sic a Prophetis: *Factus est principatus super humerum eius;* [57] *Suscitabo David germen iustum et regnabit rex;* [58] *Ecce rex tuus venit tibi iustus et Salvator.* [59]

Hoc regnum consequi possumus fide firma, spe vera, solida caritate.

Assumpsit Petrum et Iacobum et Ioannem et duxit eos in montem excelsum. Iter agit hodie Christus in montem excelsum ad Deum Petro, Iacobo, et Ioanne comitatus. Petrus saepe de fide laudatus est, tanquam firmissima fidei petra; Iacobus luctator interpretatur, qui nonnisi spe victoriae superante timorem, in arenam descendit ad reportandam palmam victoriae, sicut Iacob Patriarcha cum Angelo luctatus fuit; [60] Ioannes autem totus caritas erat, et gratia interpretatur. Iter hoc in caelum, iter virtutis ad Deum, divinarum legum observatio, opus habet fide firma, spe vera solidaque caritate, non ficta. Absque his paradisus nemini patet.

At multi sunt qui caelestia minimi faciunt, maximi vero mundana.

De malis Hebraeis ait Regius Vates quod, cum egressi fuissent ex Aegypto, duce Moyse, et Rubro mari transmisso in desertum ingressi: *Non crediderunt verbis Domini, nec speraverunt in salutari eius,* [61] sed *pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.* [62] Ita plane, - utinam non verum esset! - de multis christianorum myriadibus dici potest, quod pro nihilo habent gloriam Dei, supercaelestem paradisum, quasi illud Socratis, licet aliter, usurpantes: « Quae supra nos, nihil ad nos ». [63] Cum Hebraeos taedere coepisset itineris ac laboris per desertum et caeleste manna illos veluti fastidio et nausea affecisset, cupientes carnes et fructus terrae Aegypti, statuerunt in Aegyptum reverti, iugum Pharaonis durissimamque servitutem iterum subire. [64] Ita plane multi christiani spiritualia et caelestia

56) Gn 49, 10. 57) Is 9, 6. 58) Ier 23, 5. 59) Zach 9, 9. Vulg.: *Veniet.*
60) Cf. Gn 32, 24-25. 61) Ps 77, 22. Vulg.: *Non crediderunt in Deo.* 62) Ps 105, 24.
63) Minucius Felix *Octavius*, cp. 13, (P. L. 3, 274). 64) Cf. Nm 21, 4-5.

fastidientes, carnalia autem et mundana mira cupiditate appetentes, divino famulatu neglecto, carni et mundo servire magis volunt quam Deo, terrena, carnalia, mundana maximi faciunt, caelestia, spiritualia, divina nihili pendentes.

II. ALIA HOMILIA [1]

Hic est Filius meus dilectus, in quo, etc. [2]

Ostenditur hodie divina Christi gloria.

I. Ostenditur nobis hodie Christi divina gloria, sicut etiam Petrus ait: *Accipiens enim a Deo Patre honorem et gloriam, voce delapsa ad eum huiuscemodi a magnifica gloria;* [3] et Regius Vates: *Gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum.* [4] Ostenditur autem Christus divina gloria hodie praeditus, tanquam obiectum nostrae fidei in quem debemus credere, obiectum spei in quem debemus sperare, obiectum caritatis et amoris nostri quem unice debemus super omnia diligere. Obiectum, inquam, fidei, ait enim: *Hic est Filius meus dilectus... ipsum audite,* idest in ipsum credite, tanquam verum legislatorem ac prophetam missum a Deo, sicut Moyses et Elias, sed tanto hic maior est Moyse et Elia quanto sol maior est stellis, hinc: *Resplenduit facies eius sicut sol.* [5]

De Christo credendum est quod sit verus Filius Dei.

II. Cum autem Christus obiectum sit nostrae fidei, videndum quid credendum nobis sit. Hoc autem Deus ipse docet. Promiserat Deus missurum se in mundum Messiam Salvatorem, qui in Sacris Litteris et Filius Dei et Legislator et Propheta dictus est testificatusque tum a lege, tum a Prophetis: *Filius meus primogenitus Israel;* [6] *Ex Aegypto vocavi filium meum;* [7] *Filius meus es tu;* [8] *Filius datus est nobis;* [9] hinc ait: *Hic est Filius meus,* non per gratiam, non per

1) Atramento clariori et stylo latiori exarata. 2) Mt 17, 5. 3) 2 Petr 1, 17. 4) Ps 8, 6-7. 5) Mt 17, 2. 6) Ex 4, 22. 7) Os 11, 1; Mt 2, 15. 8) Ps 2, 7. 9) Is 9, 6.

adoptionem, sed per naturam: *Ego hodie genui te;*[10] alioquin etiam Moyses erat filius Dei, etiam Elias; sed hic, cuius facies splendet ut sol, cuius vestimenta candida sunt ut nix, idest qui summa gratia et gloria donatus est - *Verbum caro factum est... plenum gratiae et veritatis,* idest sanctitatis, *et vidimus gloriam eius,* etc.;[11] - hic, inquam, est Filius verus, in lege et Prophetis promissus, verus Messias, verus Deus et homo, verus Emmanuel. Quod si verus Filius Dei, ergo verus Deus, cum Patre eiusdem naturae eiusdemque substantiae: *Qui cum in forma Dei esset,* etc.;[12] *Deus erat Verbum.*[13] Si verus Deus, ergo summae nobilitatis, excellentiae, gloriae, dignitatis, summae perfectionis, ut sol summae lucis, nix summi candoris; propterea enim Deus in Sacris Litteris appellatus est sol: *Saeculum nostrum in illuminatione,* ad luminare, *vultus tui;*[14] *Sol et scutum Dominus Deus,*[15] quoniam summae perfectionis est, ita ut maior excogitari non possit. Si verus Deus, ergo prima causa et principium omnium rerum, creator omnium, sicut sol pater et procreator est omnium rerum naturalium; ergo auctor naturae, fons gratiae, thesaurus gloriae, rex omnis creaturae in caelo et in terra, rex infinitae et aeternae maiestatis, sicut lux solis maxima est et perpetua. Haec igitur sunt quae de Christo credenda sunt.

eiusdem cum Patre naturae,

summae gloriae et perfectionis,

prima causa omnium rerum;

Fit autem in hodierno Evangelio mentio etiam passionis, nam loquebantur cum Christo Vates: *Dicebant excessum;*[16] mentio etiam resurrectionis: *Donec a mortuis resurgat Filius hominis.*[17]

Ipsum audite, quoniam, cum verus sit Filius, summa ipse veritas est, sicut summa sapientia et bonitas, ita ut nec fallere nec falli possit; propterea *ipsum audite,* ipsi per omnia credite, ipsique obedientiam omnem praestate.

summa veritas et sapientia;

Isaias, ut decalararet quidnam esset Filius Dei, subiunxit: *Factus est principatus super humerum eius, et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater aeternitatis,* idest ante omnem aeternitatem, *princeps pacis... et pacis non erit finis.*[18] Verbis multis opus fuit ad declarandum quidnam sit Filius Dei huma-

10) Ps 2, 7. 11) Io 1, 14. Affert ordine inverso. 12) Phil 2, 6. 13) Io 1, 1. 14) Ps 89, 8. 15) Ps 83, 12. Ex hebraico. 16) Lc 9. 31. 17) Mt 17, 9. Invertit ordinem verborum. 18) 9, 6-7. Ex hebraico.

natus, qui in oculis mundi tam parvus videbatur, unde ait: *Parvulus natus est nobis.*[19] Sic Christus Filius Dei, verus Messias, Deus et homo, obiectum est nostrae fidei, iubetque Deus ut in eum credamus: *Ipsum audite.*

verus Messias.

III. At vero non tantum fidei obiectum, proponitur etiam Christus hodie tanquam obiectum spei, quoniam ostenditur fons et thesaurus caelestis gloriae, sicut sol fons et thesaurus est claritatis et lucis; in ipso tamquam in exemplari ostenditur gloria paradisi, quae constituta est merces et corona virtutis. In sole autem demonstratur perpetua in caelo immortalitas perpetuaque caritas et gloria, hinc ait quod *fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum;*[20] propterea inquit Paulus: *Salvatorem expectamus... qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.*[21]

Christus exemplar est gloriae paradisi;

Alia etiam oratione symbolo hoc ac hieroglyphico solis ostenditur Dominus spei obiectum; nam sol princeps stellarum est, sed ditissimus, liberalissimus et perpetuus. Solent homines quam maxime in principibus confidere, unde Regius Vates ait: *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine; bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus.*[22] Sed frigescit aliquando spes vel quia princeps non est valde dives et potens, vel quia minime liberalis est et munificus, vel metu mortis impendentis. Christus autem princeps est solis instar, ditissimus, liberalissimus et aeternus, cum sit verus Filius Dei, verus Deus. Hinc iubet Deus principi huic obtemperare et subiectos esse: *Ipsum audite.*

obiectum spei, quia munificentissimus,

IV. Tandem obiectum est caritatis. Sol enim pulcherrimus, ex quo mundi totius pulcritudo, optimus est etiam, universo mundo summe utilis summeque iucundus, sponsus naturae, pater atque servator omnium quae natura procreantur. Videtur etiam pater providentissimus et amantissimus, sicut fons caloris vitalis est, nam perpetuo movetur et gyrat, lustrans universa, absque ullo tamen suo

obiectum caritatis, quia nostri amantissimus et liberalissimus.

19) Ibid. vr. 6. 20) Mt 13, 43. Vulg.: *Iusti fulgebunt.* 21) Phil 3, 20 sq.
22) Ps 117, 8-9.

emolumento, sed nostri tantum causa, ita ut revera summus sit liberalissimus et perpetuus benefactor, universalis omnibus et particularis singulis. His omnibus de causis Christus hodie sole induitur, ut sciamus in eo summas esse causas amoris: pulcherrimus est, optimus est, summus benefactor, amantissimus omnium et quidquid operatus in mundo est, nostri causa est operatus; thesaurus est infinitus et fons inexhaustus, perennis, inexiccabilis omnium bonorum.

Hodierna gloria Christi imago fuit ipsius futurae gloriae.

Divus Petrus ait quod hodie Christus accepit a Deo honorem et gloriam. Quare merito hic dicere possumus: *Sic honorabitur* vir, *quem rex honorare voluerit.*[23] Honorat hodie Deus Christum, sicut rex Assuerus Mardochaeum virtutis causa honoravit.[24] Sicut autem honor ille, licet magnus, brevis tamen fuit et veluti momentaneus, at vero fuit praesagium quoddam futuri honoris ipsius permanentis et perpetui in altissimo gradu aulae regiae, ita plane hodiernus hic honor Christi magnus, at brevis est, sed imago futuri.

III. ALIA HOMILIA [1]

Ostenditur hodie magnitudo gloriae Christi

I. Ostenditur in hodierno Evangelio gloria et maiestas Christi magnitudoque ipsius; nam Lucas ait quod Apostoli *evigilantes viderunt maiestatem eius.*[2] Ponitur basis et fundamentum fidei et pietatis nostrae, ut Paulus ait: *Fundamentum aliud nemo potest ponere,*[3] quod Christus sit verus Filius Dei. Datur hic cognitio Christi per visum et auditum: *Transfiguratus est ante eos; et resplenduit facies eius;*[4] *Et ecce vox de nube dicens*: *Hic est Filius meus dilectus.*[5] Hi enim duo sensus dati sunt homini ad disciplinas capessendas. Per hos sensus plantata fuit pietas et religio in Hebraeorum animis, in deserto, dante Deo legem Moysi in monte Sinai.

Ostenditur dignitas et excellentia evangelicae legis ab ipso le-

23) Est 6, 9, Vulg.: *Quemcumque voluerit rex honorare.* 24) Cf. Ibid. vrr. 10-11.

1) Atramento clariori et stylo latiori exarata. 2) 9, 32. 3) 1 Cor 3, 11. 4) Mt 17, 2. 5) Ibid. vr. 5.

gislatore Christo. Pendet auctoritas legis ab auctoritate principis eam ferentis, ab auctoritate legislatoris; lex enim sine auctoritate corpus est sine spiritu. Mirabilis autem haec Christi transfiguratio divina quaedam veluti imago fuit multorum [6] in Christo mysteriorum, praeteritorum, praesentium et futurorum, praeter ipsam historiam plane admirabilem, nam trasfiguratio divinum fuit miraculum.

et excellentia evangelicae legis.

Fuit, inquam, imago praeteritorum transfiguratio et ornatus mirabilis sacratissimae humanitatis Christi. Ea enim designatur non nudam sumpsisse Filium Dei humanitatem, qualis in nobis est multis vitiis et corruptelis obnoxiam: ignorantiae, concupiscentiae, malitiae, etc.; sed splendoribus divinae sanctitatis et sapientiae ornatam super omnem creaturam. Hinc Ioannes ait: *Verbum caro factum est et habitavit in nobis... plenum gratiae et veritatis,* [7] et Lucas: *Puer autem crescebat et confortabatur* spiritu, *plenus sapientia, et gratia Dei erat in illo.* [8] Sed quali gratia, quali sapientia? *Sicut sol,* sicut lux, *sicut nix.* Sic Deus arcam ex lignis factam iussit auro purissimo interius exteriusque ornari; [9] sic velum, quod sanctum sanctorum tegebat, voluit phrygionica arte diligentissime et ingeniosissime acu pictum esse; [10] sic vestes pontificis auro et gemmis ad miraculum voluit ornatas esse; [11] sic Assuerum Esther humili loco natam, sed virginem pulcherrimam et ornatissimam, duxit uxorem. [12] Hoc ipsum designat templum ditissime et munificentissime extructum et exornatum. Erat autem templum imago et figura corporis Christi: *Dixit de templo corporis sui.* [13]

Quoad mysterium transfiguratio Christi ostendit gloriam suae humanitatis,

Fuit etiam imago praesentium. Lux enim imago deitatis est, nam: *Deus lux est et tenebrae in eo non sunt ullae.* [14] Sic ostenditur hodie Christus totus divinitatis luce perfusus, non homo purus, sed item verus Deus; quod sacra illa humanitas arca et thesaurus divinitatis erat: *In quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* [15] Ostendit quod ipse sit sol iustitiae, itemque Pater luminum, a quo

quae divinitati coniuncta erat;

6) Ms.: *Multorum* bis ponitur. 7) 1, 14. 8) 2. 40. 9) Cf. Ex 25, 10-11. 10) Cf. ibid. 26, 31. 11) Cf. ibid. 28, 4 sqq. 12) Cf. Est 2, 8-17. 13) Io 2, 21. Vulg.: *Dicebat,* etc. 14) 1 Io 1, 5. 15) Col. 2, 9. Vulg.: *In ipso inhabitat,* etc.

omne datum optimum et omne donum perfectum[16] descendit, auctor gratiae omnis et gloriae, Sanctus Sanctorum et Rex regum; summa divinaque Christi excellentia, sicut ait: *Ecce plus quam Ionas hic... ecce plus quam Salomon hic.*[17] Ita: ecce plus quam Moyses hic, ecce plus quam Elias hic, sicut sol inter stellas.

ostendit etiam eius gloriam in paradiso,

Fuit etiam figura et imago futurae gloriae Christi post resurrectionem suam, tum in Ecclesia triumphante in caelis tum etiam in Ecclesia militante in terris. Quaenam est nunc gloria Christi in paradiso? *Sicut sol, sicut nix,* summa omnino: *Propter quod et Deus exaltavit illum et dedit illi nomen quod est super omne nomen... in gloria est Dei Patris;*[18] ita Ioanni in *Apocalypsi* apparuit splendenti vultu instar lucidissimi solis.[19] Et quaenam est nunc Christi gloria in Ecclesia? *Sicut sol, sicut nix.* Mirabilis fuit hodie in Christo transfiguratio, sive, ut graece est, *transmutatio,* supra montem excelsum; multo mirabilior in mundo. Paulus ait: *Praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam; iis autem qui vocati sunt, Iudaeis et Graecis, Dei virtutem et Dei sapientiam.*[20] In mundo Christus, cum innumera miracula apud Iudaeos operatus fuisset, vix tamen magnus propheta aut verus Messias creditus fuit. Nunc, ducta per Spiritum Christi credentium multitudine supra verticem montis Ecclesiae Sanctae Dei, creditur, agnoscitur, praedicatur, adoratur ut verus Filius Dei, aequalis Deo, verus Deus, ita ut nil altius aut sublimius excogitari possit.

cum qua venturus est ad iudicandum.

Ostenditur etiam gloria in qua venturus est ad iudicandum. Nam paulo ante dixerat: *Filius enim hominis venturus est in gloria* sua *cum Angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera sua.*[21] Nam subiunxit etiam: *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis... in regno suo,*[22] idest in gloria et maiestate, quam habiturus est in caelesti regno.

16) Iac 1, 17. 17) Mt 12, 41-42; Lc 11, 31-32. 18) Phil 2, 9-11. Vulg.: *Et donavit illi nomen*, etc. 19) Cf. 1, 16. 20) 1 Cor 1, 23-24. Vulg.: *Ipsis autem vocatis*, etc. 21) Mt 16, 27. Vulg.: *Opera eius*. 22) Ibid. vr. 28.

II. Sed quoad historiam ostenditur Christus summus divinusque legislator, nam ait: *Hic est Filius meus dilectus... ipsum audite.* Iam non amplius Moyses audiendus est aut Elias, inquit, sed hic Filius meus, qui supra Moysen est, supra Prophetas. Sciendum autem quod, cum Deus Moysen legislatorem instituit, ut dignus esset legislator, eum divina cum sanctitate tum etiam sapientia et auctoritate donavit. Tria enim haec legislatori cum primis necessaria sunt, ut leges condat iustas sanctasque, reipublicae utiles, ad continendum populum in officio, ad publicam honestatem et felicitatem: summa animi ingenuitas, sanctitas, caritas, ingens publici boni desiderium; sed super omnia auctoritas. Ita Deus cum Moyse egit, cum principem populi eum instituit: sanctificavit eum, divina sapientia imbuit ac tandem summa auctoritate donavit multisque modis illustravit. Ita plane cum Christo agere voluit. Sic eum hodie tantopere glorificavit.

Quoad historiam ostenditur Christus summus divinusque legislator.

III. *Resplenduit facies eius sicut sol.* Duo consideranda sunt nobis in hodierno Evangelio: historia miraculi transfigurationis et mysterium. Quoad historiam datur hodie Christus a Deo summus princeps Ecclesiae, sicut olim datus fuit Moyses et post eum Elias princeps Prophetarum: *Hic est Filius meus dilectus... ipsum audite.* Videtur agere hodie Deus cum Christo quod olim egit David cum Salomone filio suo: cum eum regem instituit totius regni et imperii sui, sibi parem dignitate et auctoritate, potentia et magnitudine esse voluit.[23] Sic ait hodie: *Ipsum audite*: ipse princeps et rex vester erit, mihi per omnia potestate et maiestate aequalis. Summus princeps et monarcha synagogae fuit Moyses, quoad utrumque forum; ita Christus rex et sacerdos sicut Melchisedech. Magna Deus Moysen auctoritate donavit et gloria, cum faciem ipsius divinis splendoribus exornavit;[24] ita hodie Christus gloria et honore coronatus est. Facies Moysi hodie coram Christo nihil splendebat, sicut nec luna coram sole. Qualis et quanta est Christi auctoritas?

Alia consideranda sunt quoad historiam et mysterium.

Quoad historiam hodie Christus constitutus est summus princeps Ecclesiae;

23) Cf. 3 Rg 1, 32-40. 24) Cf. Ex 34, 29 sqq.

Sicut sol, sicut nix: maior nec in caelo quidem excogitari potest, nec Deus ipse maiorem habet.

quoad mysterium gloria Christi exemplar fuit futurae gloriae nostrae.

Quoad mysterium. Designantur mirabili hac transfiguratione quaedam mysteria respectu Christi personae, quaedam vero respectu nostri. Respectu Christi quae diximus de ornatu humanae naturae, de luce divinitatis, de praesagio divinae gloriae post resurrectionem. Respectu nostri indicatur veluti exemplar futurae nostrae gloriae in caelo, quae talis erit ut maior desiderari aut excogitari non possit: *sicut sol, sicut nix*: *Fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum.* Magna fuit felicitas Salomonis, sed potuit esse maior, non fuit beatus: *Vanitas vanitatum et omnia vanitas;*[25] magna felicitas Adami, sed potuit esse maior, hinc maiora appetiit; magna felicitas Luciferi in caelo, sed potuit esse maior, non fuit beatus, maiora appetiit in paradiso. Ita Beati erunt pleni omni felicitate omnique optabili consolatione, sicut sol luce, eritque aeterna felicitas. Sed sicut ostensum fuit patriarchae Iacob caelum apertum una cum scala qua eo ascendebatur,[26] ita in hodierno Evangelio via ostenditur qua in caelum eundum est: *Ipsum audite,* ipsi obtemperate, ipsius praecepta legesque servate. Hoc omnibus dicitur, principibus et privatis, divitibus et pauperibus, omni sexui et statui personarum in mundo: *Ipsum audite.*

dummodo ipsum audierimus.

Conquestus fuit Deus de Adam quod audierit vocem uxoris suae, non Dei: *Quia,* inquit, *audisti vocem uxoris tuae, et de ligno de quo praeceperam tibi ne comederes, comedisti, maledicta terra in opere tuo;*[27] ita tandem conqueretur de omnibus et singulis, qui carnis potius, mundo et satanae obedire voluerint, quam Deo. *Ipsum audite,* non carnem, non mundum hunc impium, non satanam inimicum humanae salutis; *Ipsum audite,* quia data est ei *omnis potestas in caelo et in terra.*[27a]

IV. In hodierno Evangelio, quod spectat ad historiam, ostenditur primo veritas transfigurationis huius. Nam ait quod *transfigu-*

25) Eccle 1, 2; 12, 8. 26) Cf. Gn 28, 12. 27) Ibid. 3, 17. Vulg.: *Et comedisti de ligno, ex quo,* etc. 27a) Mt 28, 18.

ratus est ante eos, in oculis eorum, ipsis cernentibus. Hinc Petrus: *Non doctas,* sive, ut graece est, *sophisticatas fabulas secuti notam fecimus vobis Domini nostri virtutem et praesentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis; accipiens enim a Deo Patre honorem et gloriam,* etc.[28] Non falso, inquit, transfiguratus est Christus et transformatus, sicut poetae Gentium de suis diis fabulantur, quod Iovis transformatus fuit nunc in taurum, nunc in cygnum, nunc in aquilam, nunc in aurum, sed revera nobis spectantibus. Sic etiam Ioannes: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre,*[29] et alibi: *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae... annunciamus vobis.*[30] Sunt hi testes oculati, viri boni, qui pro veritatis huius defensione martyria subiere. Petrus vero alia ratione hoc probat: *Et* adhuc *habemus,* inquit, *propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernae,* etc.[31] Praesentes fuerunt transfigurationi Moyses et Elias, quoniam gloria Christi testimonium habet a lege et Prophetis. Sic, inquit, *habemus firmiorem,* etc.

Ostenditur veritas transfigurationis

et in confirmationem adducuntur testes oculati;

Assignantur etiam ab Evangelistis circumstantiae temporis: *Post dies sex;* loci: *Duxit eos in montem excelsum seorsum;*[32] adducuntur testes oculati, spectatores. Ponitur transfigurationis huius causa materialis: corpus Christi, facies, vestis, totum corpus; formalis: lux solaris et candor niveus; efficiens ponitur a Petro: *Accipiens a Deo Patre honorem et gloriam.* Hinc Marcus 9 ait: *Vestimenta eius facta sunt splendentia et candida nimis sicut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere;*[33] ubi Matthaeus ait: *Vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix,* et Lucas: *Vestitus eius albus et refulgens.*[34] Insinuare voluit Marcus quod candor ille supernaturalis fuit, divinitus factus. Dicitur autem in Evangelio simpliciter *transfiguratus,* nec dicitur a quo, quoniam, cum ipse Deus sit, a seipso transfiguratus fuit, ipse sibi auctor fuit huius gloriae. Causa tandem finalis: *Hic est Filius meus dilectus.* Sic confirmatur quod Petrus, Divino Spiritu afflatus, dixerat: *Tu es Christus Filius Dei vivi.*[35]

assignantur causae: materialis, formalis, efficiens.

28) 2 Petr 1, 16-17. 29) Io 1, 14. 30) 1 Io 1, 1-2. 31) 2 Petr 1, 19.
32) Mt 17, 1. Affert ex Breviario Rom. 33) Vr. 3. 34) 9, 29. 35) Mt 16, 16.

Egisse visus est hodie Deus cum Christo id quod Pharao egit cum Ioseph. Cum enim totius Aegypti principem instituisset vestibusque regiis et regalibus insigniis exornasset, dixit Aegyptiis: *Ite ad Ioseph, et quodcumque dixerit vobis, facite.*[36] Ita plane hodie videmus.[37]

36) Gn 41, 55. Vulg.: *Quidquid ipse vobis dixerit,* etc. 37) Pagina alba relicta, transit ad sequentem.

FERIA SECUNDA INFRA HEBDOMADAM SECUNDAM QUADRAGESIMAE

Ego vado et quaeretis me et in peccato vestro moriemini, et quo ego vado vos non potestis, etc. [1]

I. Vidit in spiritu Ezechiel gloriam Domini discendentem de templo ac relinquentem illud. [2] Gloria autem Dei Christus est, templum vero illud synagogam designabat. Sic hodie Christus ait se synagogam relicturum: *Ego vado.* Discessionis autem huius causa peccatum indicatur: *In peccato vestro moriemini.* In hodierno Evangelio ostenditur peccati pernicies et simul remedium contra peccatum, sicut in deserto venenum mortiferum ignitorum serpentium et divinum antidotum serpentis aenei. [3] Ad hoc enim mysterium alludens hodie Dominus ait: *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.* [4] Datur itaque nobis hodie tum cognitio peccati, quod venenum est mortiferissimum, tum etiam cognitio Christi, quod est antidotum salutiferum et remedium efficacissimum. *In peccato vestro moriemini*: ecce venenum; *Nisi credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro*: [5] ecce antidotum.

Ostenditur hodie peccati pernicies et remedium.

II. Quoad primum ostenditur peccatum causa irae Dei contra nos: *Ego vado;* causa mortis et perditionis nostrae: *In peccato vestro moriemini;* impedimentum aeternae felicitatis: *Quo ego vado vos non potestis venire;* [6] magna dissimilitudo Dei: *Vos de deorsum estis, ego de supernis sum; vos de mundo,* etc.; [7] magnum pondus animi, gravitas conscientiae: *Vos de deorsum estis; talentum plumbi*

Peccatum est causa irae Dei contra nos;

1) Pericope huius diei Io 8, 21-29. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Ez 10, 18. 3) Cf. Nm 21, 6-9. 4) Io 8, 28. 5) Ibid. vr. 24. 6) Ibid. vr. 21. 7) Ibid. vr. 23.

apud Zachariam,[8] *onus grave* apud Regium Vatem;[9] inordinata dilectio deliciarum mundi huius, ut Paulus ait: *Voluptatum amatores magis quam Dei;*[10] *Vos de mundo hoc estis;* ignorantia Dei ac divinorum beneficiorum: *Tu quis es?*[11] Causa mortis Christi: *Cum exaltaveritis Filium hominis;* causa item universalis iudicii: *Multa habeo de vobis loqui et iudicare.*[12] Est etiam reatus poenae aeternae, nam hoc etiam significat illud: *Vos de deorsum estis,* quae enim gravia et de deorsum sunt, remoto impedimento, deorsum tendunt. Sic Lucifer, peccati gravitate affectus, de caelo cecidit et in infernum usque descendit; sic dives ille epulo in inferno sepultus fuit;[13] sic Dathan et Abiron vivi, dehiscente terra eosque devorante, in infernum descenderunt,[14] quoniam suapte natura gravia tendunt deorsum.

est etiam reatus poenae aeternae;

Sic in hodierno Evangelio ostenduntur effectus et amarissimi fructus peccati, quod est vitis Sodomorum, cuius uva *uva fellis et botrus amarissimus, vinum* autem *fel draconum et venenum aspidum insanabile;*[15] vitis faciens labruscas,[16] rhamnus unde ignis devorans egreditur,[17] arbor mala faciens fructus malos, quae non potest fructus bonos facere.[18]

Peccatum et dissimilitudo Dei est, ut lunae eclypsis, et imago satanae. Unde in *Apocalypsi* legimus characterem et imaginem bestiae.[19] Status autem animae a gratia in peccatum prolapsae figuratus est in Iob, a satana bonis omnibus spoliato,[20] in Samsone,[21] in Sedecia rege,[22] in Nabuchodonosor,[23] in homine qui incidit in latrones,[24] in daemoniaco caeco, muto et surdo,[25] in Lazaro foetente in monumento.[26]

est dissimilitudo Dei et imago satanae.

Nec tantum peccati, verum etiam Christi cognitio datur in hodierno Evangelio, quod de supernis sit, quod non sit de hoc mundo, quod sit principium, quod verus Deus: *Cognoscetis quia ego sum;* quod missus a Deo, quod iudex mundi, quod Deus cum eo: *Qui me misit mecum est;* quod Deo gratissimus: *Quae placita sunt ei facio semper.*[27]

8) 5, 7. 9) Ps 37, 5. 10) 2 Tim 3, 4. 11) Io 8, 25. 12) Ibid. vr. 26. 13) Cf. Lc 16, 22. 14) Cf. Nm 16, 24-33. 15) Dt 32, 32-33. Vulg.: *Botri amarissimi.* 16) Cf. Is 5, 2. 17) Cf. Idc 9, 15. 18) Cf. Mt 7, 17-18. 19) Cf. 19, 20. 20) Cf. Iob 1, 13-19; 2, 7-8. 21) Cf. Idc 16, 21. 22) Cf. 4 Rg 25, 6-7. 23) Cf. Dn 4, 21-30. 24) Cf. Lc 10, 30. 25) Cf. Mt 12, 22. 26) Cf. Io 11, 39. 27) Ibid. 8, 29.

III. Datur in hodierno Evangelio peccati cognitio ab effectibus, sicut arbor cognoscitur a fructibus. Et quidem peccatum mala arbor est faciens fructus malos, noxios, pessimos, quorum multos refert Moyses, cum primo introduxit peccatum. Primum autem fructus peccati est mors: *In quocumque die comederis... morte morieris*,[28] nam peccatum morsus est venenosissimi serpentis.

Enumerantur effectus peccati:

mors,

Praeter hunc autem effectum, multos alios recenset. Nam primo quidem post admissum peccatum aperti sunt oculi eorum et cognoverunt se esse nudos. Nuditas, paupertas, fructus peccati est. Pudor etiam, quo homines honoris cupidissimi maxime perstringuntur, peccati effectus est, nam prius nudi erant *et non erubescebant;*[29] hinc *cum cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus et fecerunt sibi perizomata.*[30] - Praeterea timor divinae irae, remorsus ipse conscientiae: *Vocem tuam*, Domine, *audivi... et timui.*[30a] Timor autem peccatores vehementer angit, nam, sicut poeta ille ait:

pudor,

remorsus conscientiae,

«Lege Dêum stabili, timor semper angit iniquos».[31]

Adhuc etiam perturbatio mentis et iudicii defectus. Quale enim erat iudicium inter arbores se abscondere ne a Deo invenirentur? Quale iudicium, folia ficus consuere in vestimenta? Sed mente confusi erant et quid agerent nesciebant. - Perversio etiam iudicii, nam ait: *Timui eo quod nudus essem et abscondi me.*[32] Non ait: timui quod peccavi, quia divinum praeceptum transgressus sum, quia divinam maiestatem tuam laesi; sed eo quod nudus eram. Multos enim peccasse poenitet non virtutis amore, sed formidine poenae,[33] non Dei causa, sed proprii incommodi.

perturbatio mentis,

perversio iudicii,

Effectus item peccati hominis perditio; hinc Deus hominem veluti perditum quaerit: Adam, *ubi es?*[34] Sic pastor quaerit ovem errantem, mulier drachmam amissam.[35] Effectus etiam divina increpatio: *Quis ostendit tibi quod nudus esses, nisi quia*, etc.[36] - Itemque divina condemnatio: *Maledicta terra in opere tuo... spinas et tribulos germinabit tibi... in sudore vultus tui*, etc.[37] - Terrae sterilitas

hominis perditio,

divina increpatio,

28 Gn 2, 17. 29) Ibid. vr. 25. 30) Ibid. 3, 7. 30a) Ibid. vr. 10.
31) Hexameter exactus est: «angit semper iniquos». Quisnam sit «poeta ille», terra marique quaeritavimus, eminentes quoque Viros in latinis litteris versatissimos interrogavimus, sed nullibi invenire potuimus, nec aliquis notitiam ullam nobis praebere valuit.
32) Gn 3, 10. 33) Ex Horat. *Epist.*, lib. 1, epist. 16, vrr. 52-53. 34) Gn 3, 9.
35) Cf. Lc 13, 4-8. 36) Gn 3, 11. Vulg.: *Indicavit tibi*, etc. 37) Ibid. vrr. 17-19.

labores hominis a paradiso expulsi;

poena fructusque peccati, labor hominis poena peccati; necesse est enim ut homo terrae seminet.[38] - Dolor etiam poena peccati: *Sub viri potestate eris et ipse dominabitur tui.*[39] Vitae brevitas poena peccati: *Ne forte... sumat de ligno vitae... et vivat in aeternum,*[40] idest longo tempore; expulsio de paradiso poena peccati, clausio etiam portae paradisi, nam posuit Dominus ante paradisum *Cherubim et gladium igneum atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitae.*[41]

Sic Moyses multos et quidem amarissimos ostendit arboris huius fructus, sicut alibi ait de vinea Sodomorum: *Uva eorum uva fellis et botrus amarissimus, fel draconum vinum eorum et venenum aspidum insanabile.* Ut uno dicam verbo, mala omnia, quae inveniuntur in mundo, fructus peccati sunt.

sed omnium maximus, mors.

In peccato vestro moriemini. Malum nuncium attulit Moyses Hebraeis, quod peccati causa non essent ingressuri terram promissionis;[42] Ionas Ninivitis: *Adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur;*[43] Isaias Ezechiae: *Dispone domui tuae, quia morieris tu et non vives;*[44] Ieremias, quod civitas Ierusalem capienda erat a rege Babylonis et Iudaei captivi ducendi.[45] Sed hoc pessimum: *Moriemini in peccato.*

Datur etiam cognitio Christi

IV. Verum, uti diximus, in hodierno Evangelio non datur solum cognitio peccati, verum etiam Christi, qui venit in hunc mundum contra peccatum, sicut sol a Deo contra tenebras creatus fuit. Christus autem *sol* est *iustitiae,*[46] *lux mundi,*[47] *venit nanque* ut *salvum* faciat *populum suum a peccatis eorum;*[48] serpens aeneus, antidotum contra venena ignitorum serpentium.[49] De Christo autem plura dicuntur hodie, sed singulariter quod principium sit: Ego *principium, qui et loquor vobis.*[50]

iuxta mysticam et symbolicam theologiam;

Imo trium rerum datur cognitio in hodierno Evangelio. Primo quidem ipsius Christi duplici via, iuxta mysticam et symbolicam theologiam: *Non sum de hoc mundo, de supernis sum.* Sic enim

38) Ms.: *Seminat.* 39) Gn 3, 16. 40) Ibid. vr. 22. 41) Ibid. vr. 2. Vulg.: *Flammeum gladium*, etc. 42) Cf. Nm 14, 22-23. 43) 3, 4. 44) 38, 1. 45) Cf. 2 Par 36, 12; Ier 36, 29 sqq. 46) Mal 4, 2. 47) Io 8, 12. 48) Mt 1, 21. 49) Cf. Nm 21, 6-9. 50) Io 8, 25.

duplici via cognoscitur Deus: nunc per affirmationem, nunc per negationem. Theologia symbolica veluti depingit nobis pulcram divinitatis imaginem; mystica autem sculpit simulacrum; per illam ait: *De supernis sum;* per hanc autem: *Non sum de hoc mundo.*

Datur etiam cognitio peccati, quod causa sit mortis et ut Deus discedat a nobis. Sic enim cum populus in deserto foedatus fuit peccato idololatriae adorando vitulum aureum, Moyses tulit tabernaculum Domini et tetendit illum extra castra.[51]

datur cognitio hominum peccatorum.

Tandem datur cognitio hominum peccatorum: *Vos de deorsum estis, vos de mundo hoc estis;* quod differunt a Christo peccatores sicut terra a caelo, sicut per Isaiam Dominus ait: *Non enim viae meae viae vestrae, neque cogitationes meae cogitationes vestrae; sicut* enim *exaltantur caeli a terra, ita exaltatae sunt,* etc.[52] Hinc Paulus primum hominem, Adamum, appellat terrenum, secundum autem hominem, Christum, caelestem: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de caelo caelestis.*[53]

Indicatur quoque remedium contra peccatum.

Moyses etiam in *Sacra Genesi* dedit horum trium cognitionem in paradiso Dei, videlicet peccati satanae opera contra Dei legem admissi et tandem hominum peccatorum, Adami et Evae, quales post peccatum remansere. Sed cum ibi Moyses det cognitionem peccati indicetque peccatum esse mortiferum venenum serpentis antiqui, non tamen indicat remedium et salubre antidotum contra letale hoc venenum; in hodierno autem Evangelio indicatur praesentissimum remedium: *Nisi credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro; sicut* enim *Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam.*[54] Nam et hodie loquitur de hac exaltatione dicens: *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.*[55]

Ostenditur Christus verus Deus,

V. Quoad primum datur cognitio de Christo et ostenditur verus Deus. Hoc enim est: *Nisi credideritis quia ego sum,* et: *Cognoscetis quia ego sum;* alludit enim ad oraculum illud Dei ad Moysen de rubo ardente: *Ego sum qui sum,*[56] et propterea dicit: *De supernis*

51) Cf. Ex 33, 7. 52) 55, 8-9. Affert ordine inverso. 53) 1 Cor 15, 47.
54) Io 3, 14-15. 55) Ibid. 8, 28. 56) Ex 3, 14.

sum; non sum de hoc mundo. In cruce autem Christus vere ostensus est verus Deus, nam miracula facta, dum Christus in cruce penderet, soli Deo possibilia fuere, hinc centurio, visis signis, exclamavit dicens: *Vere Filius Dei erat iste!* [57] et latro eum regem caeli agnovit, unde audire meruit: *Hodie mecum eris in paradiso.* [58]

quid sit, quid possit, quid operetur;

Tradens Christi cognitionem hodie Ioannes altissime philosophatur ostendens de Christo tria illa, quae de re qualibet in philosophia pertractari solent: quid sit, quid possit, quid operetur. Quid sit anima, quae vires et potentiae animae et tandem quaenam operationes ipsius. Ita, inquam, de Christo haec tria ostendit: *Cognoscetis quia ego sum; de supernis sum; non sum de hoc mundo; Patrem suum dicebat Deum;* [59] Ego *principium qui et loquor vobis.* Deinde vero quid possit: *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum,* nam *qui me misit mecum est et non reliquit me solum;* [60] ostendit se divina valere virtute et potentia, quia cum ipso Deus est. Tandem quid operetur: *Ego quae placita sunt* Deo *facio semper.*

et indicantur tres ipsius actiones praecipuae.

Singulariter autem tres actiones Christi indicantur: *vado, loquor, facio. Vado* ad Patrem, ideo: *Quo ego vado vos non potestis venire,* nam: *Exivi a Patre et veni in mundum, iterum relinquo mundum et vado ad Patrem.* [61] *Vado,* non ducor coactus ad mortem, sed mea sponte vado. Deinde *loquor,* sed *quae audivi* a Patre *haec loquor in mundo* et *sicut docuit me Pater, haec loquor;* [62] non nisi veritatem dico, non nisi vera loquor. Nec tamen omnia, nam *multa habeo de vobis loqui et iudicare, sed qui me misit verax est;* [63] nonnisi Dei Spiritu afflatus loquor, sicut tuba Dei. Tandem *facio,* sed *a meipso,* inquit, *facio nihil,* sed *sicut docuit me Pater,* ideo *quae placita sunt ei facio semper.* [64]

Utinam, fratres, haec tria verba recte teneamus: *vado, loquor, facio,* Christum imitantes! Totus actio et operatio est; pedibus, manibus, lingua operatur: *vado, facio, loquor.* Sed *vado quo vos,* qui de mundo, de deorsum estis, *non potestis venire;* vado in caelum, vado ad Patrem. In mundo hoc peregrinus sum, non civis sum huius

57) Mt 27, 54. 58) Lc 23, 43. 59) Io 8, 27. Vulg.: *Patrem eius,* etc. 60) Ibid. vr. 29. 61) Ibid. 16, 28. 62) Ibid. 8, 26-28. 63) Ibid. vr. 26. 64) Ibid. vr. 28-29.

mundi, sicut Cain civitatem sibi aedificavit in terra;[65] in transitu sum, in itinere: *Non habemus hic civitatem permanentem, sed futuram inquirimus.*[66] Deinde *loquor,* non quaecumque, sed vera, *sicut docuit me Pater,* qui *verax est;* nec omnia dico quae novi, nam *multa habeo de vobis loqui et iudicare,* sed *quae audivi a Patre haec loquor mundo.* Lingua Christi ornata veritate, sanctitate et temperantia: *Qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir.*[67] Tandem *facio,* sed nihil a meipso, sed *sicut docuit me Pater*: *Quae placita sunt ei facio semper.* O divinissimam Christi sanctitatem! Utinam eam, fratres, pro nostra virili imitemur!

Christus asserit se principium esse per quod facta sunt omnia.

VI. Ego *principium qui et loquor vobis,* principium per quod facta sunt omnia. Nam ipse virtus est et sapientia Patris,[68] manus et oculum summi artificis: *Omnia per ipsum facta sunt;*[69] principium et finis, alpha et omega:[70] Ego *principium,* ego rerum omnium conditor, prima et suprema causa, sicut sol in hoc mundo principium omnis luminis. Affirmat autem Christus principium se esse, non probat rationibus aut argumentis ullis assertionem suam, sicut M o y s e s ostendit Deum mundi creatorem simplici narratione, absque ulla argumentatione, non ut philosophus, sed ut historicus. Officium autem historici est vera dicere remque prout gesta est simpliciter graviterque enarrare, non argumentis et rationibus probare. Partes igitur implet in sua cosmopoeia D i v i n u s M o y s e s optimi historici, non autem philosophi.

ad hoc autem probandum utitur sola sua auctoritate.

Praeterea nullis rationibus aut argumentis utitur, quoniam divina loquitur auctoritate, doctrinam tradit non humanitus acquisitam, sed divinitus inspiratam. Divina autem auctoritas longe gravior est omni humanarum rerum pondere; neque enim cum rex loquitur, vel narrans a se gesta vel servis suis facienda praecipiens, rationibus opus est, quibus ostendat agere potuisse quae egit, et praecipere posse quae praecipit. Sicut igitur Moyses, ita Christus loquitur.

65) Cf. Gn 4, 17. 66) Hebr 13, 14. Vulg.: *Manentem civitatem,* etc.
67) Iac 3, 2. Vulg.: *Si quis in verbo,* etc. 68) Cf. 1 Cor 1, 24. 69) Io 1, 3.
70) Cf. Apc 22, 13.

Sic hodie ostenduntur divina ipsius natura, persona et virtutes.

In sua cosmopoeia Moyses tria de mundo docuit: creationem rerum, distinctionem earum et tandem ornatum, nam ornavit Deus mundum lumine, caelum sideribus, aerem avibus, mare piscibus, terram animalibus, plantis, lapidibus etiam et mineralibus. Ita hodie Ioannes de Christo tria docet: divinam ipsius naturam atque personam, discrimen ipsius ab aliis hominibus et tandem ornatum divinarum in eo virtutum, sicut etiam in principio Evangelii sui.

Christus principium est, quia ipsa Patris omnipotentia creatrix,

VII. Ego *principium.* Alludit ad illud: *In principio creavit Deus caelum et terram;*[71] nam ideo dicitur principium, quia *omnia per ipsum facta sunt.* Ipse enim cum Patre Deus est qui mundum creavit; hinc ait: *In principio creavit Elohim,* Dii, idest Pater, Filius et Spiritus Sanctus, *caelum et terram.* Quamvis ibi aliud etiam lateat mysterium. Nam *Elohim* idem est ac potentes, quia in Deo est omnis gradus potentiae, sicut in igne omnis gradus caloris, in sole omnis gradus lucis, in rege omnis gradus potestatis principum et ministrorum, qui sunt in regno, in Summo Pontifice omnis gradus dignitatis et auctoritatis sacerdotalis in Ecclesia. Sic in Deo omnis gradus potentiae, quae in creaturis omnibus reperitur vel reperiri potest. Quare interpretari potest: In principio creavit omnipotentia caelum et terram. Quid enim Deus est nisi omnipotentia? Si quis omnipotentiam intelligat, plane divinam intelliget naturam.

quod multi nec agnoscunt nec credunt.

In principio creavit. Ostendit Moyses creationem mundi, sed statim mentionem facit lucis et tenebrarum,[72] ad insinuandum mysterium quod multi credituri erant et agnituri divinum hoc beneficium, multi vero nec agnituri, nec credituri: *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino.*[73] O lucem vere bonam et tenebras vere malas, pessimas! Agnoscit divinum hoc opus sacra theologia fidesque; non agnoscit infidelitas et caecutiens philosophia: *Ne quis vos decipiat,* inquit Paulus, *per philosophiam et inanem fallaciam.*[74]

Ostendit Moyses magnitudinem divini huius beneficii, perfectionem et utilitatem. Magnitudinem a causa, quia creavit omnipo-

71) Gn 1, 1. 72) Cf. ibid. vr. 2. 73) Eph 5, 8. 74) Col 2, 8.

tentia; a multitudine rerum creatarum in caelo et in terra; a spatio temporis, quia sex dies expendit, cum tamen infinitae potentiae et sapientiae sit; praeter mirabilem caeli magnitudinem pene immensam, unde caeli hebraice dicti sunt *samaiim*, mirabiles, stupendi. Ostendit Moyses magnitudinem beneficii creationis,

Praeterea ostendit perfectionem, nam ait: *Perfecti sunt caeli et terra et omnis exercitus eorum.* [75] Fecit Deus caelum, sed perfectum, terram, sed perfectam, omnia quae in caelo et in terra et in mari sunt, sed perfecta: *Dei perfecta sunt opera.* [75a] Unumquodque opus Dei adeo perfectum est, ut nemo possit aut sciat addere aliquid aut detrahere: *Perfecti sunt caeli et terra et omnis ornatus eorum.* eiusque perfectionem

Ostendit etiam talis tantique beneficii utilitatem, nam *vidit Deus cuncta quae fecerat et erant valde bona.* [76] Quaecumque operatus fuit diligenter inspexit, ut videret an homini, cuius causa condita sunt, futura erant utilia et iucunda. Hinc *vidit lucem quod esset bona,* [77] vidit luminaria quod essent bona, [78] tandem *vidit cuncta quae fecerat et erant valde bona.* Sicut artifex qui opus aliquod facit, ut illud principi alicui praesentet, quam diligentissime illud inspicit, ne in eo sit quod merito reprehendi possit, sic Deus praesentaturus homini totum hunc mundum - dominetur *piscibus maris et volatilibus caeli et bestiis universaeque terrae,* [79] - prius omnia diligenter inspexit viditque omnia esse valde bona. Quare beneficium hoc tam magnum atque perfectum declarat nedum omnipotentiam et infinitam sapientiam Dei, verum etiam infinitam erga nos bonitatem et caritatem. et utilitatem,

Complectitur autem beneficium hoc omnia tum universalia tum etiam particularia divinae providentiae mundanaeque conservationis beneficia. Quare iubet Deus ut iugi memoria recolatur. Hinc benedixit et sanctificavit diem sabbati; [80] hinc ad hoc iussit sabbatum servari. [81] ut divina semper recolatur providentia.

Coniungit autem Dominus hodie fidem beneficii huius maxime salutaris cum peccato maxime pernicioso atque mortifero: *Nisi credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.* Hoc autem audito, dixerunt Iudaei: *Tu quis es?* [82] Christus autem: Ego *principium qui et loquor vobis,* quare *nisi credideritis quia ego sum* principium, *moriemini in peccato vestro.* Quid commune habet beneficium crea- Inde patet peccatum esse summam ingratitudinem,

75) Gn 2, 1. Ex hebraico. 75a) Dt 32, 4. 76) Gn 1, 31. 77) Ibid. vr. 4. 78) Cf. ibid. vr. 18. 79) Ibid. vr. 26. 80) Cf. ibid. 2, 3. 81) Cf. Ex 20, 8-11. 82) Io 8, 25.

tionis cum peccato, aut peccatum cum creationis beneficio? Profecto quia, ut dici solet, opposita iuxta se posita magis elucescunt.[83] Beneficium creationis maxime declarat naturam peccati esseque illud non solum crimen laesae Maiestatis divinae, verum etiam summum genus ingratitudinis, nec aliud esse peccatum quam abusum beneficiorum Dei. Nam omne peccatum vel corde, vel ore, vel manu opereque committitur. Sed haec an non magna sunt beneficia Dei? Cordi tribuitur prudentia et sapientia; hinc prudentes viros dicimus c o r d a t o s, imprudentes autem v e c o r d e s aut excordes. Quam magnum est cordis, animi, iudicii beneficium! Quis illud cum imperio commutaret? Et tamen magno et ingenti hoc beneficio abutimur, cum in Deum peccamus Deumque offendimus ipsismet suis beneficiis quae nobis contulit ut eum diligeremus et coleremus ex animo.

quia abusus est beneficiorum Dei.

Fides huius maximi beneficii antidotum est contra peccatum,

VIII. Addit etiam Dominus fidem beneficii huius antidotum esse contra peccatum. Nam ait: *Nisi credideritis quia ego sum* principium, *moriemini in peccato.* Ergo si credideritis vivetis: *Ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam.*[84] Quid enim filium vel maxime in officio continet ut patrem revereatur, honoret, diligat? Fides quod ab eo genitus et procreatus sit. Sed quid est quod, cum nos fidem habeamus, in peccatis tamen vivimus, imo viventes mortui sumus? Quia fidem vivam non habemus, nam *fides sine operibus mortua est.*[85] Antidotum, licet efficacissimum contra venenum, licet sumatur ab homine, nihil prodest si naturali calore ita destitutus est, ut illud digerere minime valeat, ita ut veneni vis iam ad cor pervenerit et cor ipsum infecerit et vulnerarit. Non prodest fides, quia naturali calore caritatis supra modum destituti sumus: *Quoniam abundavit iniquitas, refriguit caritas.*[86] Hinc accidit ut multis fides in maiorem perniciem potius sit quam in salutem, sicut iussit M o y s e s levitis ut librum legis in arca reconderent, *ut sit,* inquit, *ibi, contra te in testimonium.*[87] Data quidem fuit lex in salutem, sed transgressoribus in perditionem fuit; sicut etiam de Christo ait Si-

si tamen coniuncta sit caritati;

83) Axioma philosophicum, de quo cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1, q. 14, a. 10; *Contra Gentes,* lib. 2, cp. 50, ad 6. 84) Io 3, 15. 85) Iac 2, 20. 26. 86) Mt 24, 12. Vulg.: *Refrigescet caritas.* 87) Dt 31, 26.

meon iustus: *Positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel.*[88]

In peccato vestro moriemini. Quid est quod cum peccatum [sit] res perniciosissima, letale venenum, via perditionis aeternae, quod omnes leges tum divinae tum humanae persequuntur, vivit tamen et regnat in mundo? Quia satanam habet optimum protectorem una cum sensu carnis. Satanas enim multis modis peccatum in regno conservat: aliquando induens illud larvis honoris, commodi, voluptatis, aliquando etiam specie virtutis, dum *transfigurat se in angelum lucis,*[89] aliquando etiam mira arte infamando peccatum protegit et propugnat peccatum. Mirabile stratagema satanae quia peccata carnis, fornicatio, adulterium aliaque peiora sunt natura turpia, satanas haec multo magis infamat, ut non audeant patres spirituales et praedicatores de his verba facere. Ubi autem canes non latrant, lupi gregem invadunt et perdunt ac devorant oves.

sed opera satanae peccatum regnat in mundo.

ALIA HOMILIA[1]

Ego vado et quaeretis me.[2]

I. In hodierno Evangelio contineri videntur quattuor illa mirabilia Sapientis: *Tria mihi difficilia sunt et quartum penitus ignoro; viam aquilae in caelo, viam colubri super petram, viam navis in medio maris et viam viri in adolescentula.*[3] Agit enim de quattuor principalibus mysteriis, quae etiam designantur apud Ezechielem in quattuor faciebus caelestis animalis.[4] *Ego vado* quo *vos non potestis venire,*[5] nam *exivi a Patre et veni in mundum, iterum relinquo mundum et vado ad Patrem.*[6] Item mysteria mortis et resurrectionis, nam: *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum,*[7] sicut: *Solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo,*[8] sicut: *Signum Ionae Prophetae:*[9] duo complecti-

Continet hodiernum Evangelium quattuor principalia mysteria Christi.

88) Lc 2, 34. 89) 2 Cor 11, 14.

1) Alio atramento exarata. 2) Io 8, 21. 3) Prv 30, 18-19. Vulg.: *In adolescentia.* Ex hebraico. 4) Cf. 1, 5-10. 5) Io 8, 22. 6) Ibid. 16, 28. 7) Ibid. 8, 28. 8) Ibid. 2, 19. 9) Mt 12, 39.

tur mysteria; ita etiam haec sententia, nam post mortem resurgens agnitus fuit verus Messias. Tandem mysterium nativitatis eius, cum ait se missum a Deo, se Filium esse Dei, se non de hoc mundo esse.

Ostenditur necessitas fidei ad salutem

II. *Nisi credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.* [10] Ponitur in hodierno Evangelio fides necessaria ad salutem et obiectum fidei, sicut olim in exaltatione serpentis in deserto ad effugiendam mortem mortiferi veneni ignitorum serpentum. [11] Ad hanc enim alludit hodie Dominus cum ait: *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum,* sicut alibi expressam eius mentionem fecit: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis,* etc. [12] Sic nunc ait: *Nisi credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.*

eiusque obiectum

Ostenditur autem fidei obiectum praefiguratum in serpente et fidei necessitas praefigurata in necessario serpentis aspectu. Ponitur autem obiectum primo quidem veluti in genere, deinde veluti per partes distinctum in expressis articulis: *Ego vado et quaeretis me,* hoc est, ego verus Messias, vado a mundo ad Patrem; cum autem discessero a vobis, *quaeretis me et non invenietis.* [13] Nam adhuc expectant et quaerunt, nec tamen inveniunt; cum enim verum respuerint, falsum expectant et quaerunt qualem sibi finxerunt. Indicat igitur Christus fidei obiectum, cum docet se esse verum Messiam in lege et Prophetis promissum; hinc ait: *Nisi credideritis quia ego sum,* utique verus Messias. Hinc Paulus ait quod *finis legis Christus ad iustitiam omni credenti.* [14]

et quae singillatim de Christo credenda sunt.

Deinde explicat per partes, quae de Christo singillatim credenda sunt. Neque enim sufficit ita generatim in Christum credere, nam omnes haeretici dicunt se christianos esse et in Christum credere, quod ipse sit verus Messias, prout Divinae Litterae docent, cum tamen multa, quae de Christo secundum Scripturas necessario credenda sunt, minime credant, sicut Arius divinitatem Christi inficiatus fuit, [15] Apollinaris humanitatem, [16] Nestorius unitatem personae. [17] Hinc singillatim ostendit quae credenda de Christo sunt.

10) Io 8, 24. 11) Cf. Nm 21, 6-9. 12) Io 3, 14-15. 13) Ibid. 7, 34-36. 14) Rom 10, 4. 15) Cf. Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symbolorum,* n. 54. 61. 16) Cf. ibid., n. 216. 711. 17) Cf. ibid., n. 113 sqq.

Vos de deorsum estis, ego de supernis sum; vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.[18] Quoad divinitatem: *de supernis sum; Qui cum in forma Dei esset;*[18a] quoad humanitatem, non est de hoc mundo, qui *totus in maligno positus est.*[19] Credendum quod Deus verus est et homo sanctissimus: *Verbum caro factum est... plenum gratiae et veritatis;*[20] credendus verus Filius Dei: *Non cognoverunt quia Patrem eius dicebat Deum;*[21] itemque Filius Virginis, hinc ait: *Cum exaltaveritis Filium hominis;* appellatur autem Filius hominis, quia verus homo natus in mundo; sic Messias in Sacris Litteris appellatur germen Dei[22] et germen David,[23] quia verus Filius Dei et verus filius David.

hoc est, quod sit verus Deus et homo sanctissimus.

Credendum quod a Patre procedens, verus Deus, principium est omnium creaturarum in mundo, in Ecclesia, in paradiso: *Ego principium, qui et loquor vobis.*[24] Principium etiam Spiritus Sancti una cum Patre ab aeterno, hinc ait ipse: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat,* nam *qui credit in me, flumina,* etc.; *Hoc autem dixit de Spiritu,* etc.,[25] ubi fontem Spiritus Sancti se esse ostendit. Quoad creaturas vero: *Omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil,*[26] graece: *ne unum quidem,* idest ne una quidem res reperiri potest in universo quae facta sit, et non sit facta per ipsum, qui virtus et sapientia Dei est. Ita etiam *Apocalypsis* 3 dicitur *principium* omnis *creaturae Dei.*[27]

principium omnium creaturarum,

Credendum quod in mundum a Patre missus sit: *Qui misit me verax est;*[28] quod tamen semper cum Patre fuerit et Pater cum eo: *Qui me misit mecum est et non reliquit me solum.*[29]

a Patre in mundum missus,

Credendum mysterium passionis eius: *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum;* nam centurio, visis quae fiebant Christo moriente, exclamavit: *Vere Filius Dei erat iste!*[30] Mysterium etiam resurrectionis, tunc enim postquam surrexit a mortuis, agnitus fuit verus Filius Dei, sicut Thomas ait: *Dominus meus et Deus meus!*[31] Mysterium ascensionis eius in caelum: *Ego vado et quo ego vado vos non potestis venire.* Mysterium divini iudicii:

et iudex venturus,

18) Io 8, 23. 18a) Phil 2, 6. 19) 1 Io 5, 19. 20) Io 1, 14. 21) Ibid. 8, 27.
22) Cf. Is 4, 2. 23) Cf. Ier 23, 5; 33, 15. 24) Io 8, 25. 25) Ibid. 7, 37-39.
26) Ibid. 1, 3. 27) Vr. 14. 28) Io 8, 26. 29) Ibid. vr. 29. 30) Mt 27, 54.
31) Io 20, 28.

Multa habeo de vobis loqui et iudicare,[32] et multa, cum omnia iudicaturus sit omnium hominum facta, dicta, concupita, cogitata.

Ipsa veritas quae mentiri nequit,

Praeterea quod omnia Christi verba vera sint, nam: *Qui me misit,* inquit, *verax est.* Sicut est autem Deus verax, *omnis* autem *homo mendax,*[33] hoc est omnis homo mentiri potest, Deus autem non potest, ille, inquit, fidelis permanet, negare seipsum non potest; sic, inquit, *qui me misit verax est, et ego quae audivi* a Patre *haec loquor in mundo,*[34] idest nonnisi verba Dei, nonnisi divinam praedico, doceo, loquorque veritatem.

doctrina et vita sanctissimus.

Tandem quod omnia Christi opera semper sanctissima fuerint Deoque acceptissima, sicut sacrificium Abel,[35] Noe[36] et Abrahae:[37] *Ego,* inquit, *quae placita sunt ei facio semper.*[38] Sic etiam doctrina Christi verissima utpote divina et vita sanctissima fuit. Haec, inquam, omnia de Christo speciatim credenda sunt.

Haec necessario credenda sunt ad salutem;

III. Sic itaque habemus obiectum fidei et totum generatim et per partes speciatim explicatum hodie. Verum ostenditur necessitas fidei: *Nisi credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro: Exaltari oportet Filium hominis;* ecce necessitas: *Ut omnis qui credit in ipsum non pereat.* Ponitur autem necessitas fidei, non autem sufficientia, quod fides necessaria est ad salutem omnino, nam *sine fide impossibile est placere Deo;*[39] *Qui non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei;*[40] non tamen dicitur quod fides sola sufficiat ad salutem, hoc enim nunquam docuit Christus, nusquam in Divinis Litteris extat quod sola fides salvet, imo: *Fides sine operibus mortua est;*[41] *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam,* etc.[42]

sed sola fides non sufficit;

praeter fidem enim requiritur spes et caritas;

Ioannes, qui saepe fidem laudare et celebrare solet, dum ait missum fuisse Baptistam *ut omnes crederent per ipsum,*[43] quod Deus ita *dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit,* etc., quod *qui credit non iudicatur,*[44] quod: *Beati qui non viderunt et crediderunt*[45] et quod ad hoc scripsit Evange-

32) Ibid. 8, 26. 33) Ps 115, 11. 34) Io 8, 26. 35) Cf. Gn 4, 4. 36) Cf. ibid. 8, 20-21. 37) Cf. ibid. 15, 9 sqq. 38) Io 8, 29. 39) Hebr 11, 6. 40) Io 3, 18. 41) Iac 2, 20. 26. 42) 1 Cor 13, 2. 43) 1, 7. 44) Ibid. 3, 18. 45) Ibid. 20, 29

lium, *ut credatis,* inquit, *quod Iesus est Christus Filius Dei et ut credentes vitam habeatis in nomine eius,*[46] nunquam scripsit solam fidem sufficere ad salutem, sed necessariam esse ad salutem, ita ut sine ea pereundum, moriendum sit. Domui ad inhabitandum necessaria sunt fundamenta, sed non sufficiunt; homini ad vivendum necessaria est anima, sed non sola; necessarium cor, sed non solum; necessarium caput, sed non solum, licet anima dicatur dare vitam et quod a corde vita procedat; videt oculus, loquitur lingua, operatur manus, sed non solus oculus, non sola lingua, non sola manus, nam sine anima nihil operantur et sine debita etiam dispositione. Ita salvare dicitur fides, sed non sola, nam etiam timor Domini salvare et beatificare hominem dicitur, item spes, misericordia, caritas, sicut et fides; sed non salvat timor sine fide et spe, nec spes sine fide et caritate.

Commendatur autem fides, quoniam fundamentum salutis est. Sicut autem cum novus rex creatur nihil aliud requirere videtur, nisi fidei iuramentum, at vero iuratam fidem multa postea consequuntur: cultus, honor, census, obedientia, et alia quae principes a popularibus suis requirere solent, cum tamen nonnisi fidem iurasse visi sint, ita plane accidit cum Deo. Fidem tamen requirere videtur, ut eum Dominum credamus et cognoscamus; sed hinc suapte natura consequuntur erga Deum omnia officia servorum erga regem et dominum, cui iurata fides est. Christus autem *Rex regum* est *et Dominus dominantium.*[47]

commendatur autem fides, quia fundamentum est salutis

Nisi credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro. Ostendit Dominus peccatum letale mortiferumque venenum esse, fidem vero saluberrimum antidotum contra venenum. Et revera ita est. Nam cum peccatum non sit nisi divinae Maiestatis laesio atque contemptus, fugat profecto vera vivaque fides omne peccatum, sicut lux tenebras, quoniam ostendit Deum non solum regem esse infinitae maiestatis et potentiae, quae summum potest metum incutere, verum etiam summum esse nostrum benefactorem, creatorem, redemptorem, a quo omnia bona accepimus et speramus, ac tandem summum supremumque et severissimum iudicem, omnis iniquitatis

et saluberrimum antidotum contra venenum peccati.

46) Ibid. vr. 31. 47) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16.

et improbitatis summum osorem et vindicem. Haec autem tria simul iunguntur in hodierno Evangelio: *Ego de supernis sum,* Ego *principium; Multa habeo de vobis loqui et iudicare.*

Ego de supernis sum. Hinc heri tanquam divinus quidam sol ostensus fuit nobis Christus, quoniam sol et natura caelestis est princepsque caelestis regni, et principium omnis boni in natura universali, et inimicus acerrimus tenebrarum, indefessus persecutor.[48]

48) Folio albo relicto, transit ad Feriam sequentem.

FERIA TERTIA INFRA HEBDOMADAM SECUNDAM QUADRAGESIMAE

Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei... quaecumque dixerint vobis, servate, etc. [1]

Ecclesia figuratur per scalam Iacob,

I. Cathedram appellat Dominus ecclesiasticam hierarchiam, sacrum principatum - *Exaltent eum in ecclesia plebis et in cathedra seniorum laudent eum* [2] - quoniam sunt gradus diversi in Ecclesia. Est enim Sancta Ecclesia sicut thronus Salomonis, qui multos gradus habebat, [3] imo sicut scala caelestis, quam Iacob patriarcha vidit et mysterium interpretatus fuit: Hic domus Dei est et porta caeli, propterea locum illum appellavit *Bethel;* [4] nam et templum Domini in modum scalae fuit aedificatum, ascendebatur enim ab atrio in sanctum et inde in sanctum sanctorum.

quia in ea plures sunt gradus,

In Ecclesia autem Dei semper fuerunt plures statuum gradus, hinc Regius Vates: *Domus Israel, benedicite Domino, domus Levi, benedicite Domino, domus Aaron, benedicite Domino, qui timetis Dominum, benedicite Domino.* [5] Omnes cultores Dei in tres classes distinxit: domum Israel, domum Levi, domum Aaron, quae erat familia sacerdotalis. Sic in deserto omnes tribus Israel circa tabernaculum Domini figebant tentoria quaelibet suo loco, levitae autem viciniores erant, proximi vero sacerdotes. [6] Sic Dominus ex multitudine fidelium suorum elegit duodecim Apostolos et septuaginta duos discipulos, [7] illis quidem gradu et dignitate inferiores, reliqua autem multitudine multo superiores. Sic Paulus docet

1) Pericope huius diei Mt 23, 2-12. Cf. Missale Rom. 2) Ps 106, 32. 3) Cf. 3 Rg 10, 18-19; 2 Par 9, 17-18. 4) Cf. Gn 28, 12-19. 5) Ps 134, 19-20. Invertit ordinem. 6) Cf. Nm 2, 2; 3, 11-38. 7) Cf. Lc 6. 13; 10, 1.

posuisse Dominum in Ecclesia *primo* quidem *Apostolos, secundo Prophetas,* tertio *Evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii et aedificationem corporis Christi.* [8]

alii aliis sublimiores;

Hoc igitur est quod hodie Dominus ait: *Super cathedram Moysi,* sublimiori loco et gradu Ecclesiae, - sicut in sancto sanctorum erat cathedra Dei et supra montem Sion in Ierusalem sedes regia, sic cathedram Moysi dicit curiam pontificiam, sacrum principatum, ecclesiasticam auctoritatem, - *sederunt scribae et Pharisaei,* principes et praelati ecclesiastici, Episcopi, sacerdotes. Caput scalae illius thronus erat Dei; cathedra autem Moysi cathedra Dei est, sicut solium regni Israel nunc sedes dicitur David, nunc etiam sedes Domini; Salomon enim supra solium Domini sedisse dicitur. [9]

per Angelos autem designantur sacerdotes.

At vero sanctus patriarcha non solum scalam vidit, verum etiam Angelos per eam ascendentes et descendentes, idest Deo ministrantes. Sicut autem per scalam Ecclesia, ita per Angelos sacerdotes, qui Deo in Ecclesia ministrant, designantur. Nam sicut Angeli dicti sunt ministri Domini: *Qui fecit Angelos suos spiritus et ministros suos,* etc.; [10] *Omnes sunt administratorii spiritus;* [11] *Millia millium ministrabant ei,* [12] ita etiam sacerdotes: *Plorabunt sacerdotes ministri Domini;* [13] a Malachia etiam sacerdotes dicti sunt angeli: *Labia sacerdotis custodient scientiam et legem requirent de ore eius, Angelus enim Domini exercituum est.* [14] Sic legimus angelos Ecclesiarum. [15]

In sacra doctrina de Angelis traduntur natura, potentia, officium

II. De Angelis sanctis in sacra theologia Divinisque Litteris tria traduntur in summa: ipsorum natura sublimis, supercaelestis, Deo similis; virtus eorum et potentia, nam dicuntur exercitus Dei: *Castra Dei sunt hic,* [16] *Dominus exercituum,* [17] *virtutes caelorum;* [18] tandem ipsorum ministerium, officium, actiones; sic enim Angeli ministrantes Deo per scalam ascendebant et descendebant Dei gloriam et salutem hominum procurantes, sicut in Christi nativitate cecinerunt: *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis,* [19]

8) 1 Cor 12, 28; Eph 4, 11-12. 9) Cf. 1 Par 29, 23. 10) Ps 103, 4; Hebr 1, 7. 11) Hebr 1, 4. 12) Dn 7, 10. 13) Ioel 2, 17. 14) 2, 7. 15) Cf. Apc 1, 20. 16) Gn 32, 2. Vulg.: *Sunt haec.* 17) In plurimis locis, specialim apud Prophetas. 18) Mt 24, 29; Lc 21, 26. 19) Lc 2, 14. Vulg.: *In altissimis,* etc.

beneplaciti, qui Deo cari sunt, sicut per Isaiam ait, 46: *Vocans... de terra longinqua virum voluntatis meae,*[20] et de Christo: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*[21] Nam alioqui multas legimus Angelorum actiones pro zelo gloriae Dei contra peccatores, uti contra Pentapolim,[22] Aegyptum,[23] Chananaeos,[24] contra Sennacherib,[25] contra ipsam etiam civitatem Ierusalem, dum pestis grassaretur in populo in punitionem peccati.[26] In universum autem a sacris theologis tres actiones Angelis tribuuntur: purgare, illuminare et perficere, nam Angelus purgavit Isaiam,[27] Angelus in deserto illuminabat populum nocte per columnam ignis, Angelus populum ad terram promissionis perduxit.[28]

eorumque actiones: purgare, illuminare, perficere.

Similiter in sacerdotibus tria sunt conspicua ex Sacris Scripturis: supernaturalis dignitas sacerdotii, divina auctoritas, et officii ac ministerii sanctitas. Hinc sacerdotibus antiquae legis datae fuerunt sacrae vestes ad gloriam et ornatum, data sacerdotalis virga, datum sanctuarium Domini, altare sacrificii, altare incensi, mensa panum, candelabrum aureum, arca testamenti. Sic hodie quoad dignitatem dicitur: *Super cathedram Moysi sederunt;* quoad auctoritatem: *Quaecumque dixerint vobis servate et facite.* Dat eis veluti verum et mixtum imperium. Neque enim dat unquam Deus dignitatem sine auctoritate, nam vilis est sine auctoritate dignitas. Hinc cum homini dedisset dignitatem divinae imaginis et similitudinis, statim contulit dominii auctoritatem: *Dominetur piscibus maris,* etc.[29] Sic sacerdotibus contulit summam cum dignitatem tum etiam auctoritatem et potestatem; hac enim de causa una cum regia potestate introductum fuit sacerdotium in Sacris Litteris.[30]

Ita in sacerdotibus tria sunt conspicua: summa dignitas, divina auctoritas et officii sanctitas.

III. Tandem Dominus carpens in hodierno Evangelio vitia et malam vitam scribarum et Pharisaeorum, ostendit quale oporteat esse officium sacerdotum: *Oportet enim Episcopum irreprehensibilem esse.*[31] Episcopum autem ibi Paulus sacerdotem dicit, nam transit a subdiaconibus et diaconibus ad Episcopos, nulla facta sacerdotum mentione;[32] similiter *ad Titum* scribens,[33] et *ad Philippenses*

Ostendit hodie Dominus quale oporteat esse sacerdotum officium.

20) Vr. 11. 21) Mt 17, 5. 22) Cf. Gn 19, 1-25. 23) Cf. Ex 12, 12-29; 14, 19 sqq. 24) Cf. ibid. 33, 2. 25) Cf. 4 Rg 19, 35; 2 Par 32, 19-21. 26) Cf. 2 Rg 24, 15-17. 27) Cf. Is 6, 6-7. 28) Cf. Ex 13, 22. 29) Gn 1, 26. Vulg.: *Praesit piscibus,* etc. 30) Cf. ibid. 14, 18-20. 31) 1 Tim 3, 2. 32) Cf. ibid. vr. 8. 33) Cf. 1, 5-7.

precatur gratiam et pacem omnibus sanctis, qui erant Philippis *cum Episcopis et diaconibus.* [34] Quid est *cum Episcopis et diaconibus?* Num multi Episcopi erant in una civitate absque sacerdotibus? Episcopos ergo sacerdotes intelligit, quos alibi presbyteros duplici honore dignos appellat. [35] Episcopi autem nomine usus est Paulus ad declarandam sacerdotii dignitatem, nam et in *Actis Apostolorum* idem Paulus maiores natu Ecclesiae dixit a Spiritu Sancto positos *Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*, graece autem, *Actuum* 20, est: *Vocavit presbyteros Ecclesiae.* [36] Quare Episcopos postea dixit, quos prius presbyteros appellaverat.

Sacerdotii dignitas suprema est.

Episcopus autem idem est ac superintendens, idest dignitate superior. Est autem sacerdotii dignitas suprema. Hinc dicitur cathedra Moysi, qui in populo Israel summus fuit princeps, supremus hierarcha, dignitate maximus. Sic dignitas sacerdotii natura est angelica supra caelum, *mons domus Domini in vertice montium,* [37] arca testamenti supremo templi ac dignissimo loco praeposita, quam nonnisi levitae Domino consecrati portare super humeros poterant; nec omnes levitae ministerio hoc digni habebantur, sed tantum Caathitae, qui ad meridionalem, idest ad dexteram tabernaculi partem castrametabantur, sicut in *Numeris* 3 legimus. [38] Oza autem percussus fuit, quoniam arcam super plaustrum imposuit ut ab animalibus traheretur, periculoque exposuit. [39] Quod cum intellexisset David, eam postea a levitis deferri mandavit. [40]

Vae Episcopis et praelatis, qui arcam hanc super animalia imponunt, qui sacerdotium indignis committunt! Arca enim haec non ab animalibus, sed ab hominibus Deo dicatis et sanctitate insignibus deferenda est; arca nanque facta fuit ut in ea divina lex asservaretur. Ait autem: *Labia sacerdotis custodient scientiam et legem requirent de ore eius, Angelus enim Domini exercituum est.*

Deus Ecclesiam multis ornamentis decoravit,

IV. *Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei.* Deus a principio caelum multis ornavit sideribus, naturam autem humanam in paradiso multis honoribus, divina dignitate et auctoritate, Deo eam similem reddidit. Ita etiam Sanctam Ecclesiam divinis

34) 1, 1. 35) Cf. 1 Tim 5, 17. 36) Vr. 28. 37) Is 2, 2.
38) Cf. vrr. 27-28. 39) Cf. 2 Rg 6, 6-9; 1 Par 13, 9-11. 40) Cf. 1 Par 15, 2-13.

ornamentis decoravit. Hinc ait Ioannes: *Vidi civitatem sanctam Ierusalem novam descendentem de caelo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo.*[41] Sicut etiam Dominus per Ezechielem de synagoga ait: *Iuravi tibi et ingressus sum pactum tecum, ait Dominus Deus, et facta es mihi, et lavi te aqua et mundavi sanguinem tuum ex te, et unxi te oleo, et vestivi te discoloribus et calceavi te hyacinthino et cinxi te bysso, et indui te subtilibus et ornavi te ornamento, et dedi armillas in manibus tuis et torquem circa collum tuum et dedi inaurem super os tuum et circulos* aureos *auribus tuis et coronam decoris in capite tuo, et ornata es auro et argento... similam et mel et oleum comedisti et decora facta es vehementer... et profecisti in regnum.*[42] Reginam ostendit factam a Deo, regalibus ornamentis decoratam, qualis facta fuit Esther ab Assuero, cum eam humili valde loco natam duxit uxorem.[43] sicut multis decoraverat synagogam;

Designat autem quod cum synagogam de miserabili captivitate et servitute Aegypti liberasset, libertate donatam evexit in amplissimos honores et dignitates, in statum gradumque nobilissimae reginae perduxit. Ioannes in *Apocalypsi* de Ecclesia idem dicit: *Dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, et fecit nos Deo regnum et sacerdotes;*[44] iuxta quod etiam Petrus ait: *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.*[45] Honestissimis titulis Christi Ecclesiam ornat. Sic enim synagogae successit Ecclesia, sicut tabernaculo Moysi templum Salomonis, sicut Vasthi regina Esther. Itaque sicut arca translata fuit in templum, ita omnis honor et dignitas in Ecclesiam. sed omnis honor ac dignitas synagogae in Ecclesiam translata sunt,

Isaias Sanctus, cum Divino Spiritu afflatus summam Ecclesiae Christi dignitatem vidisset, ait: *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles,* idest erit status Ecclesiae sublimis valde. Dignitas eius quavis alia dignitate regum et principum longe superior. Sed aget Ecclesia tantopere divinitus sublimata? *Confluent ad eam omnes gentes et venient populi multi dicentes: venite ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas et am-* sicut iam Isaias vaticinatus fuerat.

41) Apc 21, 2. Vulg.: *Sanctam civitatem,* etc. 42) 16, 8-13. 43) Cf. Est 2, 15-17.
44) 1, 5-6. Vulg.: *Regnum et sacerdotes Deo.* 45) 1 Petr 2, 9.

bulabimus in semitis eius, quia de Sion exivit lex et verbum Domini de Ierusalem.[46]

In synagoga duplex erat principatus divinitus institutus,

V. *Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei.* Cathedram Moysi appellat Christus ipsam synagogam, supra quam Moyses divinitus constitutus fuit princeps et hierarcha summus. Cum, inquit, scribae et Pharisaei sint rectores, iudices, principes et praelati synagogae, obedite eis: *Quaecumque dixerint vobis servate et facite.* Posuit nanque Deus in synagoga duplicem principatum; sacrum et saecularem, spiritualem et temporalem. Moyses erat synagogae rex et sacerdos, sicut Melchisedech in Salem. Duo hi principatus in synagoga erant veluti duo luminaria magna in caelo. Loquitur itaque hic Dominus de synagoga Moysi et sacro principatu ipsius divinitus instituto.

ideo veneratione dignus, etiamsi vitiis deturpatus;

Ad ostendendam autem Dominus divinae huius dignitatis amplitudinem nudam eam proponit, absque omni penitus ornatu virtutum et bonorum operum, imo potius vitiorum sordibus deturpatam, sicut illa vere pulcra est mulier quae absque ullo ornatu aut mundo muliebri in pannosis et obsoletis vestibus pulcra est; quemadmodum iussit Deus ut, si iudaeus mulierem bello captam ducere vellet in uxorem, prius illam propriis vestibus exueret et capillos tonderet multisque diebus absque ullo ornatu relinqueret,[47] nam si etiam sic placuisset, vere praestanti erat pulcritudine.

sic sacerdotalis dignitas semper venerabilis est, quia divina,

Sic, inquam, Dominus sacerdotalem dignitatem nudam proponit. Nam sicut aurum incultum, absque ullo penitus ornatu et artificio, in vilissimo etiam loculo eiusdem pretii est ac aurum multa arte elaboratum et in serico marsupio auroque intexta crumena, quoniam suapte natura praestantissimum est; sicut etiam sol, sive in oriente sit, sive in meridie aut occidente, sive etiam in aestate aut hieme idem semper est; ita plane de sacerdotali dignitate sentiendum, quoniam supernaturalis est, superhumana est, divina est. Propterea semper et ubique venerabilis est, honore digna est.

Quaecumque dixerint vobis servate et facite, secundum vero opera eorum nolite facere.[48] Separate pretiosum a vili; si vocem

46) 2, 2-3. Vulg.: *Fluent ad eum... ibunt populi multi... de Sion exibit,* etc.
47) Cf. Dt 21, 10-13. 48) Mt 23, 3.

habent Iacob et manus Esau,[49] relinquite malum, facite bonum; ne imitemini mores, doctrinam tantum sequimini; rosas legite, relinquite pungentes spinas. Sacerdotalis dignitas lamina aurea est divino nomine signata in mitra summi sacerdotis, altare incensi aureum est, ut inde fumus incensi odoratissimi atque suavissimi ascendat ad Dominum.

licet aliquando virtutibus destituta.

VI. Sunt mundus et Ecclesia duo veluti magna regna Dei Optimi Maximi. In regno mundi statuit divina providentia ordinem, ut inferiora superioribus subiecta sint, elementa caelis, luna et sidera soli, animalia homini, membra capiti, corpus animae. Ita etiam in mundo spirituali, Sancta Ecclesia, vult servari ordinem imperturbatum, ut inferiores superioribus subditi sint, obtemperent, serviant: *Quaecumque dixerint vobis servate et facite.* Nam etiam in caelo, in paradiso ordo est, veluti ordinatissimae reipublicae, nam sunt ibi Archangeli, Principatus, Potestates, Dominationes, Christus rex regum est, *in capite* habet *diademata multa,* sicut in *Apocalypsi* legimus;[50] multa habet regna: mundum, Ecclesiam, paradisum.

Mundus et Ecclesia duo sunt regna Dei, utraque ordinatissima.

In regno autem quam maxime reperitur ordo. Rex autem pro regimine optimo regni sui duobus vel maxime opus habet: bonis ministris et sanctis legibus. Ita plane hodie Christus Sanctae Ecclesiae dat ministros: *Super cathedram Moysi sederunt principes et Pharisaei.* Fert etiam iustissimas et sanctissimas leges; legem dedit homini duo praecepta continentem: ut comederet de ligno vitae et ut non comederet de ligno scientiae.[50a] Ita hodie: *Quaecumque dixerint vobis servate et facite, secundum vero opera eorum nolite facere.* Suis autem legibus hodie Dominus format verum perfectumque christianum.

In Ecclesia opus quoque est ministris et sanctis legibus.

Hominem Deus perfectum condidit corpore et anima constantem. Corpus de terra formatum fuit, anima de caelo venit. Verum autem et perfectum christianum duplex virtus constituit: humilitas et caritas. Has hodie Dominus requirit a nobis: caritatem erga Deum et proximum: *Patrem nolite vocare vobis super terram, unus est enim Pater vester qui in caelis est;*[51] *omnes autem vos fratres*

49) Cf. Gn 27, 22. 50) 19, 12. 50a) Cf. Gn 2, 16-17. 51) Mt 22, 9.

estis;[52] deinde humilitatem: *Qui se exaltat humiliabitur et qui se humiliat exaltabitur.*[53]

quibus subesse et obedire oportet.

Super cathedram Moysi sederunt. Sicut princeps in suo statu et regno praecipit popularibus suis ut obediant, ut par est, omnibus ministris regiis tanquam sibi, nam ministri regis in suis functionibus regem repraesentant, et qui regis ministros afficit iniuria, laesae maiestatis reus habetur; praeterea leges dat quibus regnum et respublica administretur et in omnibus reguletur; ita hodie Christus tanquam summus rex, *habens in capite diademata multa,* rex mundi, Ecclesiae, paradisi, quae per arcam Noe, tabernaculum Moysi et templum Salomonis, quae magno cum ordine constructa fuere, designantur, hodie ministros providet pro regni sui recto regimine iubetque ut omnes in omnibus eis obediant: *Quaecumque dixerint vobis servate et facite; Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit,*[54] et leges dat, quibus universum regnum regulatur.

Docet hodie Christus quid agere debeamus erga Deum,

Docet enim quid agendum sit erga Dominum et Christum: *Pater vester unus est,* Deus; *Magister vester unus est, Christus.*[55] Optimus princeps est qui populares suos regit sicut pater filios; optimi autem populares qui regem optimum venerantur et colunt, sicut filii patrem. Est Deus optimus princeps, simus nos boni populares; est Deus optimus Pater, simus nos boni filii.

erga nos ipsos,

Praeterea quid agendum sit homini erga seipsum, ut non se exaltet, quia *omnis qui se exaltat humiliabitur,* sed se humiliet, nam *qui se humiliat exaltabitur.*

erga superiores et inferiores.

Quid tandem cum pessimis superioribus, aequalibus, inferioribus. Superioribus pareamus: *Quaecumque dixerint... servate;* aequales diligamus: *Omnes vos fratres estis;* inferiores ne gravemus, hinc arguit scribas et Pharisaeos quia *alligant onera gravia et importabilia et imponunt in humeros hominum.*[56]

Quoniam autem ut leges principis in regno serventur, ministris opus est qui populum in officio contineant curentque ut leges optimae serventur, alioquin leges omnes supervacaneae sunt, propterea Dominus ministros providit: *Super cathedram Moysi sederunt*

52) Ibid. vr. 8. 53) Ibid. vr. 12; Lc 14, 11; 18, 14. 54) Lc 10, 16.
55) Mt 23, 10. 56) Ibid. vr. 4.

scribae. Rex autem ministris quaedam quidem tribuit, quaedam vero exigit ab eis: tribuit dignitatem et auctoritatem, requirit autem fidelitatem et prudentiam: *Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.*[57]

VII. In hodierno Evangelio ostenditur tum dignitas tum auctoritas concessa ministris: *Super cathedram Moysi sederunt.* Magna dignitas, honor, potestas est huius cathedrae. Magnam tum dignitatem tum potestatem dedit Deus Moysi, hinc dicitur hodie cathedra Moysi, non autem Aaron, quoniam potestas atque dignitas Moysi multo amplior fuit. *Super cathedram Moysi.* Magnam vim habet istud *super*, explicat enim superioritatem et excellentiam dignitatis sacerdotii, super omnem aliam dignitatem, quod ab effectibus manifestum est; nam potestatem habet dimittendi peccata, *quis* autem *potest dimittere peccata, nisi solus Deus?*[58] Operari autem respondet virtuti et potestati, haec autem naturae rei. Sacerdotalis dignitas excellentissima est,

Sed cum sacerdotalis dignitas suapte natura maxime venerabilis sit vereque divina, si aurum pretiosissimum est thesaurusque infinitus, quid est quod tantopere contemnitur in mundo? Quis vidit unquam pretiosissimum aurum contemni? Sed contemnitur et saeculari honori ac dignitati sive nobilitati posthabetur, quoniam non cognoscitur. Neque enim porcus margaritas aliquid facit, neque gallus aut gallina aurum, argentum, lapillos pretiosissimos, quoniam pretium et valorem rerum harum minime cognoscunt. Non agnoscit autem mundus dignitatem hanc, quoniam caelestis est non terrena, divina est non humana - sicut autem Christus Apostolis ait: *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum esset diligeret, quia vero de mundo non estis... propterea odit*, idest contemnit *vos mundus*[59] - quoniam ergo dignitas haec divina est non humana, propterea a mundo contemnitur. Saecularis potestas et dignitas, quoniam humana est, ab hominibus magni fit, quoniam agnoscunt homines bona quae consequi et mala quae pati possunt a saeculari potestate, quoniam bona et mala haec temporalia sunt, notissima sunt. Bona autem quae consequi possunt homines vel pati a spirituali hac po- et tamen tantopere contemnitur in mundo, quia eam non agnoscit, quoniam divina est;

57) Ibid. 24, 45. 58) Mc 2, 7; Lc 5, 21. 59) Io 15, 19. Vulg: *Suum erat*, etc.

testate, spiritualia sunt, cerni non possunt; propterea contemnitur, sicut Deus ipse a mundo contemptui habetur. Pluris facit mundus terrenum principem quam Deum regem caelestem, quoniam scit quid possit princeps mundanus, non autem quid Rex divinus.

nec semper in sacerdotibus vita et doctrina conformes sunt.

Sed tamen contemptus huius praecipua causa est, quam Deus ipse per Malachiam reddit dicens: *Pactum meum fuit* cum Levi *vitae et pacis, et dedi ei timorem et timuit me et a facie nominis mei pavebat. Lex veritatis fuit in ore eius et iniquitas non est inventa in labiis eius; in pace et in aequitate ambulavit mecum et multos avertit ab iniquitate. Labia enim sacerdotis custodient scientiam et legem requirent de ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. Vos autem recessistis de via et scandalizastis plurimos in lege, irritum fecistis pactum* meum cum *Levi, dicit Dominus exercituum. Propter quod et ego dedi vos contemptibiles et humiles omnibus populis, sicut non servastis vias meas et accepistis faciem in lege.*[60] Haec igitur praecipua causa contemptus est et hoc etiam in hodierno Evangelio indicatur. Iubet enim Dominus honorari sacerdotes, etiam malos, sicut et Petrus ait: *Obedite praepositis vestris, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis, haec est enim voluntas Dei.*[61] Non fuisset autem opus admonitione et praecepto hoc Domini, si in sacerdotibus vita et doctrina conformes et concordes essent, virtus enim semper venerabilis est. Sed quia vita contemptibilis erat, propterea homines et doctrinam et dignitatem sacerdotii una cum vita contemnebant.

Magna sanctitas opus est sacerdotibus, quia Deum repraesentant,

VIII. Magnam virtutum suppellectilem requirit Dominus a sacerdotibus et praelatis hodie, et merito quidem, nam sacerdos Dei personam sustinet, Deum repraesentat. Mundus hic veluti scena quaedam est, comica aut tragica repraesentatio, quae tunc optima est, cum unusquisque optime habitu gestuque corporis, verbis et actibus personam refert quam repraesentat; in hac autem scena sacerdos Christi personam sustinet et repraesentat; Christus autem summa sanctitas est.

60) 2, 5-9. 61) 1 Petr 2, 18. Vulg.: *Hae est enim gratia.* Inserit verba D. Pauli Hebr 13,17.

Sacerdotes Dominus sal terrae et lumen mundi appellavit,[62] alludens forte ad mysteria illa *Urim* et *Thumim*, luminum et perfectionum, quae antiquus sacerdos gestabat in pectore;[63] hinc tandem conclusit: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona*, etc.[64] In sacerdotibus Dominus cum bona doctrina desiderat bonam vitam, alioquin sine fructu erit doctrina. Aiunt logici quod ex praemissis necessaria et contingente, conclusio erit contingens. Astrologi etiam dicunt quod si concurrant duo aspectus astrorum, benignus et malignus in nativitate, influxus erit malignus. Videmus etiam quod homo constans ex anima immortali et carne corruptibili, mortalis est. Ita accidit cum in sacerdote bona reperitur doctrina, sed mala vita.

nam absque bona vita, doctrina sine fructu erit.

Super cathedram Moysi sederunt, etc. Sacerdotalis dignitas magnus revera est honos, verum etiam magnum onus: honos divinus, supernaturalis, onus angelicis etiam humeris formidandum, quia multam virtutum suppellectilem requirit a sacerdotibus Deus et sacerdotum errata gravissime punit, ut patet Malachiae 3.[65]

Sacerdotalis dignitas magnus honos est et magnum onus.

IX. Solemne[66] est Divinis Litteris magna cum maiestate introducere maiora quaeque et sacratiora pietatis nostrae mysteria. Magna cum maiestate introduxit Moyses creationem hominis, legem caelitus datam et alia pleraque; sed vix reperitur mysterium maiori cum maiestate introductum, uti sacerdotium in Sacris Litteris. Melchisedech rex Salem protulit panem et vinum, *erat enim sacerdos Dei Altissimi*.[67] Introducitur Melchisedech veluti de caelo lapsus, homo, ut Paulus ait, *sine patre, sine matre, sine genealogia, neque principium dierum* habens *neque finem*.[68] Hinc multi arbitrati sunt eum revera fuisse Filium Dei, ut Epiphanius in *Haeresibus* narrat;[69] alii eum fuisse Spiritum Sanctum, ut idem Epiphanius[70] et Hieronymus in Epistola 126 *ad Evagrium*,[71] quam sententiam acerrime tuetur auctor *Quaestionum Veteris et*

Maxima cum maiestate in S. Litteris introducitur sacerdotium.

62) Cf. Mt 5, 13-16. 63) Cf. Ex 28, 9 sqq. 64) Mt 5, 16. 65) Cf. vrr. 1-9.
66) Quae in hoc numero continentur, atramento clariori et stylo crassiori exarata sunt.
67) Gn 14, 18. 68) Hebr 7, 3. 69) Cf. lib. 2, haeres. 55, (P. G. 41, 971-980).
70) Cf. ibid. col. 979; Tertullianus: *De Praescriptionibus*, cp. 53, (P. L. 2, 72-73).
71) Iuxta Migne epistola 73, (P. L. 22, 676-677).

Novi Testamenti;[72] alii putarunt eum fuisse Angelum, ut Origenes[73] et Didymus,[74] quoniam visus est plus quam homo, cum introducatur superior Abrahamo, qui summus fuit patriarcha.

Quattuor consideranda sunt: sacerdotii veritas, dignitas, auctoritas, sanctitas.

Sunt autem hic consideranda quattuor: primum quidem veritas sacerdotii; secundo dignitas superior dignitate regia; tertio auctoritas divina, qua sacrificium offert et benedicit Abrahamo, et quarto sanctitas, nam appellatur Melchisedech *rex iustitiae,*[75] idest rex iustus, sanctus. Quoad primum dicitur quod *erat sacerdos Dei Altissimi;* ipse dicitur *sacerdos* singulariter, non ergo omnes sunt sacerdotes, nam si omnes essent, nemo vere esset, et si non daretur sacerdotium verum, nec metaphoricum esse posset, quod est per similitudinem et imitationem.

ALIA HOMILIA

Super cathedram Moysi sederunt.[1]

Principes ecclesiastici divina praediti sunt auctoritate.

I. Ostendit Dominus principes ecclesiasticos divina praeditos esse auctoritate, sicut Moyses cum a Deo constitutus fuit princeps et caput synagogae. Hoc autem est sedere super cathedram Moysi, ei in eadem dignitate et auctoritate succedere, sicut legimus quod Salomon *sedit super sedem David patris sui,*[2] idest rex factus est sicut David, successit ei in regno. Ita *super cathedram Moysi sederunt scribae,* hoc est successerunt ei in principatu et auctoritate ecclesiastica, sicut nunc Romanus Pontifex dicitur sedere super cathedram Petri, quoniam successor eius est in eadem dignitate et auctoritate, sicut Eleazarus successit Aaroni, in cuius signum indutus fuit vestibus ipsius, sicut *Numerorum* 20 legimus.[3] Cum itaque sint legitimi successores Moysi, cum divina, sicut ille, praediti sint auctoritate, igitur praestanda illis obedientia est: *Omnia ergo quaecumque dixe-*

72) Quaestio 109, ibid. 35, 2329-2330. 73) Apud S. Hieronymum epist. 73, ibid. 22, 677; cf. etiam *Monitum,* (P. G. 12, 43-44). 74) Apud S. Hieronymum epist. 73, ibid. 22, 677. 75) Hebr 7, 2-3.

1) Mt 23, 2. 2) 3 Rg 2, 12. Vulg.: *Super thronum.* etc. 3) Cf. vrr. 25-28.

rint vobis servare, ut graece est, idest quaecumque mandaverint vobis servanda, *servate et facite,*[4] hoc est in omnibus parete illis.

Triplici auctoritate Deus Moysen donavit, cum synagogae principem instituit: prima fuit regendi populum, hinc dedit ei virgam, veluti sceptrum regium in signum auctoritatis; altera fuit docendi populum quae ad divinum cultum spectant, praedicandi et declarandi divinam legem; tertia condendi etiam novas leges, nam legislatorem eum constituit: *Legem dedit vobis Moyses;*[5] sic: *Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei.* Sub his nominibus intelligit Dominus pontifices et sacerdotes. Quoniam autem eorum vitia erat accusaturus, propter honorem sacerdotii noluit eos hoc nomine appellare. Nunquam enim Christus nisi honorifice sacerdotes nominavit: *Vade, ostende te sacerdoti;*[6] *Ite, ostendite vos sacerdotibus;*[7] *Sacerdos* autem *quidam* iter faciens;[8] nunquam vel a Christo vel ab Apostolis aliqua vel levi nota vitii affecti sunt sacerdotes aut pontifices sub hoc titulo, propter honorem, inquam, sacerdotii. Non ita deferunt sacerdotio novi evangelistae.

a Deo enim constituti sunt rectores et legislatores;

Commendat autem Dominus hodie spiritualem magistratum, ecclesiasticos principes, non temporales, nam scribae et Pharisaei tunc spiritualem tantummodo habebant iurisdictionem, temporalis nanque et politica penes Romanos residebat. Non quod non sit praestanda ex divino iure etiam saecularibus principibus obedientia, nam: *Reddite... quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo,*[9] sed quia non opus erat. Sicut enim non dedit Deus speciale mandatum parentibus ut diligerent filios, sicut dedit filiis ut parentes diligerent, quoniam illud non erat opus sicut hoc, ita nunc non dat speciale mandatum ut saecularibus principibus praestetur obedientia, quoniam facile haec ab omnibus praestari solet formidine poenae, non virtutis amore.[10] At non ita spiritualibus; nam homines pluris faciunt, corpus quam animam, terrena quam caelestia, temporalia quam aeterna divinaque. Hinc est quod saeculares principes regesque ab hominibus mundi huius pluris fiunt quam Deus ipse, desiderandumque esset ut tanti fieret Deus ab hominibus quanti fit

ideo eis praestanda est obedientia.

4) Mt 23, 3. 5) Io 7, 19. 6) Mt 8, 4; Lc 5, 14. 7) Lc 17, 14. 8) Ibid. 10, 31. 9) Mt 22, 21; Mc 12, 17; Lc 20, 25. 10) Ex Horat. *Epist.* lib. 1, epist. 16, vrr. 52-53.

princeps saecularis. Hac igitur de causa non de saeculari sed de spirituali magistratu loquitur hodie Christus.

Super cathedram Moysi sederunt. Omnia ergo quaecumque dixerint vobis. Quid est istud *ergo*? Num logicus Christus est? Ponitur «ergo» in conclusionibus ex praemissis necessario deductis, veluti: est ignis, ergo calidus est; est nix, ergo est alba; est dies, ergo sol est super terram; est homo, ergo animam habet rationalem; est pater, ergo amandus; est dominus, ergo honorandus est. Hi sunt principes instituti a Deo sicut Moyses; ergo praestanda illis obedientia est. Principibus suapte natura debetur obedientia a suis subditis.

Iubet Dominus ut sacerdotes audiantur, quamvis mali;

II. Ostendit autem Dominus adeo legitimis verisque principibus deberi obedientiam, ut etiamsi mali sint, audiendi sint, modo non mala contra Deum praecipiant, nam tunc *obedire oportet Deo magis quam hominibus,* [11] ut Petrus ait principibus Iudaeorum. Quare loquitur Dominus de praeceptis bonorum operum vel eorum quae suapte natura mala non sunt, nam ab omnibus malis abstinere nos admonet dum ait: *Secundum opera eorum nolite,* etc. [12] Quare duo praecipit hodie Dominus: ut sacerdotum ac praesulum Ecclesiae exequamur dicta, non imitemur facta, si mala sunt, sicut praecepit Adamo ut comederet de ligno vitae, non autem de ligno scientiae. [13] At sicut ille, satana suggerente, utrumque praeceptum transgressus fuit magno suo et nostro malo, [14] ita nos, tanquam boni filii ipsius, utrumque praeceptum pervertimus: non facimus bona quae dicunt, sequimur mala quae faciunt. Iubet Dominus ut per viam virtutum et bonorum operum ambulemus, non per viam vitiorum et malorum operum; nos illam vix novimus, hanc perpetuo terimus oppido. Quam obedientes Christo sumus, cum christiani et dici et haberi velimus!

exigit ut fideles sui sancti sint,

Exigit hodie Dominus a fidelibus suis vitam omnino innocentem et puram: *Secundum opera eorum nolite facere;* itemque omni virtutum genere ornatum: pietate erga Deum: *Unus est enim Pater vester, qui in caelis est;* [15] fide erga Christum: *Magister vester unus est Christus;* [16] caritate erga proximos: *Omnes vos fratres estis;* [17]

11) Act 5, 29. 12) Mt 23, 3. 13) Cf. Gn 2, 16-17. 14) Cf. ibid. 3, 1 sqq.
15) Mt 23, 9. 16) Ibid. vr. 10. 17) Ibid. vr. 8.

humilitate in seipsis: *Omnis* enim *qui se humiliat*, etc.[18] Sic, inquam, viam salutis ostendit nobis Dominus. Sed nos per viam perditionis ambulamus.

Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei. Datur in hodierno Evangelio praeceptum obedientiae, quae superioribus praestanda est, non sine magno foenore. Nam in fine huius Evangelii ponitur praemium obedientiae et poena inobedientiae: *Qui se humiliat exaltabitur et qui se exaltat humiliabitur;* qui se humiliat obediendo exaltabitur in caelum; qui se exaltat obedire contemnendo, sicut in *Deuteronomio* legimus: *Qui superbierit nolens obedire sacerdotis imperio,*[19] hic humiliabitur in infernum.

indicat autem praemium obedientiae et poenam inobedientiae.

Videndum autem quibus dicat Dominus: *Servate et facite*, quinam sint qui obedire et iussa exequi teneantur, et praeterea quibus debeant obedire, et poena inobedientiae. Quoad primum loquitur Christus fidelibus suis, quibus ait: *Magister vester unus est Christus;* et item: *Unus est pater vester, qui in caelis est*, Deus; hinc ait quod *locutus est ad turbas et ad discipulos suos;*[20] ergo christianis praecipit ut superioribus suis obediant. Ubi est ergo libertas christiana, quam nunc sectarii praedicant? quod christiani liberi sunt, nemini obedire teneantur? Verum est: in libertatem vocati sumus, sed non in libertatem carnis;[21] liberati sumus, sed a iugo mosaicae legis; liberati sumus, sed a peccato, *servi* autem *facti iustitiae*, ait Paulus *ad Romanos;*[22] *omnis anima* alioquin *potestatibus sublimioribus subdita sit.*[23]

Praeceptum obedientiae omnes fideles adstringit,

Quoad secundum ait: *Super cathedram Moysi sederunt*, idest successores sunt Moysi in auctoritate divinitus accepta ad regendum populum, sicut Salomon dicitur sedisse super sedem David, quando ei in regno legitime successit. Docet igitur obediendum legitimis principibus et praesulibus Ecclesiae, veris successoribus Moysi, qui primus a Deo institutus fuit princeps et caput synagogae. Loquitur autem hic Dominus [de] ecclesiasticis praelatis, quales erant tunc pontifices et sacerdotes, nam saecularis principatus penes Romanos erat; loquitur de successoribus Moysi, cui Aaron successit in sacer-

quia sacerdotes divina praediti sunt auctoritate ad regendum populum.

18) Ibid. vr. 12; Lc 14, 11; 18, 14. 19) 17, 12. 20) Mt 23, 1. 21) Cf. Gal 5, 13. 22) 6, 18. 23) Ibid. 13, 1.

dotio,[24] sicut Iosue in politico principatu,[25] nam Moyses fuit simul princeps et pontifex, monarcha in utroque foro, sed postea separati fuere duo hi principatus.

In Episcopis requiritur electio canonica, legitima ab Apostolis successio et ordinatio.

In praesulibus autem et Episcopis, praeter electionem, duo necessario requiruntur: successio et ordinatio. Successio apostolica, nam sicut in synagoga non poterat esse sacerdos et pontifex, nisi qui naturali successione per lineam rectam masculinam ex Aaron descendebat,[26] ita nunc non potest esse verus episcopus, nisi successor sit Apostolorum. Non potest esse Ecclesia sine Episcopis, sicut nec vinea absque colonis, nec grex absque pastore. Hinc Paulus *Actuum* 20 ait: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos,* etc.;[27] et *Ephesiis* 4: Posuit Deus in Ecclesia *pastores et doctores,... donec occurramus,* etc.,[28] hoc est usque ad diem iudicii, ita ut non possit esse vera Ecclesia quae Episcopos non habet, sicut nec verus exercitus absque ducibus, nec regnum absque iudicibus et magistratibus.

Veri Episcopi non sunt qui ab Apostolis non descendunt,

in Ecclesia enim semper viguit apostolicae cathedrae principatus.

III. Sed non omnes Episcopi sunt veri Episcopi; sunt etiam pseudoepiscopi, sicut pseudoprophetae et pseudoapostoli. Veri Episcopi semper et soli habiti sunt qui per veram legitimamque successionem ab Apostolis descenderunt, ita ut facti sint Episcopi ab aliquo qui apostolicam habeat auctoritatem, maxime a Romano Pontifice, nam ut Augustinus Epistola 162 [ait], in Romana Ecclesia « semper viguit apostolicae cathedrae principatus ».[29] Sic Apostoli, facti Episcopi a Christo, Paulum per impositionem manuum Episcopum ordinarunt;[30] Paulus Timotheum[31] et Titum; Titus constituebat per singulas civitates Episcopos et presbyteros,[32] ac sic semper per legitimam successionem. Sic Irenaeus libro 3, capite 3,[33] Tertullianus *De Praescriptione Haereticorum,*[34] Epiphanius Haeresi 27,[35] Optatus libro 2 *Contra Parme-*

24) Cf. Ex 28, 1 sqq. 25) Cf. Nm 27, 18 sqq. 26) Cf. ibid. 3, 1-3.
27) Vr. 28. 28) Vrr. 11-13. 29) Iuxta Migne epist. 43, cp. 3, (P. L. 33, 163).
30) Cf. Act 13, 3. 31) Cf. 2 Tim 1, 6. 32) Cf. Tit 1, 5.
33) *Contra Haereses,* (P. G. 7, 848-850). 34) *De Praescriptionibus,* cp. 32, (P. L. 2, 44-45).
35) *Adversus Haereses,* (P. G. 41, 371-374).

nianum,[36] Augustinus Epistola 165,[37] a successione, maxime Romanorum Pontificum, probant contra haereticos ostenduntque veram Ecclesiam. Eleazarus autem non tantum successit patri Aaroni in pontificatu, verum etiam ordinatus secundum legem fuit.[38] Episcopi etiam rite ordinantur: Paulus ordinatus fuit ab Apostolis per impositionem manuum et orationem; Timotheus factus fuit Episcopus per impositionem manuum praesbyterii, *1 Timotheo* 4,[39] hoc est, ut Chrysostomus interpretatur, per coetum Episcoporum.[40] Sic in *Canonibus Apostolorum* ordinandus Episcopus est a tribus Episcopis,[41] ita etiam habentur in Concilio Nicaeno Primo,[42] omnium celeberrimo, aliisque Conciliis. Sic itaque indicantur quinam sint qui super cathedram Moysi sedent, quibus iure obediendum est.

Catholicis praelatis semper obediendum est in omnibus quae ad fidem vel mores spectunt.

Quomodo nunc episcopos haberi potest Lutherus? quomodo Calvinus? Ubi eorum successio? ubi ordinatio? Episcopi sunt, sed synagogae satanae, non Ecclesiae Christi. Si autem catholici fuerint legitimique praelati, licet vita et moribus non tales sint quales eos esse oportet, audiendi sunt: *Quaecumque dixerint vobis servate et facite, secundum vero opera eorum nolite facere;* cum, inquit, sua auctoritate divinitus accepta funguntur cumque vel quae ad fidem et religionem vel bonos mores spectant praecipiunt, obediendum est: *Servi,* inquit Petrus, obedite *dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis, haec est enim voluntas Dei.*[43]

Super cathedram Moysi sederunt. Non eam per vim arripuerunt, sibique usurparunt, ut nunc faciunt novi evangelistae, dicentes se a Deo missos extraordinaria missione.[44] Sed etiam Paulus extra ordinem a Christo factus fuit Apostolus, et tamen nunquam verus Apostolus habitus fuisset, nisi in Ecclesia baptizatus fuisset, nisi eamdem cum aliis Apostolis doctrinam, non nova dogmata, praedicasset, nisi cum Apostolis Evangelium suum communicasset, imo ab

36) *De Schismate Donatistarum,* lib. 2, cp. 2, (P. L. 11, 946-949). 37) Iuxta Migne epist. 53, cp. ibid. 33, 195-197. 38) Cf. Ex 28, 1; 40, 12-14. 39) Cf. vr. 14. 40) *In Epistolam primam ad Timotheum Comment.,* hom. 13, (P. G. 62, 565). 41) Cf. Dionysius Exiguus *Regulae Ecclesiasticae Apostolorum,* can. 1, (P. L. 67, 141); Balsamom Theod. *Canones SS. Apostolorum Comment.,* can. 1, (P. G. 137, 35). 42) Cf. Denzinger - Bannwart *Enchiridion Symbolorum,* n. 305. 43) 1 Petr 2, 18. Vulg.: *Haec est gratia.* 44) Ita de se sentiebat Lutherus. Cf. S. Laurentius a Br. *Hypotyposis,* part. 1, pag. 62-76; part. 3, pag. 42.

ipsis ordinatus fuisset, *Actuum* 13.[45] Legitima successio in primis necessaria est in Episcopis et Praesulibus Ecclesiae, non enim contingit hereditas, nisi legitimos, etc.

Fert leges hodie Christus, sicut a Patre institutus fuerat legislator: *Ipsum audite,*[46] et postquam tanquam rex ingressus Ierosolymam fuerat.[47] In *Psalmo* ait: *Ego constitutus sum Rex ab eo super Sion,*[48] ubi erat regia et templum, ad designandum utrumque in Ecclesia principatum, sicut in Melchisedech.[49]

45) Cf. vrr. 2 sqq. 46) Mt 17, 5; Lc 9, 35. 47) Cf. Mt 1 sqq.; Lc 19, 29 sqq.
48) Ps 2, 6. 49) Pagina alba relicta, transit ad Feriam sequentem.

FERIA QUARTA INFRA HEBDOMADAM SECUNDAM QUADRAGESIMAE[1]

Ecce ascendimus Ierosolymam et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et Pharisaeis.[2]

I. Sancta peregrinatio a Christo et Apostolis in civitatem sanctam Ierusalem instituta proponitur in hodierno Evangelio, sed quae mihi similis videtur litterae pythagoricae, superiori parte bifurcatae instar stipitis, qui in duos ramos dividitur. Erat nanque Pythagoricis littera illa symbolum ac veluti hieroglyphicum humanae vitae;[3] nam

Ierusalem, quo peregrinatur hodie Christus, duplicem felicitatem designat.

1) Homiliam huius Feriae praecedit hoc breve summarium, alio atramento et stylo latiori exaratum.

« Feria 4 Dominicae 2 ».

« Quattuor de rebus saepissime locutus est Dominus: de gloria paradisi, de meritis virtutum, de iudicio finali et de mysterio suae passionis. De hoc autem postremo saepe saepius verba fecit, nunc quidem manifestis verbis, sicut hodie et etiam post transfigurationem ac confessionem Petri; nunc metaphoricis, appellans passionem suam exaltationem; nunc alludens ad figuras Veteris Testamenti: *Sicut Moyses exaltavit serpentem; Sicut fuit Ionas in ventre ceti*, etc.; nunc sub parabolis, ut in parabola vineae: *Hic est heres, venite, occidamus eum;* nunc veluti sub hieroglyphicis symbolis: *Solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud.*

In hodierno autem Evangelio cum de omnibus his agatur: de gloria quam expetunt duo Apostoli, de meritis virtutum, sine quibus non datur gloria, hoc enim docet Dominus quod gloria non datur ob favorem et fortunam, sed ob virtutem et meritum; de iudicio: *Sedere ad dexteram meam*, etc., - nam alludit ad illud: *Cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim*, etc.; - sed de mysterio passionis loquitur Dominus hodie quattuor vicibus: primo quidem manifeste, eam apertissimis verbis praedicens ac per partes praenarrans: *Filius hominis*, etc.; postea verbis metaphoricis: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, et baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* ac tertio: *Calicem meum bibetis et baptismo quo ego baptizor baptizabimini;* ac tandem: *Filius hominis venit dare animam suam in redemptionem pro multis.*

Ostenditur autem Dominus hodie humilis peregrinus, divinus propheta, supremus princeps, rex gloriae paradisi et magister morum, statuens proponensque nobis vitam suam in exemplum, ita ut doceat quod nos, ipsius discipuli, nec proprias cupiditates, nec mundi corruptos mores sequi sectarique, ipsius exempla imitari debemus: *Sicut*, inquit, *Filius hominis*, etc. ».

2) Pericope huius diei Mt 20, 17-28. Cf. Missale Rom. Vulg.: *Sacerdotum et scribis.*

3) Y. Cf. Lactantius Firm. *Divinarum Institut.*, lib. 6, cp. 3, (P. L. 6, 641); S. Hieronymus epist. 107, ibid. 22, 873; *Comment. in Ecclesiasten*, ibid. 23, 1091.

usque ad aetatem adolescentiae, ubi usus rationis incipit, veluti stipes est integer, nam nonnisi vita sensus animalis dignoscitur; postea vero vita duplex, tum sensus tum intellectus, pro duplici substantia, carnis et spiritus. Quod quidem mysterium etiam in Sacris Litteris habemus. Nam cum egressus fuisset populus de Aegypto et mare Rubrum transmisisset, tunc duplex occurrit ei via: altera quidem per terram Philisthaeorum, altera vero per desertum, quam ut securiorem elegit Dominus.[4]

Christus felicitatem caelestem cogitabat, Apostoli mundanam.

Hodierna autem peregrinatio mente quidem et animo in duas dividitur. Nam Apostoli terrenam tantum Ierusalem cogitabant, Christus autem caelestem, illam[5] *quae sursum est Ierusalem,*[6] quam et Ioannes in *Apocalypsi* vidit totam ex auro et pretiosis lapidibus aedificatam.[7] Interpretatur autem Ierusalem visio pacis, idest felicitatis. Est autem duplex felicitas, sicut sunt duo bonorum genera, prout etiam homo duplici substantia constat: sunt bona terrena, corporea, temporalia; sunt etiam caelestia, spiritualia, aeterna. Felicitas autem reputatur desiderabilium bonorum fruitio. Christus caelestem Ierusalem cogitabat: *Die tertia resurget; Oportuit pati Christum et resurgere a mortuis et ita intrare in gloriam suam;*[8] Apostoli autem terrenam mundanamque felicitatem appetebant: *Dic ut sedeant hi duo filii mei unus ad dexteram tuam et unus ad sinistram in regno tuo.*[9] Appetunt quietem voluptatum: *Ut sedeant,* primatum honorum, graduum et dignitatum: *Unus ad dexteram tuam et unus ad sinistram,* copiam divitiarum regiarum: *In regno tuo.* Quae tria in Salomone, regum felicissimo, divina historia refert; nam rex fuit ditissimus, gloriosissimus, quem reges omnes honorabant propter divinam in eo sapientiam; vixit semper in pace, omnibus deliciis copiosissime abundans. Sic igitur hodie filii Zebedaei terrenam mundanamque felicitatem appetiere et petiere a Christo, matre intercedente. Hic elucet quam verum illud sit: *Sicut exaltantur caeli a terra, ita exaltatae sunt viae meae a viis vestris et cogitationes meae a cogitationibus vestris.*[10] Sic patet in Christo et Apostolis hodie.

4) Cf. Ex 13, 17-18. 5) Ms.: *Autem* repetitur. 6) Gal 4, 26. 7) Cf. 21, 10-11. 8) Lc 24, 26. 46. Inserit unum in alium vr. 9) Mt 20, 21. 10) Is 55, 9.

Ierusalem imago est paradisi caelestis.

II. In Sacris Litteris civitas Ierusalem veluti hieroglyphicum felicitatis est. Cum enim haec definiatur «status bonorum omnium cumulatione perfectus»,[11] civitas Ierusalem erat veluti thesaurus bonorum omnium totius regni Iudaeorum: ibi sedes regni et sacerdotii, omnis honor, dignitas et auctoritas tum saecularis tum sacra; ibi ingens copia divitiarum, maxime Salomonis tempore, quando argenti copia erat velut lapidum;[12] ibi deliciarum paradisum, nam terra illa lacte et melle manabat; civitas erat pulcherrima, deliciis et voluptatibus omnibus abundans, paradisus videbatur. Sed Dominus quidem caelestem cogitabat paradisum, ad quem raptus fuit Paulus, qui in tertio caelo, idest empireo, collocatus est;[13] Apostoli autem terrestrem, in quo Adam collocatus fuit indeque peccati causa eiectus et extorris factus.[14] Terrestris autem paradisus, terrena Ierusalem, caelestis[15] umbra et imago erat.

Vera felicitas sine labore obtineri nequit.

Ecce ascendimus Ierosolymam. Erat Ierusalem civitas montana, situ amoeno quidem atque pulcherrimo, sed arduo et difficili posita, quoniam veram felicitatem nemo sine labore potest adipisci; hinc in transfiguratione supra montem excelsum ostensa fuit Apostolis gloria Christi.[16] Montis autem sublimis altitudo sine labore conscendi non potest ab iis qui gravi sunt corpore. Hinc ait Dominus: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?*[17] Christus per viam passionis intravit in gloriam suam, pervenit in caelestem Ierusalem, sicut populus per desertum in terram promissionis: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.*[18]

Difficile est discernere in quibus bonis felicitas consistat;

III. Appetitus felicitatis homini naturalissimus est, nemo enim est qui non desideret ad statum aliquem vitae pervenire, ad quem cum pervenerit, ut existimat, felix et beatus fore sibi videtur. Felicitatem autem hanc mundus in fortunae bonis constituit. Epicurus posuit in voluptate;[19] Zeno, Stoicorum princeps, in virtute et in illa sua apathia, impassibilitate et insensibilitate et passionum et af-

11) Boetius *De Consol. Phil.*, lib. 3, (P. L. 63, 724). 12) Cf. 2 Par 9, 27. 13) Cf. 2 Cor 12, 2. 14) Cf. Gn 3, 1 sqq. 15) Ms.: *Caelesti.* 16) Cf. Mt 17, 1-5; Mc 9, 1-6; Lc 9, 28-35. 17) Mt 20, 22; Mc 10. 38. 18) Act 14, 21. 19) Cf. Tertullianus *De Praescriptionibus*, cp. 7, (P. L. 2, 19); Lactantius Firm. *De Ira Dei*, cp. 9, ibid. 7, 98-99; Diogenes Laertius *De Vita et Moribus Philosophorum*, lib. 10, pag. 417.

fectuum animi;[20] Aristoteles in contemplatione, in sapientia;[21] Plato, ut in *Phaedone* disserit, in cognitione et amore summi boni.[22] Hoc est autem apud omnes exploratum erratum, consistere felicitatem in possessione et fruitione boni, nam nonnisi bona expetimus quae vel utilia nobis sint vel honesta aut iucunda.

Apostoli eam ponebant in bonis fortunae,

Sed hoc opus, in quibus bonis consistat. Hodie filii Zebedaei, una cum vulgo existimantes eam in fortunae bonis consistere, haec petunt a Christo: *Ut sedeant... unus ad dexteram tuam et unus ad sinistram in regno tuo.* Christus autem ait: *Nescitis quid petatis,*[23] arguit et reprehendit opinionem hanc tanquam stultam.

sed urguuntur a Christo.

Nunc inquirendum nobis est quam vere Christus opinionem hanc [reprehendat]. Et quidem Christus non negat reperiri felicitatem, neque docet impossibilem esse, nam impossibilium non est desiderium. Non enim desiderabit homo volare sicut avis, neque agricola ambiet coronam Galliarum aut Hispaniarum, nec reginam adamabit gerulus, nec reperitur qui cupiat quae omnino impossibilia sunt. Desiderium autem felicitatis commune est omnibus, et magnum, ardens, naturalissimum; omnis homo consolationem desiderat. Christus autem saepe locutus est de beatitudine, idest felicitate vera; sed docet non reperiri in bonis fortunae, ut hodie existimabant Apostoli.

Felicitas appetitus est naturalis, ideo in aliquo bono reperiri debet;

Necesse est quidem ut, cum possibilis sit felicitas, reperiatur in possessione alicuius boni. Sed omne bonum quod appetimus, vel corporale est extra nos, vel spirituale et intra nos, ut scientiae, virtutes, iudicium, usus rerum et cetera, quae locum habent in anima, et aliquando a multis ardentissime desiderantur. Nam cum omnis homo natura scire desideret, et scire omnia, intelligere omnia, multi tantum scientiam et sapientiam ardentissime super omnia cupiunt. Hinc Salomon nonnisi sapientiam a Deo postulavit et consequi Dei munere meruit.[24]

Non potest felicitas in bonis externis consistere, nam haec [non] desiderantur, nisi propter corporis necessitates, commoditates, vo-

20) Cf. Tertullianus *De Praescriptionibus*, cp. 7, (P. L. 2, 19); Lactantius Firm. *Divinarum Institut.*, cp. 7-8, ibid. 6, 364-367; cp. 23, ibid. col 423-424. 21) Cf. *De Moribus*, lib. 10, cp. 7-8, pag. 80-81. 22) *Vel De Anima*, lib. 29, pag. 283-300. Sed in hoc libro praecipue agit de immortalitate animae. Ubi potius agit de felicitate est in *Euthidemo*, vel *Litigioso*, lib. 18, pag. 148-157. 23) Mt 20, 22; Mc 10, 38. 24) Cf. 3 Rg 3, 5-13; 2 Par 1, 7-12.

luptates. Corpus autem propter animam est, sensus corporis exteriores propter interiores, hi autem propter mentem et intellectum. Nemo autem est hominum qui mentem cum omnibus mundi regnis et gloria commutaret, sicut satanas Christum tentavit ut virtutem cum omnibus mundi regnis commutare vellet.[24a] Amplius dico, quod nec cum omnibus corporis bonis, firmissima valetudine, fortitudine Samsonis, pulcritudine Absalonis, fortuna Salomonis una cum regnis omnibus, mentem nemo cordatus commutaret, si noverit quid sit amentia, ut, his acceptis, sensu mentis privaretur, sicut olim Nabuchodonosor.[25]

non consistit autem in bonis externis,

Non consistit ergo felicitas in bonis externis, neque in bonis et voluptatibus corporis, si omnia haec homo menti et iudicio longe posthaberet. Ergo consistit in spiritualibus bonis, multo sublimioribus et divinioribus. Recte igitur Dominus ait: *Nescitis quid petatis.*

neque in bonis corporis,

Felicitatem autem veram Dominus cum a mundo excluserit, in caelo collocavit; non in scientia et cognitione rerum, ut A r i s t o t e l e s, nam haec primo quidem impossibilis est, cum perfectam et absolutam rerum scientiam in mundo hoc habere non possimus, nam, ut ipsemet ait, intellectus noster ad divina est sicut oculus noctuae ad lumen solis;[26] ipse etiam, qui summus habetur philosophus, astronomiam ignoravit, in mathematicis quadraturam circuli invenire non potuit. Statuit ergo felicitatem in re impossibili, cum ignoremus naturas proprias rerum etiam manifestissimarum, qualia sunt elementa caeli, astra, lux ipsa. Deinde statuit eam in intellectu, relicta prorsus voluntate, quae tamen potior et multo praestantior est animi pars, ad quam utique ordinatur intellectus, sicut cognitio ad appetitum. Nam cum ignota bona nec diligi, nec desiderari possint, ut perquirantur et acquirantur data est homini cognitio et cum felicitas in boni fruitione consistat, bonum non est obiectum intellectus, sed voluntatis; animus non fertur in bonum cognitione, sed amore et desiderio.

non in ipsa scientia et cognitione rerum,

P l a t o ad scopum propius accessit, collimavit, statuens eam in cognitione et amore summi boni. Haec enim christiana philosophia est. Non tamen tradidit media ad eam assequendam. Christus autem et finem indicat et media simul, sicut Iacob caelum vidit apertum

sed in amore summi boni, quod sola virtute assequitur.

24a) Cf. Mt 4, 8-10. 25) Cf. Dn 4, 21-30. 26) *Metaphysicorum*, lib. 2, cp. 1.

et scalam per quam in caelum Angeli ascendebant. Ostendit enim viam perveniendi ad felicitatem esse, non voluptatem, sed virtutem, sicut etiam Cicero ex Xenophonte ait in suis *Officiis*, quod ut [Hercules] in caelum perveniret, respuit viam voluptatis et elegit viam virtutis.[27]

Hoc etiam ethnici intellexere.

Etiam ethnici intellexere felicitatem hominis sitam esse in caelo, non in terra; nam Anaxagoras, referente Laertio, cum diceret se natum ut caelum contemplaretur, dixit etiam patriam suam esse caelum et propterea mundi bona ex alto contemnebat.[28] Sic igitur Dominus felicitatem in caelo constituit.

Sed quibus mediis assequenda est? *Beati pauperes spiritu, beati qui patiuntur, quoniam ipsorum,* etc.;[29] *Potestis bibere calicem?* Sic ascendit Ierosolymam per asperum iter, per viam alpestrem, laboriosam, difficilem: *Filius hominis tradetur... ad crucifigendum,* sed *tertia die resurget;*[30] *Oportuit Christum pati et ita intrare in gloriam suam;*[31] sic *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.*

Multa mysteria continet hodiernum Evangelium.

IV. *Ascendens Iesus Ierosolymam.* Multis mysteriis refertum est hodiernum Evangelium. Sicut ascendit Christus cum duodecim Apostolis, sol cum duodecim signis, Iacob cum duodecim patriarchis, ita videtur mihi Evangelium hoc mensa propositionis esse cum duodecim panibus,[32] *Rationale* pontificis cum duodecim lapidibus pretiosis,[33] campum Elim cum duodecim fontibus.[34] Hic enim primo quidem est mysterium peregrinationis Christi, passionis Christi, resurrectionis Christi et regni Christi: *Ut sedeant... in regno tuo.* - Mysterium adventus Christi in mundum: *Sicut Filius hominis non venit ministrari.*[35] - Mysterium exemplaris vitae Christi: *Qui voluerit* inter vos *maior esse, sit vester minister, et qui voluerit primus esse, erit vester servus,*[36] *sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* - Mysterium etiam fructus et effectus passionis Christi: *Dare animam suam redemptionem pro multis.*[37] - Praeterea mysterium divinae praedestinationis:

27) Cf. lib. 1, n. 32. 28) *De Moribus et Vita Philosophorum,* lib. 2, pag. 62-63. 29) Mt 5, 3. 10. 30) Ibid. 20, 18-19. 31) Lc 24, 26. 32) Cf. Lv 24, 5-6. 33) Cf. Ex 28, 9-21. 34) Cf. ibid. 15, 27. 35) Mt 20, 28. 36) Mc 10, 43-44. Vulg.: *Fieri maior... omnium servus.* 37) Mt 20, 28.

Sedere ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.[38] - Mysterium particularis electionis Apostolorum: *Assumpsit duodecim discipulos* suos *secreto et ait illis*: *Ecce ascendimus Ierosolymam,*[39] in socios et sequaces Christi, particulares amicos et conscios secretorum ipsius: *Filius hominis tradetur,* etc. Praeter haec autem mysterium naturalis imperfectionis Apostolorum in rationali, in concupiscibili, in irascibili: *Nescitis quid petatis; Ut sedeant unus ad dexteram et unus ad sinistram in regno tuo; Audientes decem indignati sunt.*[40] - Praeterea mysterium vitae saecularis regni huius mundi: *Scitis quia principes gentium dominantur eorum et qui maiores sunt, potestatem exercent in eos,*[41] idest scitis quod in mundo nonnisi ambitio, vis et tyrannis regna et principatus obtinet, non virtus aut dignitas. - Tandem mysterium vitae christianae et Christi: *Non ita erit inter vos, sed qui voluerit,* etc.;[42] non regnet inter vos ambitio et superbia, nullum vitium vitae saecularis, sed tantum humilitas, virtus ad vitae meae exemplum: *Sicut Filius hominis,* etc.

V. *Filius hominis tradetur principibus.* Saepe Dominus locutus fuit de mysterio passionis suae loquens de templo dissolvendo,[43] de Iona in mare proiecto,[44] de herede ab agricolis occiso,[45] de grano frumenti mortificando,[46] de serpente exaltato,[47] in transfiguratione cum Moyse et Elia loquebatur *de excessu,*[48] de exitu; ante transfigurationem, cum promisisset Petro claves regni caelestis, praedixit passionis suae mysterium;[49] post transfigurationem etiam, ut Lucas habet, cum spiritum immundum eiecisset, quem Apostoli eiicere non potuerant, ait: *Ponite in cordibus vestris sermones hos: Filius enim hominis futurum est ut tradatur in manus hominum.*[50] Sic antiquitus Christi passio non uno tantum sacrificio, sed multis, non uno tantum mysterio, sed innumeris praefigurata et praesignata fuit. Vult Dominus ut eam nos iugiter meditemur, non solum quia fuit sacrificium Deo acceptissimum et beneficium mundo maximum, sed etiam quia exemplum virtutis efficacissimum: *Sicut Filius homi-*

Pluries Christus locutus est de passione sua,

quae multis figuris antiquitus fuerat praesignata,

38) Ibid. vr. 23. Vulg.: *Vel sinistram,* etc. 39) Ibid. vr. 17. 40) Ibid. vr. 24. 41) Ibid. vr. 25. 42) Ibid. vr. 26. 43) Cf. Io 2, 19-21. 44) Cf. Mt 12, 39-40; Lc 11, 29-30. 45) Cf. Mt 21, 37-39; Mc 12, 6-8; Lc 20, 13-15. 46) Cf. Io 12, 24-25. 47) Cf. ibid. 3, 14. 48) Cf. Lc 9, 28-31. 49) Cf. Mt 16, 18-21. 50) 9, 44.

nis non venit ministrari, sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis. Hinc imitationem requirit hodie: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Sic et Petrus docuit, quod *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia eius.*[51] Hanc igitur saepe Christus ante oculos discipulorum proponebat, ut eam iugiter meditarentur; nam ipsa iuge sacrificium est. Cherubim perpetuo intuebantur divinum propitiatorium sanguine aspersum;[52] ita agendum fidelibus est. Hinc Paulus nihil aliud scire cupiebat, *nisi Iesum Christum et hunc crucifixum.*[53]

passio enim Christi omnia mysteria continet christianae philosophiae,

Est enim passio Christi liber quidam sapientiae Dei, continens mysteria omnia christianae philosophiae; est charta quaedam nautica docens pericula omnia quae inveniuntur in magno mari huius mundi; est officina medica plena remediis[54] ad curandos omnes morbos et ad praecavendos eos: curant, conservant, praeservant pharmaca officinae huius; est regium armamentarium omni armorum genere refertissimum; sicut turris David, in qua erat *omnis armatura fortium,*[55] sic in cruce Christi arma sunt militiae christianae contra satanam, contra mundum, contra carnem, contra omnia vitia et concupiscentias carnis; spiritui nostro paradisus est, in quo omnes virtutum arbores onustae optimis et suavissimis fructibus. Propterea vult Dominus ut passionem ipsius iugiter meditemur, quia in ea sunt virtutum omnium exempla ad imitandum: caritatis, humilitatis, patientiae, obedientiae, etc.

ideo eam iugiter meditari oportet.

In omni mysterio Christi cum humilitate coniuncta est gloria.

VI. *Tradetur... ad crucifigendum et die tertia resurget.* Coniungit Dominus mysterium resurrectionis cum mysterio passionis, mysterium gloriae Christi cum mysterio humilitatis ipsius, nam semper fere in omni mysterio Christi cum humilitate coniuncta est gloria. Patet in nativitate, in circumcisione, in adoratione Magorum, nam cum myrrha aurum et incensum obtulerunt;[56] patet in baptismo: Christus ut homo humilis baptizatur: quia se humiliavit, eum Deus exaltavit, apertis caelis intonuit: *Hic est Filius meus;*[57] patet in transfiguratione, nam, dum oraret ut homo humilis, ostensus est

51) 1 Petr 2, 21. 52) Cf. Ex 37, 7-9. 53) 1 Cor 2, 2. 54) Ms.: *Remedii.* 55) Ct 4, 4. 56) Cf. Mt 2, 1-11. 57) Ibid. 3, 17.

Deus sublimis: *Transfiguratus est... et resplenduit... ut sol;*[58] patet in ipsa etiam passione, divinis enim tunc miraculis Filius Dei declaratus fuit, hinc exclamavit centurio: *Vere Filius Dei erat iste!*[59] Sic verum est quod Paulus ait: *Humiliavit semetipsum* Dominus noster Iesus Christus *usque ad mortem... propter quod et Deus exaltavit illum.* Sed *hoc,* ait, *sentite in vobis quod et in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset... exinanivit semetipsum formam servi accipiens:*[60] imitamini, inquit, Christum, meditamini passionem ipsius et subsecutam gloriam. Sic Dominus hodie seipsum nobis proponit ad imitandum exemplum: *Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare et dare animam suam,* etc.

Nobis quoque eadem via ad gloriam perveniendum est.

Ecce ascendimus Ierosolymam. Felicitas sursum, in sublimi posita et collocata est; ascendendum est; per desertum eundum est in terram promissionis, per flumen contra cursum aquarum eundum in paradisum deliciarum est. Quomodo Christus pervenit in Ierusalem? quomodo intravit in gloriam suam? *Filius hominis tradetur, crucifigetur et die tertia resurget.* Per eandem autem viam vult nos in caelestem hanc Ierusalem pervenire: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Hinc *qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt.*[61] Hinc item ait de seipso Paulus: *Christo confixus sum cruci; vivo* ego *iam non ego,* etc.[62] Regius Vates beatos dicit qui bonis mundi huius pro voto affluunt, sed tamen multo beatiores qui solum Deum possident: *Beatum dixerunt populum cui haec sunt,* idest divitiae, opes; at vero *beatus populus cuius Dominus Deus eius.*[63] Multo enim copiosior est lux unius solis quam omnium aliorum simul siderum, licet innumera sint; sic maiorem cordi humano consolationem affert solus Deus, quam omnes simul creaturae mundi. Quanto caelum maius est terra et sol splendidior luna, tanto divina consolatio praestantior mundana est, caelestis Ierusalem terrena, sicut Deus maior mundo.

In uno Deo vera felicitas reposita est,

VII. Regius Vates *Psalmo 16,* ubi habemus: *Domine, a paucis de terra divide eos in vita eorum, de absconditis tuis adimpletus est venter eorum,* etc., hebraice habet, paulo altius exorsus:

58) Ibid. 17, 2. 59) Ibid. 27, 54. 60) Phil 2, 5-9. Affert ordine inverso.
61) Gal 5, 24. 62) Ibid. 2, 19-20. 63) Ps 143, 15.

eripe animam meam ab impio framea tua, a mortalibus dextera tua, Domine, a mortalibus de saeculo pars eorum in vita, idest qui post mortem in alio saeculo nihil expectant, et absconditum tuum implebit ventrem eorum, idest de tuo penu et thesauris eos imples divitiis; *Saturati sunt filiis et dimiserunt reliquias suas parvulis suis,* idest in bonis hisce felicitatem suam reposuere; *Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo, satiabor cum apparuerit gloria tua,*[64] idest felicitatem meam non in hisce vanissimis bonis constitui, sed in solo Deo: *Mihi adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.*[65]

qui est cumulus omnium bonorum

Cor humanum videtur esse sicut prima materia, quae cum, ut philosophi aiunt, capax sit omnium formarum, nunquam contenta est, sed desiderio alterius formae, praesentis perniciem machinatur, una tantum caeli forma contenta est; hinc caelum est incorruptibile. Ita nonnisi Deus implere potest humani cordis desiderium, solus enim Deus omne bonum est. Hinc accidit id quod Sapiens ait *Proverbiis* 13: *Est quasi dives, qui nihil habet, et est quasi pauper, cum in multis divitiis sit,*[66] et quod Paulus: *Quasi nihil habentes et omnia possidentes;*[67] nam qui Deum habet, licet pauperrimus videatur, ditissimus est; qui autem omnia sine Deo habet, pauperrimus est.

et perfecta quies omnis desiderii.

Nescitis quid petatis. Beatitudo quies est desiderii cordis humani. Divites autem, cum non minora desiderent quam pauperes, imo cum principes multo maiora semper cupiant quam[68] homines privati, nihilo sunt illis beatiores. Quid enim iuvat multa possidere, si animus sua sorte contentus non est, sed ardentibus desideriorum et cupiditatum flammis semper exaestuat? Avaro tam deest quod habet quam quod non habet. Salomon ait: *Est aliud malum quod vidi sub sole, et quidem frequens apud homines: vir cui dedit Deus divitias... et honorem, et nihil deest animae suae ex omnibus quae desiderat, neque tribuit ei potestatem Deus ut comedat ex eo;* et *hoc vanitas et miseria magna.*[69] Quid ergo iuvat multa possidere bona et eis minime frui? solatium ex eis et voluptatem minime capere?

64) Vrr. 14 sqq. 65) Ps 72, 28. 66) Vr. 7. Vulg.: *Cum nihil habent,* etc.
67) 2 Cor 6, 10. 68) Ms.: *Qui,* loco: *Quam.* 69) Eccle 6, 1-2.

Fidelibus suis Deus necessaria quaeque abunde suppeditat.

VIII. Regius Vates ait: *Timete Dominum omnes sancti eius,* idest fideles, *quoniam nihil deest timentibus eum. Divites eguerunt et esurierunt, inquirentes autem Dominum non deficient omni bono,*[70] tum quia eis divina providentia abunde necessaria quaeque suppeditat, ut Hebraeis in deserto, tum quia in adversis consolatur, tum quia adimit immoderatas ex animo cupiditates. Nihilo enim beatior erat Moyses in monte quadraginta diebus nihil comedens,[71] quam populus manna comedens,[72] quia illum ibi nulla fames premebat. Nihilo beatior est qui abunde bibit, quam qui nihil omnino sitit. Non beatior est qui plus habet, sed qui minus eget; beatior qui aestate levissimis indutus est vestibus et paucissimis, quam qui hieme multis et gravibus, sicut David senex; beatior sanus, quam infirmus, licet hic ditior, fortis quam debilis, iuvenis quam senex, quia paucioribus eget. Hinc Deus beatissimus est, quia nullius rei eget, bonorum nostrorum non indiget.[73]

Mirum videtur quod cum Deus, creatis quibuscumque rebus, viderit et pronunciaverit bona esse: *Vidit lucem quod esset bona;* vidit firmamentum quod bonum, tandem *vidit cuncta quae fecerat et erant valde bona,*[74] de homine autem tale nil dixit. Profecto quia rebus aliis ultimam perfectionem dedit, non autem homini. Elementis sua assignavit loca, in quibus quiescunt; plantae gaudent fertili solo et humore benignoque caelo; bruta sensuum tantum oblectamenta quaerunt, in his conquiescunt; homo autem nullo in bono mundi huius quiescit et, quod mirabile est, nec in paradiso deliciarum quietus fuit, sed divinam similitudinem concupivit.

Passio Christi meditanda est, non ut martyrium tantum, sed ut sacrificium.

IX. Saepissime[75] locutus est Dominus de mysterio passionis suae. In hodierno autem Evangelio mysterii huius non semel et iterum, sed tertio et quarto mentionem facit. *Filius hominis tradetur principibus sacerdotum,* et: *Tradent eum gentibus,* etc.; *Potestis bibere calicem quem ego,* etc.; *Calicem quidem meum bibetis;* et tandem: *Filius hominis venit dare animam suam redemptionem pro multis;* ita ut nihil aliud visus sit Dominus perpetuo meditatus,

70) Ps 33, 10-11. Vulg.: *Non est inopia... non minuentur omni bono.* 71) Cf. Ex 24, 18; 34, 27-28. 72) Cf. ibid. 16, 35. 73) Cf. Ps 15, 2. 74) Gn 1, 4. 31.
75) Quae hoc numero continentur stylo latiori exarata sunt.

docuitque quid nobis perpetuo sit meditandum. Est autem mysterium hoc meditandum, non solum ut martyrium, ut sacrificium et ut remedium humani generis summumque beneficium, verum etiam ut exemplum, nam: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum.* Hodie proponitur ut beneficium et exemplum ac martyrium.

II. ALIA HOMILIA [1]

Ecce ascendimus Ierosolymam et Filius hominis tradetur, etc. [2]

Via ad felicitatem virtus est, non voluptas.

I. In hodierno Evangelio apparet sapientis Christi stultitia, qua mundi huius non bona sed mala elegit: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare et dare animam suam,* etc. [3] Apparet etiam stulta hominum sapientia, qui mundi huius bona potiora quaerunt: *Ut sedeant... unus ad dexteram... et unus ad sinistram in regno.* [4] Sed: *Nescitis quid petatis.* [5] Nam via ad consequendam summam in caelo felicitatem, non est via voluptatis, sed via virtutis.

Ostenditur hodie perfectio Christi, quae consistit in caritate erga Deum

II. In hodierno Evangelio ostenditur perfectio Christi, imperfectio Apostolorum et forma christianae perfectionis. Perfectio sanctitatis in caritate consistit, nam *finis praecepti,* idest totius legis, *est caritas,* [6] et *plenitudo legis est dilectio.* [7] Caritas est cumulus perfectionis, haec enim regina virtutum est: *Nunc autem manent fides, spes, caritas... maior autem horum est caritas.* [8] Inter omnes sanctos Veteris Testamenti duo sunt qui vel maxime perfectionis sunt commendati: Noe, qui dictus est *iustus atque perfectus,* [9] et Abraham, cui dixit Deus: *Ambula coram me et esto perfectus.* [10] In utroque commendatur perfectio obedientiae, in Abraham vero singulariter perfectio caritatis erga Deum, quoniam obtulit filium suum Isaac obediens Deo. [10a] De Christo autem Paulus ait: *Factus est*

1) Atramento clariori exarata. 2) Mt 22, 18. 3) Ibid. vr. 28. 4) Ibid. vr. 21. 5) Ibid. vr. 22. 6) 1 Tim 1, 5. 7) Rom 13, 10. 8) 1 Cor 13, 13. 9) Gn 6, 9. 10) Ibid. 17, 1. 10a) Cf. Gn 22, 1-18.

obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; iussit ei Deus ut mortem crucis subiret, ut seipsum traderet suis inimicis crucifigendum. Tradidit, hinc ait hodie: *Ecce ascendimus Ierosolymam et Filius hominis tradetur... ad crucifigendum.* [11] In hoc autem itinere ait Marcus quod praecedebat discipulos, ita quod discipuli *stupebant et sequentes timebant.* [12] Hoc Patris iussum non solum voluntarie, verum etiam cum hilaritate exequebatur, ut Patri morem gereret: *Ut cognoscat mundus quia diligo Patrem et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* [13] Sic ostendit Dominus se Deum longe supra seipsum, supra vitam, honorem, commoda diligere. [14]

et erga proximum;

Non tantum opus caritatis erga Deum fuit, verum etiam erga proximum, nam ait: *Venit Filius hominis... ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis.* [15] At vero *maiorem caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis,* [16] idest pro iis quos diligit. Cum igitur Christus animam suam posuerit pro Deo et pro hominibus, perfectionem caritatis ostendit, qua maior intelligi nequit. Hinc hodie seipsum statuit perfectionis exemplar: *Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare et dare animam suam; Discite a me, quia mitis sum et humilis corde;* [17] *Exemplum dedi vobis ut,* etc. [18] Hinc dux est hodie sanctorum peregrinorum, qui devotionis ergo pergebant ad sanctam civitatem Ierusalem ad celebrandum pascha.

ostenditur etiam imperfectio Apostolorum,

Secundo ostenditur Apostolorum imperfectio: ambitio: *Ut sedeant unus ad dexteram;* ignorantia: *Nescitis quid petatis,* ambitio enim excaecat oculos, maxime ad intelligenda divina, hinc ait Lucas quod Apostoli non intellexerunt verba Christi dum de mysteriis passionis loqueretur; [19] temeritas: *Possumus,* [20] cum tamen eum timentes sequerentur et postea eum reliquerint in passione solum fugierintque; indignatio: *Audientes decem indignati sunt,* [21] ipsi enim nil minus primis honoribus dignos se existimabant, nil minus benemeritos, hinc orta fuit indignatio, quasi iniuriam intulissent eis petendo primos honorum gradus.

Erant Apostoli medii inter Christum et mundum, sicut luna

11) Mt 20, 18-19. 12) 10, 32. 13) Io 14, 31. 14) Ms.: *Diligebat.*
15) Mt 20, 28. 16) Io 15, 13. Vulg.: *Maiorem hac dilectionem,* etc.
17) Mt 11, 29. 18) Io 13, 15. 19) Cf. 18, 34. 20) Mt 20, 22. 21) Ibid. vr. 24.

qui Christum sequentes etiam terrena quaerebant;

inter solem et terram. Media vel semper naturas extremorum participant, hinc luna maculas habet et nonnunquam lumini deliquium patitur obumbrata a terra. Sic Apostoli hodie medii sunt inter Christum et mundum. Diligunt Christum eumque pergentem in Ierusalem sequuntur, sed etiam mundana diligunt videntes mundi pompas: *Principes gentium dominantur eorum et qui maiores sunt potestatem exercent.*[22] Quam difficile est sanctorum etiam pedes de mundano pulvere non sordescere! Praesentia nanque obiecti movet urgetque potentiam, adeo ut etiam Apostoli, cum prae oculis Christum haberent ac viderent eum mundanarum rerum summum contemptorem, videntes tamen mundana, eorum desiderio accenderentur. Sic fornacem ignis terreni, oculorum concupiscentiam, accensam videmus in eorum cordibus, sicut in Christi pectore fornacem ignis caelestis. Hic fornax Dei in monte Sinai,[23] in templo, ibi fornax Babylonis.[24]

demum ostenditur forma christianae perfectionis,

Tertio tandem ostenditur quae sit forma christianae perfectionis: *Sicut Filius hominis non venit,* etc. Sicut iustitia legalis duas habet partes: *Declina a malo et fac bonum,*[25] ita hodie Dominus christianae perfectionis duas partes assignat: altera est ne imitemur mundum: *Principes gentium dominantur eorum... non ita erit inter vos,* ne mundanam vitam ducatis; altera est ut Christum imitemur in humilitate et caritate: *Sicut Filius hominis non venit,* etc.; nec tantum in humilitate et caritate, verum etiam in patientia: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?*[26] Christi enim passio non tantum fuit sacrificium Deo acceptissimum et remedium humano generi saluberrimum, verum etiam exemplum efficacissimum: *Christus passus est pro nobis,* etc.;[27] *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.*[28] Agit Dominus hodie cum discipulis suis sicut Iacob cum ovibus suis: ponebat coram eis varias virgas, ut varios ac diversicolores parerent agnos.[28a]

quae consistit in imitatione virtutum Christi.

III. Sicut[29] Moyses petiit a Domino ut posset ingredi in terram promissionis lacte et melle manantem et obtinere non potuit,[30] ita

22) Ibid. vr. 25. 23) Cf. Lv 6, 12-13. 24) Cf. Dn 3, 19. 25) Ps 36, 27.
26) Mt 20, 22. 27) 1 Petr 2, 21. 28) Tit 2, 14. 28a) Cf. Gn 30, 37 sqq.
29) Mutatur stylus et atramentum. 30) Cf. Nm 27, 12-13; Dt 1, 37; 32, 48 sqq.

hodie duo Apostoli per matrem petunt a Christo primatum gloriae, nec obtinere valent: *Nescitis quid petatis.* Ingressus terrae promissionis datus fuit tantummodo Iosue et Caleb ex divino decreto,[30a] quoniam ita sibi promeruerant; sic ait hodie Christus: *Sedere... ad dexteram meam aut ad sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre.*[31]

Petitio Apostolorum non exauditur,

Nescitis quid petatis. Ostendit Dominus quod regni sui gloria non datur nisi merentibus, id quod Paulus ait: *Non coronabitur nisi* qui *legitime certaverit,*[32] quod etiam exemplis[33] docet certaminis in agone et cursus ad bravium; hoc autem est quod Dominus in hodierno Evangelio dicit: *Sedere autem ad dexteram meam vel sinistram non est meum,* etc. Hinc Paulus ait quod *qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat,* etc.,[34] quod etiam quisque recipiet *secundum suum laborem.*[35] Cum autem ait hodie Dominus: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* docet, sicut Paulus ait, quod *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei,*[36] sicut *oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam.*[37] Hinc: *Si compatimur et conregnabimus,*[38] sicut socii passionum et resurrectionis;[39] per desertum oportet iter facere in terram promissionis.

quia gloria caeli non datur nisi merentibus,

III. ALIA HOMILIA [1]

Dic ut sedeant hi duo filii mei, etc. [2]

I. Agitur de gloria regni Christi in hodierno Evangelio, sed quoad media quae necessaria sunt ad eam consequendam. Ostenduntur enim media quibus eam consecuturus est Christus et etiam quae necessaria nobis sunt ut eam consequamur. Agitur hic de gloria regni, sed prius de ignominia passionis: *Tradent eum gentibus ad illudendum et flagellandum et crucifigendum,*[3] nam: *Oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam;*[4] sic Paulus: *Humi-*

Ostenduntur hodie media ad consequendam gloriam Christi.

30a) Cf. Nm 14, 30; Dt 1, 35-38. 31) Mt 20, 23. 32) 2 Tim 2, 5. Vulg.: *Non coronatur,* etc.
33) Ms.: *Exemplis* repetitur. 34) 2 Cor 9, 6. 35) 1 Cor 3, 8. 36) Act 14, 21.
37) Lc 24, 26. 38) 2 Tim 2, 12. Vulg.: *Si sustinebimus,* etc. 39) Cf. 2 Cor 1, 7.

1) Iterum mutatur stylus. 2) Mt 20, 21. 3) Ibid. vr. 19. 4) Lc 24, 26.

liavit semetipsum factus obediens usque ad mortem... propter quod et Deus exaltavit illum;[5] ita in transfiguratione dicebant excessum, *quem completurus erat in Ierusalem.*[6]

Deus promiserat Christo gloriam,

Promiserat Deus Christo gloriam, sicut in *Psalmo 88* legimus: *Ipse invocabit me: pater meus es tu, Deus meus et susceptor salutis meae. Et ego primogenitum ponam illum, excelsum prae regibus terrae;*[7] itemque: *Thronus eius sicut sol in conspectu meo et sicut luna perfecta in aeternum et testis in caelo fidelis;*[8] sic apud Isaiam: *Factus est principatus super humerum eius et vocabitur nomen eius,* etc.;[9] apud Ieremiam: *Suscitabo David germen iustum et regnabit rex;*[10] apud Danielem: *Ecce in nubibus caeli quasi Filius hominis veniebat et usque ad Antiquum dierum pervenit... et dedit ei potestatem et honorem et regnum... potestas eius potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum quod non corrumpetur;*[11] sic Angelus: *Dabit illi Dominus sedem David patris eius et regnabit in domo Iacob in aeternum et regni eius non erit finis.*[12]

sed ad eam consequendam oportuit ipsum multa pati;

Licet autem promiserit Deus Christo gloriam regni sui, oportuit tamen eum ad regnum consequendum multa pati: *Oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam,* sicut promiserat Deus Israelitis terram Chanaan, et tamen ad eam acquirendam oportuit eos multa cum illis gentibus bella gerere; promiserat Davidi regnum, et tamen multis laboribus sudoribusque opus ei fuit. Ita etiam promissa est nobis gloria regni caelestis; sed ad finem hunc consequendum sunt adhibenda necessaria media. Promiserat Christus Apostolis gloriam regni sui: *Vos, qui secuti estis me, cum sederit Filius hominis in regeneratione super sedem maiestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel;*[13] et tamen cum hodie petunt consessum ad dexteram et sinistram Christi duo Apostoli, audiunt: *Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?*[14]

ita et nos.

II. Ad consequendam autem Christi gloriam habemus in hodierno Evangelio duo mediorum genera: quaedam ex humana pruden-

5) Phil 2, 8-9. 6) Lc 9, 31. 7) Vrr. 27-28. 8) Ibid. vr. 38. 9) 9, 6. 10) 23, 5. 11) 7, 13-14. Vulg.: *Cum nubibus,* etc. 12) Lc 1, 32-33. 13) Mt 19, 28. Vulg.: *In regeneratione, cum sederit,* etc. 14) Ibid. 20, 22.

Ad consequendam gloriam Christi non sufficit humana prudentia,

tia, quaedam vero ex divina providentia; illa hodie reiiciuntur a Christo, haec summopere necessaria ostenduntur. Media inutilia et impertinentia ex prudentia humana sunt: *Accessit ad eum mater filiorum Zebedaei... adorans et petens aliquid ab eo,* [15] sive, ut apud Marcum est: *Magister, volumus ut quodcumque petierimus facias nobis,* [16] hoc tamen per matrem dixerunt, sicut per seniores Iudaeorum centurio accessit ad Christum. [17] Hi igitur duo Apostoli cum nimio gloriae regni Christi desiderio flagrarent, ad eam consequendam media, ut sibi videbantur valde opportuna, excogitaverunt; matrem sollicitant atque submittunt instruuntque ut hunc sibi a Christo petat honorem; existimabant illam facilius impetraturam, sicut Bethsabee regnum a Davide Salomoni filio impetravit. [18] Noverant matrem mulierem prudentem, venerando aspectu, venerabili etiam senectute ornatam; noverant maternum affectum, sciebant quam efficaces esse soleant preces mulierum apud principes, maxime vero matrum; noverant etiam Christi ingenium, quam propensus, quam facilis esset ad gratiam et clementiam; certo certius promiserant sibi hac via negotium feliciter sibi successurum. Sed: *Nescitis,* inquit, *quid petatis.*

sed requiritur meritum passionis Christi et eiusdem virtutum imitatio,

Alia itaque requirenda sunt media, quae a divina providentia ordinata sunt, quorum unum quidem est meritum passionis Christi, de quo hodie: *Dare animam suam redemptionem pro multis;* alterum est vitae virtutumque Christi imitatio: *Sicut,* inquit, *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare et dare animam suam redemptionem;* [19] non gentiliter, inquit, sed christiane vivendum est ad meam imitationem. Imitandas autem virtutes proponit, maxime humilitatem et caritatem. *Non venit Filius hominis ministrari sed ministrare,* haec est humilitas, *et dare animam suam,* haec est caritas: *Passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum ut sequamini vestigia eius;* [20] imitandam etiam patientiam cum ait: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Hoc docuit Paulus *ad Romanos* 8: *Si autem filii, et heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi; si tamen compatimur ut et conglorificemur;* [21] et 2 *ad Timotheum* 2: *Non coronabitur nisi* qui *legitime certaverit;*

15) Ibid. vr. 20. 16) 10, 35. 17) Cf. Lc 7, 2-8. 18) Cf. 3 Rg 1, 11-40.
19) Mt 20, 28. 20) 1 Petr 2, 21. Vulg.: *Vobis relinquens,* etc. 21) Vr. 17.

si sustinebimus, et conregnabimus;[22] *ad Philippenses* autem multis hoc docet: *Hoc enim sentite in vobis quod et in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset,* etc.[23] Hoc praecipue a nobis Dominus requisivit: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.*[24]

idest vita vere christiana,

Sic igitur ad gloriam consequendam requirit a nobis Dominus non gentilitiam, sed christianam vitam, hoc enim est quod ait: *Scitis quia principes gentium dominantur eorum,* ac si mancipia eorum essent homines, *et qui maiores sunt potestatem exercent in eos,* hoc est tyrannidem, non iure et ratione aequitatis usi, sed vi atque potentia pro sua libidine; *non ita,* inquit, *erit inter vos.*[25] Ubi non negat Christus auctoritatem dominii et principatus in Ecclesia, sed tyrannicum, iniustum, principatum iniquum contra fas et ius, nullo servato caritatis aut iuris ordine. Quare delirant omnino haeretici, qui ex hoc loco negant ecclesiasticum principatum. Aliud enim est dicere: « ne male vivas », aliud: « ne vivas ». Monet principes Ecclesiae ne similes sint tyrannis, non ut non gerant magistratum; imo apud Lucam 22: *Qui maior est vestrum, fiat sicut minor, et qui praecessor est, sicut ministrator.*[26] Quid est *maior in vobis?* quid *praecessor,* - graece *igumenos,* dux, princeps, - si nullus futurus erat in Ecclesia principatus? Vitam requirit in suis fidelibus, non gentilitiam, ut dixi, sed christianam ad imitationem Christi.

ad imitationem ipsius Christi.

Habemus igitur in hodierno Evangelio media necessaria ad salutem requisita, ex parte Dei, voluntatis divinae beneplacitum: *Quibus paratum est a Patre meo,*[27] itemque Christi meritum: *Dare animam suam redemptionem pro multis;* ex parte nostra, vita christiana ad Christi imitationem composita, absque ullo vitio, omni virtute ornata. Talis enim fuit vita Christi. Vita requiritur, non mundana, ad imitationem saeculi huius nequam, sed christiana, ut Christo vita, moribus, virtutibus, operibus sanctitatis similes simus, praecipue vero humilitate, patientia et caritate, ut cum Christo peregrini in hoc saeculo, Ierosolymam ascendamus: *Ecce ascendimus Ierosolymam,*[28] *illa autem quae sursum est Ierusalem.*[29]

22) Vrr. 5. 12. Vulg.: *Non coronatur,* etc. 23) 2, 5-6. 24) Mt 11, 29. 25) Ibid. 20, 25-26. 26) Vr. 26.: *Qui maior est in vobis,* etc. De his haereticorum deliramentis cf. S. Bellarminus *Controversiae,* t. 1, *De Romano Pontifice,* lib. 1, cp. 9, col. 527-539. 27) Mt 20, 23. 28) Ibid. vr. 18. 29) Gal 4, 26.

III. Evangelium[30] hoc veluti theatrum quidem est et plenum est divinis perfectionibus Christi, quas imitemur, hinc seipsum statuit nobis in exemplum dicens: *Qui maior est vestrum, fiat sicut minor; sicut Filius hominis non venit ministrari*, etc.; et plenum item humanis imperfectionibus Apostolorum et mundi principum, quas declinemus. Est autem perfectionis vinculum caritas, ut Paulus ait,[31] et *radix omnium malorum est cupiditas.*[32] Proponitur nobis cum primis imitanda Christi caritas humilitasque: *Non venit ministrari, sed ministrare et dare animam suam; Maiorem* autem *caritatem nemo habet ut*, etc.[33] *Venit ministrare*, quoniam *cum in forma Dei esset*, - unde ipsius est dare primos gradus gloriae caelestis quibus paratum a Deo est, - tamen *exinanivit semetipsum formam servi accipiens*. Proponitur item cupiditas declinanda cum mundana superbia, hinc enim ambitio duorum Apostolorum et indignatio aliorum. En defectus omnium trium partium animae, rationalis quidem: *Nescitis quid petatis;* concupiscibilis in ambitione et irascibilis in indignatione. In Christo autem omnis perfectio, summa sapientia, qua futura novit praedixitque hodie, summa caritas, summa humilitas.

Hodie Christus seipsum praebet nobis in exemplum,

ut illius virtutes imitemur.

Est Evangelium hoc veluti arca Noe plena mundis animalibus et immundis;[34] est sicut paradisus, in quo et lignum vitae et arbor scientiae boni et mali.[35] Haec est Apostolorum humanitas. Erant boni, sed imperfecti. Solus Christus perfecte beatus, Agnus sine macula, sol iustitiae; Apostoli sicut luna, quae maculas habet lumenque imperfectum.

Differt motus caelestium a motu terrenorum, ita hodie motus Christi et Apostolorum.

IV. In[36] hodierno Evangelio agitur de divina Christi caritate et de humana cupiditate, de Christi perfectione et de humanis imperfectionibus in Apostolis. Humanitas, benignitas caritasque Christi elucet, dum assumit Apostolos tanquam comites sociosque itineris eisque tanquam amicis revelat secreta sua: *Secreto ait illis*: *Ecce*

Elucet in hodierno Evangelio Christi caritas,

30) Quae in hoc numero continentur alio stylo latiori exarata sunt. 31) Cf. Col 3, 14. 32) 1 Tim 6, 10. 33) Io 15, 13. Vulg.: *Maiorem hac dilectionem*, etc. 34) Cf. Gn 7, 8-9. 35) Cf. ibid. 2, 9. 36) Item alio stylo latiori.

ascendimus Ierosolymam; unde alibi dixit eis: *Iam non dicam vos servos,* sed amicos, *quia servus nescit quid faciat dominus suus; vos autem dixi amicos, quia omnia,* etc.;[37] caritas, quia sponte sua pergit ad passionem: *Maiorem* autem *caritatem nemo habet, ut animam suam ponat... pro amicis suis.*

humilitas,

Non solum autem elucet caritatis perfectio in Christo, verum etiam et humilitatis: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare et dare,* etc.; perfectio patientiae, qua fert imperfectiones discipulorum suorum et patiendi cupidus pergit ad passionem; perfectio prudentiae, qua requisitus interrogat: *Quid vis?*[38] Prudenter interrogavit, prudenter respondit, prudenter monuit discipulos ut humiles essent. Statuitur tanquam divinum exemplar omnium virtutum, unde seipsum statuit exemplum ad imitandum.

eiusque perfectionis excellentia.

Ostenditur etiam divinae perfectionis in Christo excellentia, dum asseritur rex gloriae, qui potest dare primos gradus dignitatis in regno Dei, sed non daturus nisi secundum dispositionem divinae voluntatis: *Quibus paratum est a Patre meo.*

Ostenditur autem in hoc Evangelio quod nos christiani non debemus sequi nostras cupiditates[39] neque mundi mores, sed Christi ipsius exempla.

37) Io 15, 15. Vulg.: *Dominus eius.* 38) Mt 20, 21. 39) Ms.: *Cupiditatis.*

FERIA QUINTA INFRA HEBDOMADAM SECUNDAM QUADRAGESIMAE

Homo quidam erat dives qui induebatur purpura et bysso et epulabatur quotidie, etc. [1]

Ad beatitudinem aeternam assequendam virtute opus est, non fortuna.

I. Ostenditur in hodierno Evangelio quod ad assequendum finem, ad quem condita est humana natura, non fortuna sed virtute opus est. Finis humanae naturae est: *Factum est ut moreretur mendicus et portaretur ab Angelis in sinum Abrahae*, ubi perpetuo consolatur. Ad finem hunc Lazarus per viam virtutis et patientiae pervenit, non autem epulo per viam fortunae, nam: *Mortuus est dives et sepultus est in inferno.* [2] Ut navis bona sit ad secure navigandum, non pulcritudo et ornatus facit, sed optima constructio et regimen; ut pecunia expendi possit, non efficit materiae splendor aut imaginis et figurae pulcritudo, sed materiae veritas, iustum pondus, principis vera impressio et forma; ut equus ad bellum, ad hastiludium, ad bravium aptus sit, non phalerae et ornamenta auro gemmisque splendentia efficiunt, sed optima valetudo et disciplina. Ita plane ad finem aeternae felicitatis assequendum.

In hodierno Evangelio continentur quattuor hominis novissima

II. Hodiernum Evangelium divinis mysteriis plenum est. Hic manifestissime conspiciuntur quattuor hominis novissima nam: *Factum est ut moreretur mendicus; mortuus est dives*, ecce mors; post mortem sequitur iudicium, sic Paulus ait: *Statutum est* omnibus *hominibus semel mori, post hoc autem iudicium.* [3] Hodie in morte salvatus est Lazarus, sicut pincerna Pharaonis; damnatus autem epulo, sicut pistor regis illius. [4] Post iudicium sequitur vel gloria paradisi, vel poena inferni; sic enim ait: *Ibunt hi in suppli-*

1) Pericope huius diei Lc 16, 19 sqq. Cf. Missale Rom. 2) Lc 16, 22.
3) Hebr 9, 27. 4) Cf. Gn 40, 20-22.

cium aeternum, iusti autem in vitam aeternam.[5] Ita hodie: *Factum est ut moreretur mendicus et portaretur ab Angelis in sinum Abrahae; mortuus est autem et dives et sepultus est in inferno; Recordare, fili, quia recepisti bona in vita tua et Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.*[6] Paradisus locus est consolationis perpetuae una cum Angelis, infernus autem locus aeterni cruciatus cum daemonibus.

et triplex status: in vita, in morte et post mortem;

Habemus in hodierno Evangelio duplex hominum genus: Abelem et Cainum, Sem et Cham, Isaac et Ismaelem, Iacob et Esau: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.*[7] Sed utriusque generis habemus duplicem, imo triplicem statum: in vita, in morte, post mortem. In vita status virtutum vel vitiorum; in morte status divini iudicii ad salvandum vel damnandum; post mortem status praemiorum vel poenarum. Status vitae temporalis est, finem habet; status mortis momentaneus est, status autem post mortem aeternus est, nunquam habiturus est finem: *Ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam.* Felices qui in morte reperiuntur in statu Lazari, nam, ut Paulus ait: *Quod in praesenti est momentaneum et breve tribulationis nostrae, in sublimitate supra modum aeternum gloriae pondus operatur*[8] in caelis.

sed agitur praecipue de animae immortalitate.

III. In hodierno Evangelio Dominus manifestissime ostendit animae nostrae immortalitatem vitamque, post temporalem hanc, perpetuam. Moyses, sapientissimus ac divinissimus theologus simul et philosophus, multis in locis insinuavit immortalitatem animae nostrae. Primo quidem cum eam dixit Deo similem esse: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram,*[9] nam etiam Plato in *Alcibiade*[10] et *in Phaedone*[11] a similitudine hac sumit argumentum ad probandam immortalitatem. Praeterea cum dicit conditum hominem ut ceteris animantibus dominaretur: *Dominetur piscibus maris et volatilibus caeli et bestiis universaeque terrae;*[12] dominium autem hoc ostendit praestantiam animae hominis super ceterorum animalium. Praeter haec autem cum scribit quod Deus

5) Mt 25, 46. 6) Lc 16, 25. 7) Mal 1, 3. 8) 2 Cor 4, 17. Vulg.: *Supra modum in sublimitate,* etc. 9) Gn 1, 26. 10) *Vel de Natura hominis,* lib. 5, pag. 17-25. 11) *Vel de Anima,* lib. 29, pag. 283-300. 12) Gn 1, 26. Vulg.: *Praesit piscibus,* etc.

Animae immortalitas manifeste indicatur a Moyse.

inspiravit in faciem hominis *spiraculum vitae et factus est homo in animam viventem,* [13] ubi ostendit non esse animam hominis more aliorum animalium procreatam, eductam de potentia materiae, sed divinitus creatam et infusam corpori, et adhuc hebraice dicitur spiritus vitarum: *Inspiravit spiritum vitarum,* sicut etiam lignum vitae appellatur *lignum vitarum,* quia homini vitam perpetuam conferebat: *Ne... sumat de ligno vitae et comedat et vivat in aeternum.* [14] Sic igitur indicat perpetuam vitam animae nostrae. Insuper cum inducit Deum Caino ita dicentem: *Sub te erit appetitus eius et tu dominaberis illius;* [15] potest homo vi mentis dominari suis affectibus, non autem brutum; et cum Iacob patriarcha dixisse refert: *Lugens descendam in infernum* et videbo *filium meum* Ioseph, [16] quem tamen existimabat a bestia devoratum. Item cum Deus ait: *Non permanebit spiritus meus in homine in aeternum, quia caro est;* [17] spiritum enim suum appellat animam rationalem, sicut etiam apud Iob legimus 27: *Donec superest halitus in me et spiritus Dei in naribus meis.* [18] Tandem cum Moysi Deus ipse dixit: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Iacob,* [19] nam, ut Dominus ait, *non est Deus mortuorum, sed viventium.* [20] Sic alibi saepe in Veteri Testamento indicatur immortalitas animae rationalis.

a Iob

et a Salomone.

Salomonem nonnulli stoliduli suspicantur animam docuisse mortalem, quoniam in suo *Ecclesiaste* ait: *Unus est hominum et iumentorum interitus et aequa utriusque conditio... Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum?* [21] Sed ibi docet Salomon non deprehendi oculis atque sensibus animae immortalitatem, cum omnis homo moriatur sicut animalia. Esse autem animam immortalem eodem in libro disertissimis verbis testatus fuit. Monet enim ut bonis operibus ac praecipue pietati incumbamus: *Memento Creatoris tui in diebus iuventutis tuae, antequam veniat tempus afflictionis... et revertatur pulvis in terram suam... et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum;* [22] alludit ad verba Moysi in *Genesi*: *Formavit Dominus Deus,* etc. [23]

13) Ibid. 2, 7. 14) Ibid. 3, 22. 15) Ibid. 4, 7. 16) Ibid. 37, 35. Vulg.: *Descendam ad filium lugens in infernum.* 17) Ibid. 6, 3. 18) Vr. 3. 19) Ex 3, 6. 20) Mt 22, 32. 21) 3, 19-21. Vulg.: *Unus interitus est hominis,* etc. 22) 12, 1. 7. 23) Gn 2, 7.

Saepissime Christus etiam locutus est de animae immortalitate,

IV. Christus autem Dominus noster saepissime locutus est de animae immortalitate, quoniam haec veritas basis et fundamentum est totius christianae philosophiae. Sed in hodierno Evangelio quam manifestissime. Et quidem veritas haec non solum fidei supernaturali lumine cognita perspectaque est, a divinis tum Vatibus et theologis praedicata, cognita est etiam naturali lumine a poetis et philosophis tradita. Plato multis in locis eam docet *in Phaedro,* [24] *in Phaedone,* [25] *in Timaeo,* [26] *in Philebo,* [27] *in Menone;* [28] in libris *de Republica,* [29] in Epistolis *ad Syracusanos.* [30] Ante Platonem Pythagoras eam docuit, unde est illa Pythagoreorum palingenesia, transmigratio animarum. [31] Ante hunc etiam Mercurius Trismegistus *in Asclepio.* [32] Post Platonem, Marcus Tullius eam testatam reliquit in *Somnio Scipionis,* [33] et *De Senectute.* [34] Post hunc autem Annaeus Seneca, libro *De Immatura Morte,* [35] *De Naturalibus Quaestionibus* [36] et in Epistolis, [37] maxime vero *ad Lucillum* [38] et alibi, multique ac innumeri alii. Unus Epicurus eam negavit. [39] Aristoteles autem in dubium revocavit; proposuit quaestionem hanc, sed minime resolvit. Multi de mente ipsius dubitant quidnam senserit; nullibi tamen docuit nec uno quidem verbo eam esse mortalem, multis vero in locis indicare visus est immortalitatem. Nam in *1 De Anima* [40] intellectum dicit incorruptibilem, divinum, impassibilem; in 2 etiam intellectum separari posse a corpore tanquam perpetuum a corruptibili, [41] et in 3 sensitivum docet non esse sine corpore, intellectum autem a corpore esse separabile, ubi etiam dicit intellectum incorporeum et inorganicum; [42] in *12* etiam primae philosophiae docet nihil prohibere remanere animam post interitum, non autem omnem, sed intellectivam. [43] Multis igitur in locis enunciavit animam immortalem, sed tamen nullis rationibus probavit. Plato autem ex professo doctrinam hanc tradidit firmis validisque rationibus communitam.

quae ab ethnicis quoque cognita naturali lumine fuit;

Aristoteles eam enunciavit, sed non probavit;

24) *Vel de Pulcro,* lib. 26, pag. 260. 25) *Vel de Anima,* lib. 29, pag. 287. 26) *Vel de Natura,* lib. 32, pag. 421. 27) *Vel de Summo Bono,* lib. 10, pag. 53-54. 28) *Vel de Virtute,* lib. 4, pag. 11. 29) *Vel de Iusto,* lib. 31, dial. 10, pag. 383 sqq. 30) Pag. 533-546. 31) Cf. Diogenes Laertius *De Vita et Moribus Philosophorum,* lib. 8, pag. 332. 32) Cp. 1, pag. 125. 33) Praecipue n. 3. 34) Praecipue n. 20 sqq. 35) Seu *De brevitate Vitae,* pag. 363-374. 36) Pag. 403-475. 37) *Ad Polybium de Consolatione,* pag. 372; *ad Marciam,* pag. 380-391; *ad Helviam,* pag. 392-401. 38) Pag. 235 sqq. 39) Cf. Diogenes Laertius *De Vita et Moribus Philos.,* lib. 10, pag. 448 sqq. 40) Cp. 1, pag. 380. 41) Cp. 2, pag. 388. 42) Cp. 5, pag. 402. 43) Lib. 12 *Metaphysicorum,* cp. 3, pag. 559-560.

At, inquit philosophaster ille, forte atheus nedum epicureus: rationes Platonis et quaecumque ab aliis ad probandam immortalitatem animae, probabiles sunt, non demostrativae.[44] Age esto. Ubi sunt in universa philosophia potissimae demonstrationes? Quidnam traditur in naturali philosophia quod vere sit demonstratum? Ab effectibus tantum natura causarum dignoscitur et qualis sit demonstratur. Caeco e nativitate, qui admirabile hoc mundi spectaculum nunquam conspicatus est, quomodo demonstrare magnitudinem caeli, multitudinem stellarum, lucem solis, varietatem lunae? Unde ad probanda haec caeco sumeres demonstrationes, quae protervientem caeci intellectum convincerent? Aristoteles multis quidem probat caelum esse incorruptibile, sed quibus rationibus? demonstrativis? probabilibus et forte etiam futilibus. Si igitur in decem partibus universae philosophiae, dum agit de principiis rerum, de communibus accidentibus, loco, motu, tempore, de caelis, de elementis, de metheoris, de lapidibus, de mineralibus, de plantis, de animalibus, de homine tandem, nulla reperitur demonstratio, cur hic tam severe et rigide demonstrationes requiruntur? Quidquid in philosophia cognoscitur, ab effectibus cognoscitur, vel sensibus, a qualitatibus sensibilibus, a probabilibus coniecturis. Cur non ita etiam animae immortalitas cognoscenda est? Cur haec tantum demonstranda est? Age videamus animae nostrae immortalitatem ab effectibus.

tamen ab effectibus clare cognosci potest.

Cum docuisset Moyses animam hominis factam ad imaginem et similitudinem Dei, ostendit primos homines appetivisse similitudinem ac prope aequalitatem Dei, nam concupivere ea quae serpens promiserat dicens: *Nequaquam moriemini*, sed *eritis sicut Dii scientes bonum et malum.*[45] Hoc autem desiderium natura sequitur cognitionem, nam quae minime cognoscimus, nec diligimus, nec appetimus. Homines ergo primi et cognovere et appetivere divina. Hinc quia solus inter omnes animantes homo Deum cognoscit, in solo homine reperitur religio et pietas erga Divinum invisibile Nu-

Anima naturaliter cognoscit et appetit spiritualia ac divina.

44) Putamus hac appellatione « philosophaster ille » S. Auctorem alludere voluisse ad P. Pomponatium, qui in suo opuscolo « *De Immortalitate Animae* » haec habet: « Credo quod, quantumcumque Plato tot et tam egregie scripserit de animorum immortalitate, firmitatem tamen non habuisse existimo. Quod coniecturo ex fine Apologiae. Ibi enim videtur sub dubio relinquere. In Timaeo etiam, cum de hoc sermonem habiturus esset, dixit satis sibi esse si in re tam difficili verisimilia diceret. Quare omnia dicta eius conferendo, mihi videtur magis opinando quam asserendo loqui. Conatusque enim est cives bonos facere, non autem doctos ». Pag. 122.

45) Gn 3, 4-5.

ergo spiritualis est et incorruptibilis.

men. Nunc dico: si rationalis anima, si mens corporea est, non autem spiritus incorruptibilis, quomodo cognoscit et appetit divina? quomodo aeternitatem Dei, maiestatem Dei, omnipotentiam Dei, divinam sapientiam, universalem scientiam et cognitionem omnium rerum sicut Deus? quomodo appetit spiritualia, virtutes, scientias, honores, si spiritus non est? Bruta enim animalia haec minime appetunt, quoniam omne animal illud tantum appetit quod naturae suae convenit. Hominis animus appetit spiritualia, ergo spiritus est. Si spiritus, quomodo corrumpitur? quomodo moritur? Hoc enim corruptibilium corporum, non spirituum est.

Tria mysteria hodie elucent: a) de divina providentia in mundo,

V. In hodierno Evangelio tria mysteria vel maxime elucent: mysterium providentiae in mundo, dum homines praesentem vitam agunt, mysterium iudicii Dei in morte, et mysterium immortalitatis vitaeque perpetuae animarum post mortem. Quoad primum, per hos duos homines status praesentis saeculi designatur, ubi hic quidem dives ille pauper, hic nobilis ille ignobilis, hic beatus ille miser, hic epulo ille Lazarus.

quae a multis negatur,

Et a multis quidem arguitur divina providentia, quasi mundus hic a fortuna caeca gubernetur. Hinc etiam epulo in inferno eam arguit, dum ait: *Rogo te, pater,* mitte Lazarum *in domum patris mei; habeo enim quinque fratres, ut testetur illis ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum,*[46] quasi necessarium hoc esset ad salutem. At vero Abraham: *Habent,* inquit, *Moysen et Prophetas, audiant illos.*[47] Sicut Deus providit homini necessaria quaeque ad salutem corporis, ita etiam ad salutem animae: *Habent Moysen et Prophetas;* ita quod *si Moysen et Prophetas non audiunt,* ut poenitentiam agant, *neque siquis ex mortuis resurrexerit credent.*[48] Ita defendit Abraham mysterium divinae providentiae in mundo, quae in necessariis non deficit.

quia in mundo malis bene est, bonis autem male;

Quod si caeca videtur mundo divina providentia, quoniam casu videtur regi mundus, eo quod malis bene est et valde bene, bonis autem male et valde male, ut luce clarius patet in Lazaro et epulone, curat tamen Deus mundana novitque quid agatur. Ostenditur autem quam floccipendat Deus temporalia bona fortunamque mundi,

46) Lc 16, 27-28. 47) Ibid. vr. 29. 48) Ibid. vr. 31.

quae ab hominibus tanti fiunt, ita ut improbis etiam inimicis suis haec quam largissime tribuat. Tam longe abest ut Deus[49] in virtutis praemium electis vanissima haec bona concedat, quoniam etiam temporalia mala iustis multo sunt utiliora quam bona, siquidem convertuntur in sempiterna bona, lutum in aurum, in caelum. Propterea vult electos suos in hoc mundo male potius habere quam bene.

sed mala electis potius prosunt quam bona mundi;

VI. Alterum autem principale mysterium hodierni Evangelii mysterium iudicii Dei in morte, quod subsequitur mysterium providentiae in vita. Sicut enim in transitu Iordanis, quod interpretatur fluvius iudicii, cessavit manna de caelo[50] et aqua de petra Hebraeis,[51] nec amplius visa fuit columna nubis et ignis,[52] ita in morte cessat mysterium providentiae, succedit mysterium iudicii: *Potestas Dei est et tibi Domine misericordia, quia tu reddis unicuique secundum opera sua.*[53] Sic hodie salvatus est Lazarus causa virtutis, quia secundum spiritum vixit et divinae providentiae dispositione bene usus fuit; damnatur autem epulo, quia vixit secundum carnem et abusus est dispositione providentiae divinae. Hinc: *Factum est ut moreretur mendicus et portaretur ab Angelis in sinum Abrahae; mortuus est autem et dives et sepultus est in inferno.* Hinc Abraham declarans mysterium hoc divini iudicii ait: *Recordare, fili, quia recepisti bona in vita tua et Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* Sic hodie Iacob una cum primogenitura accipit a patre benedictionem et copiam omnium bonorum, Esau autem omni benedictione privatur, quoniam vilissimi ferculi causa contempsit et vendidit primogenituram suam;[54] sic hodie Isaac heres instituitur, Ismael autem divino iudicio domo cum matre eiicitur.[55] Sic per Ezechielem Dominus ait: *Humiliavi lignum sublime et exaltavi lignum humile,*[56] nam humiliatus est epulo sepultus in inferno et exaltatus est Lazarus per manus Angelorum sublimatus in caelo. Sic Adam peccati causa eiectus est de paradiso,[57] Enoch autem causa virtutis assumptus in caelum;[58] sic humiliatus est Pharao et Moyses exaltatus, sic Saul regno privatus, David autem regni corona redimitus.[59]

b) de iudicio Dei in morte:

qui secundum spiritum vivit salvatur, sicut Lazarus,

49) Ms.: *Ea*, loco: *Deus*. 50) Cf. Ex 16, 35; Ios 5, 12. 51) Cf. Ex 17, 6; Nm. 20, 10-11. 52) Cf. Ex 13, 21. 53) Ps 61, 12 sq. Vulg.: *Reddes... iuxta.* etc. 54) Cf. Gn 25, 29 sqq. 55) Cf. ibid. 21, 9-12. 56) 17, 24. 57) Cf. Gn 3, 23 sq. 58) Cf. ibid. 5, 22-24. 59) Cf. 1 Rg 13, 13-14.

qui vero secundum carnem, damnatur ut epulo;

Est autem iudicium hoc hodiernum severum quidem et terribile, sed quoniam divinum est, non potest non esse iustissimum atque aequissimum. Qua de causa ergo damnatus est epulo, ita quod, mortuus, sepultus est in inferno. Nam in vita ipsius nihil aliud legimus nisi quod dives erat, induebatur purpura et epulabatur splendide, princeps erat potens et dives, vitam ducebat principe et rege dignam. Quid hoc mali? Cur ergo damnatus est? In processu nil constat mali, nullum est capitale delictum, nullum crimen: et contra eum pronunciatur et capitis sententia damnatur princeps?

multi autem damnabuntur defectu misericordiae in pauperes,

Sed dico: cur damnabuntur multi in die iudicii ad sinistram aeterni Iudicis constituti sententia illa supra modum formidabili atque horribili: *Ite maledicti in ignem aeternum*? *Et ibunt hi in supplicium aeternum*?[59a] Quid mali fecerunt? *Esurivi enim et non dedistis mihi manducare, sitivi et non dedistis mihi bibere,*[60] quia opera misericordiae, pietatis, caritatis non estis operati. *Omnis autem arbor quae non facit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur.*[61] Hac de causa damnatus est epulo, quia mendico Lazaro non miserebatur.

quia divitiis abutuntur contra voluntatem Dei;

Dominus ait: impossibile est divites intrare in regnum caelorum.[62] Qua de causa? Propter abusum utique divitiarum. Nam divites non sunt domini divitiarum, sed dispensatores, oeconomi Dei sunt, non enim ipsi creavere divitias, sed a Domino accepere. *Quid habes*, homo, *quod non accepisti?*[63] Nudi ingressi sunt in hunc mundum, sicut et pauperes. Revocanda nobis in memoriam est parabola villici illius evangelici, qui diffamatus fuit apud dominum, quasi dissipasset bona illius, cui dictum fuit: *Redde rationem villicationis tuae, iam enim non poteris villicare.*[64] Ubi de divitibus loquitur Dominus ostendens esse Dei oeconomos; oeconomus autem, qui non expendit facultates domini sui secundum voluntatem illius, sed potius contra domini sui voluntatem, dissipator est, dilapidator est, fur est. Dei autem voluntas est ut ad necessarios honestosque usus divitiae expendantur; *quod* autem *superest*, ait Christus, *date eleemosynam.*[65] *Fidelis servus et prudens, quem constituit dominus super*

59a) Mt 25, 41. 46. Vulg.: *Discedite a me*, etc. 60) Ibid. vr. 42. Vulg.: *Mihi potum.*
61) Ibid 3, 10; 7, 19; Lc 3, 9. 62) Cf. Mt 19, 23-24; Mc 10, 23-25; Lc 18, 24-25.
63) 1 Cor 4, 7. 64) Lc 16, 2. 65) Ibid. 11, 41.

familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram.[66] Pauperes familia Dei sunt, famuli sunt Dei; cibandi a divitibus oeconomis Dei sunt. Epulo autem divitias a Deo acceptas, non pro Dei voluntate, ut oeconomus, sed pro libito tanquam absolutus dominus expendebat, etiam contra Dei voluntatem; non pro Dei voluntate pauperibus benefaciendo, sed contra Dei voluntatem in luxus et crapulas. Propter abusum ergo divitiarum et impietatem damnatus est.

pauperes enim familia Dei sunt a divitibus alendi;

VII. Tandem tertium hodierni Evangelii mysterium est mysterium immortalitatis animarum, perpetuae vitae post mortem: *Factum est ut moreretur mendicus* - non perit anima - *et portaretur ab Angelis in sinum Abrahae. Mortuus est dives* - non omnino periit - *sepultus est in inferno.* Et *elevans oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham... et Lazarum in sinu eius.*[67] Est animarum vita, post mortem corporis, perpetua, immortalis, nunquam habitura est finem, sicut vita Angelorum et daemonum; animae iustorum perpetuo vivent cum Angelis in paradiso, animae autem improborum cum daemonibus in inferno.

c) de immortalitate animae.

Haec autem animorum immortalitas vel maxime deprehenditur, sicut diximus,[68] ex Dei similitudine; nam si corpus, quia simile est ceteris animalibus, sicut et illa corruptibile et mortale est, cur spiritus noster, cum sit Deo similis, non sit sicut et ille immortalis?

Nec tantum a divina hac similitudine, sed ex appetentia divinae similitudinis, vitae aeternae, honoris, maiestatis et potestatis, divinae sapientiae, scientiae et cognitionis omnium rerum. Appetitus autem hic naturalis et universalis in omnibus hominibus, frustraneus esse non potest. Neque enim natura dedit igni naturalem inclinationem ut tendat sursum, et non dedit ei facultatem qua sursum tendere possit, nempe levitatem; neque dedit lapidi inclinationem ut tendat deorsum, et non dedit gravitatem; nec animalibus dedit appetitum edendi, bibendi, generandi, et non providit quae necessaria sunt ad satisfaciendum hisce naturalibus appetitibus. Praesupponit autem omnis appetitus cognitionem, quae enim minime cognoscimus, nec appetere possumus. Cognitioni autem et appetitui spiritualium et di-

quae deprehenditur ex naturali appetentia divinae similitudinis et scientiae.

66) Mt 24, 45; Lc 12, 42. 67) Lc 16, 23. 68) Cf. supra, pag. 240-241.

vinarum rerum, veluti duabus firmissimis basibus, nititur vel maxime immortalitas animae, quoniam haec indicant eam spiritum esse.

Repraesentatur hodie veluti tragicomoedia,

VIII. Hodiernum Evangelium est veluti mirabilis quaedam tragicomoedia a Christo Domino mira arte sapientissime composita, tribus tantummodo actibus conclusa. In primo ostenditur facies et varia fortuna praesentis saeculi, in secundo facies et varia fortuna saeculi futuri, in tertio introducitur dialogus inter epulonem in inferno et Abraham in paradiso.

vel theatrum iudiciorum Dei.

Est etiam hodiernum Evangelium veluti theatrum incomprehensibilium iudiciorum Dei, de quibus exclamat Apostolus: *O altitudo divitiarum sapientiae,* etc. [69] Nam tria sunt vel maxime mysteria divinae sapientiae et providentiae incomprensibilia: unum quidem ante mundum hunc, alterum vero in hoc mundo, et tertium post hunc mundum. Primum in praedestinatione et praescientia, secundum in varia sorte atque fortuna bonorum et malorum in hoc mundo, tertium in praemiis virtutum et punitione vitiorum in alio mundo. Haec autem omnia luce clarius cernuntur in hodierno Evangelio in epulone et Lazaro.

ALIA HOMILIA

Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso. [1]

Hodie Christus loquitur de Deo,

I. Multis mysteriis plenum est hodiernum Evangelium. Loquitur enim de Deo, de mundo, de homine, de virtute, de vitio, de paradiso, de inferno. De Deo tria ostendit: opera eius ante mundum et post mundum; in praedestinatione et praescientia, in providentia bonorum et malorum; in iudicio et iusta pro meritis retributione.

de mundo,

De mundo ostendit variam fortunam, fallacem atque mutabilem. Varia fortuna est divitiarum et paupertatis, varius diversusque status personarum. Fallacia, quoniam non tales sunt homines quales videntur. Divitiae nanque et paupertas variique status in mundo larvae sunt et personae theatrales in scena, in qua hic quidem formam praesefert principis, ille subditi, hic divitis, ille pauperis, sed

69) Rom 11, 33.

1) Lc 16, 19.

finita scena detractisque theatralibus personis, cognoscitur qualis quisque sit. Fallacia item, quoniam in divite ponitur veluti exemplar maximae felicitatis humanae, in paupere exemplar maximae infelicitatis; et tamen felicitas via ostenditur ad maximam aeternamque infelicitatem, et, e contra, infelicitas via ad maximam sempiternamque felicitatem. Mutatio fortunae, quoniam epulo factus est ex divite mendicus et fortunatissimo infortunatissimus, Lazarus vero e contra.

De homine ostendit dignitatem: *Portaretur ab Angelis in sinum Abrahae,*[2] nam: *Angelis suis* Deus *mandavit de te;*[3] *Omnes sunt administratorii spiritus;*[4] vitam mortalem corporis et immortalem animae, vitam temporalem, quae morte finitur in hoc saeculo, et vitam nunquam interituram in saeculo futuro, quae aevum durabit aeternum. de homine.

De virtute ostendit veritatem, dignitatem et praemium. Veritatem, quoniam ostenditur probata virtus multis tentationibus, sicut virtus Abrahae. Hinc Petrus ait: *Si oportet contristari in variis tentationibus, ut probatio vestrae fidei multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inveniatur.*[5] Sic valde probata fuit virtus Lazari, sicut etiam virtus Iob: *Beatus* autem *vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae.*[6] Dignitatem, quoniam homo virtute praeditus, sola contemplatione virtutis angelico ministerio dignus habetur et honoratur. Praemium tandem: sinus Abrahae, perpetua in paradiso consolatio. de virtute eiusque praemio.

De vitio similiter tria ostenduntur: natura ipsius, indignitas et supplicium, sive demeritum, et poena. Natura, inquam, nam vitium non est nisi virtutis carentia, sicut ignorantia scientiae carentia est, caecitas carentia visus, paupertas, infirmitas, mors, obscuritas; sic nullus reperitur in epulone virtutis actus. Indignitas atque demeritum, quoniam homo vitio affectus, quamvis alias nobilissimus princeps, tanquam putidum cadaver in imam immundamque foveam proiicitur, in sterquilinium. Unde legimus: *Sepultura asini sepelietur,*[7] hoc est in sterquilinium proiicietur canibus devorandus. Sicut autem ab Angelis Lazarus, sic a daemonibus epulo portatus in in- de vitio eiusque poena.

2) Ibid. vr. 22. 3) Ps 90, 11. 4) Hebr 1, 14. 5) 1 Petr 1, 6-7. 6) Iac 1, 12.
7) Ier 22, 19.

fernum fuit, infernalibus canibus proiectus, sicut Lazarus fere vivus a canibus comedebatur; sic Iezabel regina impietatis ergo ex divina sententia proiecta canibus fuit canesque carnes eius comederunt;[8] ita et epulo propter improbitatem proiectus est canibus inferni. Tandem poena et supplicium, perpetuus ac nunquam finiturus in inferno cruciatus.

de paradiso

De paradiso item tria: quid sit, ubi sit et quantum durabit. Quod sit requies et consolatio; quod sit alto loco positus, nam elevans oculos suos; quod in sinu Abrahae est, hoc est prope Deum, in domo Dei, ubi Deus cum Angelis habitat; quod durabit in aeternum: *Inter nos et vos chaos*, sive *chasma*, hoc est hiatus terrae, *firmatum est, ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint.*[9] Non est sicut paradisus terrestris aut paradisus Angelorum, ubi ab initio creationis positi Angeli peccare potuerunt et sic inde excludi. Magnus autem hic vastusque hiatus et impermeabile intervallum impermutabilem statum et conditionis firmitatem significat.

et de inferno.

Tandem de inferno tria etiam demonstrantur: quidnam sit, ubi sit et quantum durabit. Quod sit maximus cruciatus in flamma, absque ulla vel minima consolatione, neque enim minimam aquae guttam obtinere potest epulo ad linguam refrigerandam;[10] quod sit infimo loco, hinc sepulturae comparatur. Tandem aeternitas: *Neque huc transmeare.*[11] Forte ab arcibus sumpta metaphora est, in rupibus fabricatis, quo loco lati profundique fossi ingentem habeant vastumque terrae hiatum praeruptorumque montium impermeabile intervallum, ita ut ab uno ad alterum impossibilis sit transitus et accessus. Sic, inquit, *inter nos et vos magnum chasma firmatum est.*

Agitur etiam de invocatione Sanctorum,

II. Sic hodiernum Evangelium est veluti splendida mensa multis ferculis referta, convivium, ut aiunt, in Apolline,[12] cui nec bellaria desunt et secundae mensae. Nam praeter haec omnia, agitur hic de invocatione Sanctorum: *Pater Abraham, miserere mei; Rogo ergo te, pater, ut mittas.* Agitur de poenitentia necessaria ad salutem: *Ut*

8) Cf. 4 Rg 9, 33 sqq. 9) Lc 16, 26. 10) Cf. ibid vrr. 24-25. 11) Ibid. vr. 26.
12) Idest convivium splendidissimum. De hoc dicto cf. Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 12, cp. 18, col. 557.

testetur illis ne et ipsi veniant; Poenitentiam agent. Ostenditur auctoritas Divinarum Scripturarum: *Habent Moysen et Prophetas, audiant illos.* Quod non sufficit habere Scripturas, opus est eas audire et credere ex toto corde quae dicunt: *Si Moysen et Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit credent.* [13]

de poenitentia, de auctoritate Scripturarum,

Quod spectat ad mundum, in hodierno Evangelio ostenditur varia fortuna: cum propter favorem et fomentum carnis et vitiorum eius ducat ad aeternam infelicitatem; itemque quam felix sit infelicitas cum virtute cum ducat ad aeternam felicitatem. Illa via perditionis est, haec via salutis.

de mundi fortuna fallaci,

Quoad hominem, naturae humanae nobilitatem ac dignitatem, vitae praesentis brevitatem, nec enim dicitur quantum vixerint, ac tandem vitae futurae aeternitatem.

de humanae naturae nobilitate,

Quoad virtutem ostenditur quid sit, quid operetur, quid mereatur. Quid sit, in nomine Lazari, qui a d i u t o r i u m interpretatur, homo Dei gratia adiutus; novit eum Christus ex nomine, sicut Moysi Deus dixit, [14] hoc est gratus mihi, es servus, mihi acceptus. Gratia autem in vera caritate consistit, caritas autem vera fortis et patiens est. En patientia Lazari, virtus probata sicut aurum in igne, sicut adamas ad incudem.

de virtutis natura et merito,

Operatur autem vera virtus in homine innocentiam: *Non peccavit Iob labiis suis neque stultum quid contra Deum locutus est.* [15] Ita Lazarus. Operatur invictam tollerantiam omnium adversitatum, licet valde diuturnarum; itemque quod vix cupit homo in hac vita quae supra modum necessaria sunt: *Cupiens saturari de micis.* [16] Operatur neglectum corporis et curam spiritus [17] et animae, ac si homo Angelus esset in terra, spiritus sine carne; tandem quid mereatur et consequatur post mortem.

de vita spirituali

Similiter de vitio tria ostendit: quid sit, nempe virtutis carentia; quid operetur in homine, nempe curam tantum carnis, corporis et mundi huius, non spiritus, non animae, non Dei; tandem quid mereatur et consequatur post mortem.

ac de vita carnali.

13) Lc 16, 24. 27-28. 30-31. 14) Cf. Ex 33, 12. 15) Iob 1, 22. 16) Lc 16, 21.
17) Ms.: *Spiritum.*

Disputatur an simplex parabola ista sit, an vera historia;

III. *Homo quidam erat dives.* Sub iudice lis est an hodierni Evangelii exemplum historia sit an parabola. Sacri expositores fere omnes historiam dicunt; Theophylactus fere solus repertus est qui audacter dicat et asserat parabolam esse.[18] Novatores sectarii, timentes ne ex hoc loco probetur Sanctorum invocatio, audacissime asserunt parabolam esse, nullo modo historiam; forte Spiritus Sanctus eis revelavit vel Angelus de caelo missus hoc eos docuit. Sed ubinam invenerunt in parabolis unquam Veteris aut Novi Testamenti propria nomina virorum poni? In fabulis quidem poetarum, in comoediis, in tragoediis, in tragicomoediis, bene; sed in Sacris Litteris nunquam. Quomodo ergo hic tantum Christus in hac parabola propria nomina posuit Abrahami et Lazari? Plane ita dicere possemus omnes historias fere Divinarum Scripturarum esse parabolas, sicut Philo Iudaeus[19] et Origenes[20] allegoriam dicunt historiam paradisi.

probabiliter parabola est et historia.

At, inquiunt, multa hic sunt quae non possunt historice intelligi, ut de oculis, de lingua, de digito, de dialogo cum Abrahamo. Bene, sed etiam in historia creationis multa sunt huiuscemodi, quod Deus dixerit, quod viderit, quod quieverit, cum Deus nec linguam habeat ad loquendum, nec oculos ad videndum, nec corpus labori et defatigationi subiectum. Nunc igitur etiam historia creationis erit parabola? Num etiam historia diluvii, in qua Deus vidit malitiam hominum, poenituit quod hominem fecisset in terra,[21] et alia id genus, quae Deo historice convenire non possunt? Saepe Divina Scriptura historiae allegoriam addit, maxime cum de Deo et Angelis loquitur, quorum naturam et actiones nonnisi per similitudines corporeas intelligere possumus; sic Deo et Angelis membra humana, affectus, officia, actiones tribuuntur. Ita cum verba faceret Christus de animabus, quae Angelis natura spirituali similes sunt, pro more Divinarum Scripturarum corporeis similitudinibus usus est, ac si etiam corpore Lazarus esset in sinu Abrahae et epulo in inferno, sicut post iudicium futuri sunt. Sic historia est cum adiuncta parabola ad exprimendas spirituales actiones animarum post mortem, in alio saeculo.

ad exprimendas actiones animarum post mortem.

18) Cf. *Enarrat. in Evang. Lucae,* (P. G. 123, 974). 19) Cf. *Sacrae Legis Allegoriae,* lib. 1, cp. 18, col. 557. 20) ΠΕΡΙ ΑΡΧΩΝ. lib. 4, (P. G. 11, 375-378); *Contra Celsum,* lib. 4, ibid. col. 1090; *Comment. in Genesin,* ibid. 12, 99. 21) Cf. Gn 6, 5-6.

Neque enim fictio est, sed veritas, animarum immortalitas, paradisus et infernus, tormentorum, inquam, locus post hanc vitam. Et quidem parabolae assumuntur ex notioribus rebus ad obscuriores declarandas; sic ex corporalibus ad exprimenda spiritualia, ex terrenis ad caelestia, ex mundanis ad divina. Quomodo ergo Christus parabolam sumpsit ex iis quae in altero saeculo fiunt, cum sint nobis ignotissima quae ibi fiunt? Insuper assumuntur parabolae ex rebus solitis et consuetis, propterea saepe Christus Ecclesiam comparavit agro, vineae, sagenae, nuptiis, [21a] quoniam haec reperiuntur, notissima sunt ipso usu. Erat igitur usus invocandi sanctos Patriarchas, si Dominus inde sumpsit parabolam.

IV. *Homo quidam erat dives.* Ostenditur quidnam sit mundus iste, nempe locus bonorum et malorum, ubi bona simul et mala, quae dicuntur fortunae, itemque boni et mali homines. In paradiso sunt tantum bona et boni, in inferno tantum mala et mali; in hoc mundo omnia simul. In paradiso bona bonis, in inferno mala malis data sunt; in hoc mundo saepe bona malis, mala bonis, ut in hodierno Evangelio luce clarius videre est. Mundus non est locus electorum tantum, sicut paradisus, neque reproborum tantum, sicut infernus, sed mixtim utrorumque; non iustorum tantum, neque tantum peccatorum, sed utrorumque; non eorum tantum qui salvandi, neque eorum tantum qui damnandi sunt, sed utrorumque simul.

Ostenditur mundus locus bonorum et malorum

Item quod mundus habitatio hominum est cuiuscumque generis et conditionis; at vero non perpetua, sed temporaria, nempe usque ad mortem. Ita etiam fortuna mundi huius non perpetua, sed temporaria; in morte enim saepe mutantur vices, ut hodie clarissime cernitur. Habitatio hominum est, quoniam ad hunc finem creatus est mundus, propter hominem. Hinc post mundum creatus est homo tanquam habitator magnae huius domus, non tamen ut esset perpetua hominis habitatio.

habitatio hominum temporaria,

Tandem quod bona sive mala mundi huius non sunt vera bona aut mala, sed imagines verorum bonorum aut malorum quae sunt in saeculo futuro. Si enim bona mundi huius vera essent bona, non darentur a Deo nisi vere bonis; at saepe saepius dantur malis sicut ho-

ubi non inveniuntur vera mala vel bona,

21a) Cf. Mt 13, 44; 20, 1-16; 22, 2-14; Mc 12, 1-9; Lc 20, 9-16.

die. Item si mala mundi huius vera essent mala, non darentur nisi malis; at saepe dantur bonis, ut hodie. Hinc sequitur quod bona mundi huius non sunt ex animo diligenda, neque mala pertimescenda aut fugienda, cum saepe sint causa salutis, sicut illa perditionis. Mundus hic non finis est hominis, sed medium ad finem; sed his quidem via salutis est, illis autem perditionis; his scala caeli, illis scala inferni. Conditus nanque mundus est non ad fruendum, sed ad utendum.

sed tantum imagines futurorum bonorum vel malorum.

Sic docemur quid sit mundus, nempe locus variae fortunae, sortis et conditionis hominum; ad quid conditus sit mundus, nempe propter hominem, tamquam ipsius habitatio, sive hospitium temporarium; et quid tandem operetur in homine, quod causa potius perditionis sit quam salutis. Cum enim praesentia obiecti vehementer moveat potentiam, suis bonis mundus vehementer allicit animum hominis trahitque ad amorem suum divertitque ab amore et cupiditate caelestium divinorumque bonorum, quae, spiritualia cum sint, invisibilia et insensibilia sunt. Sic operatur mundus, ut homo ipsum potius amet quam Deum.

In Beatis ac damnatis in vita futura remanet naturalis affectio erga vivos, quos dilexerunt.

V. Ostenditur [22] in hodierno Evangelio quod tum in Beatis tum etiam in damnatis remanet naturalis voluntas et affectio erga eos quos in hoc saeculo dilexerunt. Hinc Abraham epulonem *filium* appellat aitque se, quod spectat ad naturalem propensionem patris ad filium, velle misereri, sed non posse, tantum quia id iustitia vetat, quod spectat ad deliberatam voluntatem, qua omnes Beati conformes sunt beneplacito divinae voluntatis, hinc ait iustitiam obstare quominus misereatur decretumque divinae voluntatis: *Recordare, fili, quia recepisti bona in vita tua... et super haec omnia chaos magnum,* idest hiatus et vorago, *chasma* graece, *firmatum est, ut hi qui volunt,* idest qui naturali voluntate vellent, *transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.* [23] In damnatis etiam remanet naturalis affectus; hinc epulo *patrem* appellat Abraham et fratrum recordatur ac pro eis supplex orat: *Ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum,* [24] quod quidem facit et semel et iterum. Hoc autem summopere notandum est pro intercessione Sanctorum.

22) Quae hoc numero continentur atramento clariori et stylo latiori exarata sunt.
23) Lc 16, 25-26. Vulg.: *Et in his omnibus*, etc. 24) Ibid. vr. 28.

Apud Deum sola virtus in pretio est.

Ostenditur in hodierno Evangelio quod non est apud Deum, sicut apud mundum, apud quem non virtus, sed fortuna in pretio est; apud Deum, autem, non fortuna, sed virtus. Quod si quando apud homines virtus in pretio est, propter fortunam est. In hodierno autem Evangelio nuda virtus in Lazaro proponitur; sicut iussit Deus, ut si vir iudaeus mulierem bello captam vellet ducere in uxorem, prius eam vestibus suis expoliaret et crinibus etiam, sic enim conspicua redditur pulcritudo cum sola est.[25] Semper apud Deum virtus in pretio fuit.

Duo opposita proponuntur: epulo fortunatus in mundo,

VI. Hodiernum Evangelium est veluti tragicomoedia, quae dici potest variae fortunae in triplici statu, nempe in vita, in morte et post mortem; sed variae fortunae secundum divinam providentiam. Variae fortunae in vita, nam: *Homo quidam erat dives*, totus fortunatus, totus felix, nobilis, dives, hilaris, sanus, omni vuluptatum genere abundans: *Epulabatur quotidie splendide.*[26] Haec sunt bona mundi quae dicuntur fortunae: divitiae, honores, voluptates cum sanitate,[27] absque ulla adversitate.

Lazarus omni fortuna destitutus;

Et erat quidam mendicus:[28] primo quidem ignobilis, vilis et abiectae conditionis. Sed potest esse homo ignobilis quidem, sed dives, tunc autem, sicut ille ait:

« Et genus et formam regina pecunia dabit »;[29]

hic autem non tantum ignobilis, verum etiam pauper; nec modo pauper, sed mendicus, sine loco, sine foco, omni bono destitutus.

Sed pauper potest esse sanus et viribus corporis valere, ita ut possit suo labore quae necessaria sunt ad victum et vestitum sibi comparare; hic autem adhuc infirmus erat, summopere debilis, ita ut non posset pedes consistere; hinc *iacebat*. Et insuper *ulceribus plenus,*[30] aspectu etiam et foetore horribilis, ita ut venirent canes, etc. At si receptus fuisset in aliquo xenodochio, ubi curari potuisset et necessaria ei subministrarentur! Sed nec hoc quidem. A Deo et hominibus derelictus videbatur.

25) Cf. Dt 21, 10-13. 26) Lc 16, 19. 27) Ms.: *Et sanitate* repetitur. 28) Lc 16, 20. 29) Horat. habet: *Donat. Epist.*, lib. 1, epist. 6, vr. 37. 30) Lc 16, 20.

sed in fine ille male fortunatus, hic autem revera beatus.

Ostenditur[31] in hodierno Evangelio quisnam revera sit bene vel male fortunatus. Et videtur quidem epulo bene fortunatus, nam abundat omnibus bonis; Lazarus autem male fortunatus, quia oppressus omnibus malis; et tamen non ita est. Non enim attenduntur fortunae hominum in scenis, ubi omnia sunt personata, ita ut hic quidem, cum dives sit, pauperis personam agit, ille vero, cum sit pauper, divitem repraesentat. Sed, finita scena, scitur quisnam sit revera pauper, quis dives. Ita hodie accidit. Fuit epulo male fortunatissimus. Multa infortunia legimus in Sacris Litteris, maxime vero in magnis viris: infortunium quinque regum Chananaeorum, quos Iosue suspendit in ligno;[32] Absalomi, qui infeliciter interiit;[33] reginae Iezabelis, quae proiecta de fenestra palatii, devorata fuit a canibus;[34] regis Sedeciae, qui captus et adductus coram Nabuchodonosor, privatus regno, interfectis coram ipso filiis et uxoribus, orbatus oculis fuit et ferreis catenis cinctus miserrimam vitam duxit;[35] infortunium Aman, etc.[36] Sed nullum maius infortunium infelicissimi huius epulonis.

Qui bene vivit bene moritur, et e contra.

Ostenditur in hodierno Evangelio quod qui bene vivit, male moritur, et contra qui male vivit, moritur bene; sed qui secundum carnem bene vivit, sicut epulo, hic secundum spiritum male moritur, etc.

Ostenditur quam sit periculosus divitiarum abusus. Sunt divitiae dona Dei, funes nobis desuper demissi, sicut Ieremiae in lacu.[37] Sed nos saepe ex his funibus laqueum nobis paramus ad suspendium, sicut Iudas.[38]

31) Iterum mutatur stylus. 32) Cf. Ios 10, 16-26. 33) Cf. 2 Rg 18, 9-15.
34) Cf. 4 Rg 9, 33 sqq. 35) Cf. ibid. 25, 6-7. 36) Cf. Est 7, 1 sqq.
37) Cf. Ier 38, 10-11. 38) Cf. Mt 27, 5.

*FERIA SEXTA INFRA HEBDOMADAM SECUNDAM QUADRAGESIMAE

Homo quidam erat paterfamilias, qui plantavit vineam et sepem circumdedit ei, etc. [1]

I. Flebilis tragoedia horrendi iudicii Dei severissimi, sed iustissimi contra impios et perfidos Iudaeos proponitur in sacrosancto hodierno Evangelio, cum iustissimis causis tantae severitatis: *Malos male perdet et vineam suam locabit aliis agricolis;* [2] *Auferetur a vobis regnum Dei.* [3] Regius Vates, cum praevidisset in spiritu hoc tremendum iudicium, Deum sic loquentem inducit: *Ego dixi: dii estis et filii Excelsi omnes; vos autem sicut homines,* hebraice *sicut Adam, moriemini et sicut unus,* idest primus, *de principibus cadetis.* [4] Comparat iudicium hoc cum iudicio contra Adam et contra Luciferum, plane quia duobus illis nihilo minus severum et formidabile opus divinae iustitiae est.

Proponitur hodie severissimum Dei iudicium contra Iudaeos.

Hodiernum Evangelium est veluti sacra quaedam tragoedia divina arte a Spiritu Sancto composita, in cuius scena, demissis cortinis, apparent mille lumina mysteriorum Dei; ubi mutantur apparatus et prospectivae, ex vinea in regnum: *Auferetur a vobis regnum Dei,* ex regno in regale palatium: *Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli;* [5] ubi sub variis habitibus variae personae comparent in scena: Deus, Christus, Iudaei, Gentiles. Deus, nunc in habitu patrisfamilias: *Homo quidam erat paterfamilias;* nunc in habitu agricolae qui, veluti Noe, [6] vineam plantat; nunc in habitu aedificatoris: *Fodit in ea torcular et*

Est hoc Evangelium quaedam tragicomoedia, ubi comparent Deus,

1) Pericope huius diei Mt 21, 33 sqq. Cf. Missale Rom. 2) Mt 21, 41. 3) Ibid. vr. 43. 4) Ps 81, 6-7. 5) Mt 21, 42. Ex Ps 117, 22. 6) Cf. Gn 9, 20.

aedificavit turrim:[7] *A Domino factum est istud;*[8] nunc in habitu negotiatoris: *Locavit eam agricolis,*[9] utique facta conventione; nunc in habitu regis: *Auferetur a vobis regnum Dei;* nunc tandem in habitu severi iudicis: *Malos male perdet et vineam suam locabit aliis agricolis.*

Christus, — Christus etiam intrat in scenam hanc sub variis habitibus et personis: nunc in habitu filii et heredis patrisfamilias, sed filii obedientis, omni honore digni: *Misit filium suum; Verebuntur* forte *filium meum,*[10] ad designandum mysterium adventus Filii Dei in mundum; nunc in habitu hominis occisi: *Hic est heres: venite, occidamus eum.* Et eiicientes eum *extra vineam, occiderunt,*[11] quod est mysterium passionis et mortis Christi; nunc in habitu prophetae: Nemo misit in eum manum, quia *sicut prophetam eum habebant;*[12] nunc mirabili quadam metamorphosi in lapidem se transformat: *Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli,* in lapidem durissimum; nunc humili loco nunc sublimi positum: *Qui ceciderit super hunc lapidem confringetur, super quem vero ceciderit* lapis, *conteret eum.*[13]

Iudaei, — Iudaei similiter comparent in scena variis modis: nunc in habitu principum et religiosorum: *Cognoverunt principes sacerdotum et Pharisaei;*[14] nunc in habitu agricolarum: *Locavit eam agricolis;* nunc in habitu rebellium: *Agricolae, apprehensis servis, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt;*[15] adhuc in habitu homicidarum: *Hic est heres: venite, occidamus eum;* tandem in habitu reorum condemnatorum: *Malos male perdet.*

et Gentiles. — Tandem comparent in scena Gentiles in habitu bonorum agricolarum: *Vineam suam locabit aliis; Dabitur genti facienti,* etc.[16] Ita ut in hodierno Evangelio eluceat tremenda severitas divinae iustitiae contra Iudaeos, et simul dulcissima benignitas misericordiae ipsius erga Gentiles: *Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius,* sicut alibi dixit: *Multi... venient et recumbent cum Abraham,* etc., *filii autem regni,* etc.[17] Sic enim Deus tulit divitias Aegyptiorum et dedit Hebraeis,[18] tulit terram promissionis

7) Mt 21, 33. 8) Ibid. vr. 42; Ps 117, 23. 9) Mt 21, 33. 10) Ibid. vr. 37. 11) Ibid. vrr. 38-39. 12) Ibid. vr. 46. 13) Ibid. vr. 44. Vulg.: *Qui ceciderit super lapidem istum,* etc. 14) Ibid. vr. 45. Affert ordine inverso. 15) Ibid. vr. 35. 16) Ibid. vr. 43. 17) Ibid. 8, 11-12. 18) Cf. Ex 12, 35-36.

a Chananaeis et dedit Israelitis,[19] abstulit regnum a domo Saul et dedit Davidi,[20] arcam de tabernaculo Moysi et posuit in templo Salomonis;[21] sicut Assuerus coronam Vasthi reginae dedit Esther,[22] divitias Aman dedit Mardochaeo;[23] sic fides synagogae data est Ecclesiae, pontificatus Aaron datus Petro, sacerdotium et templum Iudaeorum translata sunt in gentem christianorum.

Multa mysteria significat haec vinea.

II. *Homo erat paterfamilias qui plantavit vineam.* Vinea haec veluti magnus thesaurus est mysteriorum Dei, magnus thesaurus divitiarum Dei: *An divitias bonitatis et patientiae et longanimitatis Dei contemnis? Ignoras quia benignitas Dei ad poenitentiam te expectat?*[24] Videtur etiam vinea haec circus quidam et vallum, in quo divina bonitas et humana perversitas confligunt; cumque non possit Deus[25] armis bonitatis suae vincere humanam perversitatem, vincit armis iustitiae et severitatis. Sicut enim poetae aiunt quod amor sagittas habet aureas et plumbeas,[26] hoc est cogitationes amoris et irae, ita etiam Deus arma habet bonitatis et iustitiae. Pugnat utraque manu, dextera et sinistra, sicut princeps ille Hebraeorum, Aod, qui, interfecto Aglon, rege Moabitarum, Hebraeos, qui sub illius tyrannide gravi iugo premebantur, in libertatem asseruit.[27] Sic victa et superata est humana perversitas: *Malos male perdet.*

In tragoedia hac repraesentatur lenta sed iusta ira Dei.

Tandem scena videtur in qua flebilis et funesta tragoedia repraesentatur lentae quidem, sed iustae et formidabilis irae Dei: *Malos male perdet;* ubi demittuntur cortinae, dum Christus parabolam aperit: *Auferetur,* inquiens, *a vobis regnum Dei;* ubi cernuntur mille lumina sacrorum mysteriorum. Actus autem quinque sunt: primo enim paterfamilias vineam locat agricolis, secundo mittit servos ad percipiendos fructus, tertio iterum alios mittit multo plures servos ad hoc ipsum, quarto mittit unicum filium, quinto armata manu pergit et malos male perdit vineamque suam aliis agricolis colit. In hisce autem actibus causae conspiciuntur iustissimae irae horrendique huius iudicii Dei.

In primo actu fit contractus locationis inter dominum vineae et

19) Cf. ibid. 6, 6-8. 20) Cf. 1 Rg 13, 14. 21) Cf. 3 Rg 8, 1-9.
22) Cf. Est 2, 1-17. 23) Cf. ibid. 8, 2. 24) Rom 2, 4. Vulg.: *Te adducit.*
25) Ms.: *Dei.* 26) Cf. Natalis Comes *Mythologiae,* lib. 4, cp. 14, pag. 349 sqq.
27) Cf. Idc 3, 15-30.

agricolas: *Locavit eam agricolis*: non donavit, non vendidit, sed locavit, ut fructus ei redderent temporibus suis. Hinc, *cum tempus fructuum appropinquasset, misit servos suos ad agricolas ut acciperent fructus eius.* [28]

Vinea synagogam significat

Et quidem in hoc primo actu, si consideremus singula, continentur multa mysteria. *Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam.* Interpretatur Christus regnum Dei; Isaias etiam, qui scenae huius cortinas demisit declarans parabolam: *Vinea Domini exercituum domus Israel est et vir Iuda,* etc. [29] Synagoga per vineam designatur ratione fidei et religionis divinae. Fides enim vera penes Iudaeos tantum reperiebatur: *Notus in Iudaea Deus, in Israel magnum nomen eius.* [30]

a Deo summo amore plantatam

Si autem inspiciamus ad initia synagogae, videbimus quidnam sit quod hic Dominus sub metaphora loquitur: *Sepem circumdedit, fodit torcular, aedificavit turrim, locavit eam agricolis.* Cum enim per Moysen Deus fide Hebraeos in Aegypto imbuisset eosque inde eduxisset in desertum, primo quidem legem dedit, deinde altare sacrificiorum instituit et sanctuarium, locum orationis, tandem duplicem principatum, saecularem et sacrum, temporalem et spiritualem, Moysen et Aaronem populi principes constituit eisque Hebraeorum rempublicam regendam ac moderandam tradidit in omnibus, tum spiritualibus tum temporalibus.

et optime institutam,

Sic igitur ait Dominus plantatam fuisse vineam synagogae, factaque fuisse in ea omnia quae fieri solent in vineis, maxime divitum. Qui enim vineam plantat, sepe eam aut maceria murove cingit ad bestias arcendas et fures; fodit torcular ad colligendam calcandamque vindemiam, ac tandem aedificat domum ad vineae tum ornamentum tum custodiam, ut in ea habitent agricolae, ut reponatur mustum, donec fiat vinum perfectum ac defaecatum. Nihil amplius desideratur in vineis. Hinc per Isaiam ait: *Quid est quod debui ultra facere vineae meae et non feci?* [31] Tunc plantatam vineam, munitam, instructam quibuscumque necessariis, locavit eam colonis, principibus rempublicam commisit.

quam principibus excolendam commisit.

28) Mt 21, 34. 29) 5, 4. 30) Ps 75, 2. 31) 5, 4.

III. Synagoga dicitur vinea Domini, regnum Dei, ratione fidei, nam fide et religione verique Dei cognitione et cultu a ceteris gentibus differebat. Non est autem Ecclesia vera nisi per veram fidem et religionem, nec abstulit Deus a Iudaeis et tradidit Gentibus, nisi fidem et religionem: *Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius.* Fides autem dicta est vinea divinitus plantata, quoniam donum Dei est, non ex nobis. Neque enim vites optimae ex terra sua sponte nascuntur, sed plantantur. Sic enim cum primo legimus vineam, a Noe plantatam legimus.

Fides vinea Domini appellatur quia donum Dei est

Prius plantata est vinea ut fructus afferat, fides quae per dilectionem operatur;[32] deinde sepe circumdata est, quia fides antiquior lege est. Hebraei prius Moysi et Deo crediderunt, sicut in mari Rubro demerso Pharaone cum exercitu suo legimus;[33] deinde legem susceperunt caelitus traditam.[34] In Patriarchis sanctissimis, qui ante legem floruere, fuit fides vera et pia religio vitaque sanctissima. Sicut autem vinea plantata ut fructus expectatos reddere possit, sepe opus habet ne apertam obviamque pecudes depascantur et dissipent, aut ipsi viatores depopulentur, ita ad fidem conservandam lege opus fuit divinisque praeceptis ac monitis, ad arcenda ab animis vitia atque peccata, ut divinarum legum disciplina, spe et timore Domini animus communitus in officio contineatur, ut Dominum colat et illi soli serviat. Dicitur autem lex divina sepes et maceria vineae huius, idest fidei et religionis, non solum quia lex fidei valde utilis et necessaria est ad eam conservandam - format enim lex bonam conscientiam, quae fidei maxime necessaria est, sicut Paulus *Timotheo* ait: Posside *fidem et bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt,*[35] ubi docet Paulus quod fidei necessaria est bona conscientia, sicut navi bonus nauta et moderator in mari ne pereat, - verum etiam quia divinarum legum integra observatio divinam meretur protectionem; favor autem et protectio regis valde potentis civitati pro validissimis moeniis est. Hinc per Isaiam ait: *Auferam sepem eius et erit in direptionem, diruam maceriam eius et erit in conculcationem;*[36] et Regius Vates: *Ut quid destruxisti maceriam eius et vindemiant eam*

et caelitus data ac primo in Patriarchis plantata,

deinde sepe divinae legis munita,

cuius observatio divinam meretur protectionem;

32) Cf. Gal 5, 6. 33) Cf. Ex 14, 31. 34) Cf. Ibid. 20, 1 sqq.
35) 1 Tim 1, 19. 36) 5, 5.

omnes qui praetergrediuntur viam?[37] Per Zachariam Dominus ait: *Absque muro habitabitur Ierusalem prae multitudine hominum... et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu.*[38] Sic etiam apud Isaiam legimus civitatis Sion murum et antemurale.[39] Sic populus in deserto quadraginta annis divina protectione securus ab hostibus mansit.

torcular designat divinum cultum,

At vero hic agitur de sepe vineae, fidei et religionis. Severa autem legum disciplina animus quam maxime in officio continetur, ac veluti limitibus quibusdam cingitur et concluditur, ne singularis ferus, satan, in vineam hanc divinarum virtutum irruat eamque depascatur et exterminet eam aper de silva.[40] Torcular autem altare sacrificiorum erat, quo adducebantur piorum hominum vota, oblationes, victimae pro peccatis, hostiae pacificae, holocausta. Haec enim tunc temporis pietatis et religionis opera erant, in his divinus cultus consistebat. Turris divum sanctuarium designat, quod domus erat Dei, domus orationis, ubi etiam agricolae vocabantur. Tandem agricolae sunt principes populi. Hinc ait: Cognoverunt principes quod ad ipsos diceret parabolam.[41]

turris sanctuarium, agricolae principes populi.

Locavit eam agricolis, mercede conductis; facta conventione, dedit eis vineam excolendam. Locavit, non donavit, non vendidit, non in pignus dedit; dominium et absolutam possessionem sibi reservans, usum vineae eis dedit. Ita principibus dat status et regna, ipse *Rex regum et Dominus dominantium.*[42] Quare reges et principes non domini sunt regnorum, sed ministri sunt Summi Regis, ab eo constituti sunt praefecti, rectores, gubernatores, regi reddituri sunt rationem administrationis suae; hinc saepe Deus aufert regna, sicut apud Danielem legimus.[43]

Principes domini regnorum non sunt, sed ministri Dei.

Locavit eam et peregre profectus est.[44] Cum primis Hebraeorum principibus, Moyse et Aarone, Deus quam familiariter conversatus fuit et collocutus; non sic autem cum posterioribus. Postquam enim legem dedit et Iudaeorum rempublicam optime institutam principibus gubernandam tradidit, ipse veluti absens factus, liberum principibus dominandi arbitrium[45] reliquit; non amplius eis appa-

37) Ps 79, 13. 38) 2, 4-5. 39) Cf. 26, 1. 40) Cf. Ps 79, 14.
41) Cf. Mt 21, 45; Mc 12, 12; Lc 20, 19. 42) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16.
43) Cf. 2, 37-45. 44) Mt 21, 33. 45) Ms.: *Arbitrius.*

ruit, sicut in deserto cum legem dedit aut in columna nubis praesentem se exhibuit,[46] sed servos Prophetas misit.

IV. In primo autem actu repraesentatur Dei providentia et humana diligentia. *Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam* et summa cum diligentía providit omnia necessaria ad percipiendos ex ea fructus; humana autem diligentia: *Locavit eam agricolis*. In secundo actu diligentia divina: *Cum tempus fructuum*, etc., et humana iniquitas: *Agricolae autem, apprehensis servis, alium ceciderunt*, etc. In tertio actu divina patientia summa cum benignitate: *Iterum misit servos plures*, etc., et perseverans humana sceleritas: *Fecerunt illis similiter.*[47] In quarto actu divina longanimitas et insuperabilis bonitas, humana autem plusquam satanica perversitas et malitia: ille mittit filium dicens: *Verebuntur* forte *filium meum;* hi autem: *Hic est heres*: *venite, occidamus eum*. In quinto tandem iustissima ira Dei et humana imbecillitas ad resistendum: *Malos male perdet et vineam suam locabit aliis agricolis.*

In hac tragoedia plura repraesentantur ex parte Dei et hominis;

In hac sacra tragoedia Christus prologum agit: *Homo erat paterfamilias*, Evangelista autem peroratorem. Titulus autem illius est de iustissima ira Dei. Assignatur autem irae huius triplex causa: prima quidem iniquitas, quia fructus vineae domino dare noluerunt, contra iustitiam sibi detinebant; secunda rebellio cum perseverantia in sceleritate, servos enim domini tum priores tum posteriores ceciderunt, occiderunt, lapidaverunt tanquam rebelles principi; tertia est summa impietas: filium eius occiderunt.

argumentum vero est iustissima ira Dei

Prima irae causa iusta est et magna, secunda multo maior, tertia autem iustissima atque maxima, qua excogitari non potest maior. Si magistratus civitatis tale quid contra principem suum regemque egisset, primo ut tributa censusque regios negaret regi, secundo ut ministros regis cederet, occideret, lapidaret, tertio ut etiam unicum regis filium augustissimi regni regisque potentissimi unicum heredem rebelli animo et obstinata rebellione occideret, quam iusta esset regis ira contra civitatem illam? Maior et iustior nec excogitari animo potest. Sic iustissima designatur ira Dei, verum etiam maxima: *Malos male perdet*.

contra impios agricolas,

46) Cf. Ex 13, 22. 47) Mt 21, 36.

Alibi in Evangelio haec ira Dei designatur, quod, cum fecisset nuptias filio suo misissetque servos vocare invitatos ut venirent ad nuptias, illi servos missos contumeliis affectos dimiserunt. Quare iratus rex, *missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos et civitates eorum succendit.*[48] Hoc est quod hodie ait: *Malos male perdet,* illos quidem iuste, sed tamen severissime puniet.

idest perfidos Iudaeos,

Ita videmus hodie infelices Iudaeos, qui vineae huius, hoc est verae fidei et religionis verique Dei cultores erant, quam male perditi sint, omni gradu, honore et dignitate privati, sine rege, sine principe, sine sacrificio, sine templo, sine sacerdotio, omnibus contempti, exosi, inimici abominabiles, execrabiles, per universum mundum captivi, dispersi, tanquam corpus hominis seditiosi, rebellis et maxime facinorosi a iustitia in partes dissectum et dilaniatum, sicque multis in locis membratim appensum in exemplum severae iustitiae. Utique, quoniam Iudaeorum populus divitias bonitatis et patientiae et longanimitatis Dei contempsit, ignorans quod benignitas Dei ad poenitentiam eum expectabat.[49]

quorum impietas semper crevit ad maiora facinora.

Ostenditur in hodierno Evangelio quod impietas semper crescit ad maiora facinora. Sic impii agricolae, avaritia ducti, ut fructibus vineae ipsi fruerentur, in iniustitiam prolapsi sunt, ut patrifamilias debitos vineae fructus reddere nollent. Hinc ad rebellionem devenere, ut priores et posteriores servos in iniuriam domini contumeliis afficerent; tandem, quod summum est laesae maiestatis crimen, filium ipsius crudelissime occiderent.

Divina Scriptura humiliter loquitur, sed sublimiter intelligenda est.

V. Divina Scriptura humiliter loquitur, sed sublimiter intelligenda est. *Homo,* inquit, *erat paterfamilias, qui plantavit vineam et locavit eam agricolis.* Humilia sunt quae dicuntur, sed alta et sublimia quae intelliguntur. Nam paterfamilias regem significat, vinea regnum, plantare vineam regnum condere atque fundare, locare eam agricolis regnum et summum pontificatum dare: *Auferetur a vobis regnum Dei,* dignitas regia cum summo sacerdotio, nam erat regnum sacerdotale.

Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam. Duas vineas legimus in Scripturis: alteram quidem Dei, alteram vero satanae: *De*

48) Ibid. 22, 7. Vulg.: *Civitatem illorum,* etc. 49) Cf. Rom 2, 4.

vinea Sodomorum, etc.[50] Sed vinea Dei sine fructibus est: *Expectavi ut faceret uvas, fecit autem labruscas;*[51] vinea autem satanae uvas habet et vinum producit: *Uva eorum uva fellis et botrus amarissimus, fel draconum vinum eorum,*[52] operum enim carnis magna est copia. Vinea Dei plantata est ex vitibus optimis, probatissimis; vinea autem satanae ex vitibus agrestibus, quas terra absque ullo labore aut cultura producit. Sed, quod mirabile est, vites vineae Dei facile degenerant et fiunt vites vineae satanae. Hinc per Ieremiam ait: *Ego te plantavi vineam electam, omne semen verum* in ea; *quomodo conversa es mihi in amarum, vitis aliena?*[53] Hinc etiam per Isaiam: *Expectavi ut faceret uvas, fecit autem labruscas*, uvas putidas, pessimas; vites optimae factae erant agrestes.

Duas vineas legimus in Scripturis: Dei et satanae.

Apud Isaiam Dominus invehitur contra vineam, proposita simili ac fere eadem parabola; hodie autem contra vinitores. Principium autem malorum omnium fuit cupiditas, quam Paulus radicem omnium malorum dicit,[54] quoniam voluerunt agricolae fructus vineae sibi retinere eisque frui, ac si domini absoluti vineae essent, non domino vineae, ut par erat, pro iustitia et aequitate reddere: *Nostra erit hereditas;*[55] *Habebimus hereditatem eius,*[56] cum tamen scirent suam non esse vineam, sed patrisfamilias, qui ipsis eam locaverat, non donaverat, aut vendiderat, ita ut omne dominium vineae in eos transferret.

Agricolae puniti fuerunt propter cupiditatem.

Nemo autem nostrum est qui nesciat, qui non fateatur se et corpus et animam et vitam et sensus et vires et fortunas a Deo habere. Deus omnia haec plantavit, Deus nobis haec omnia dedit, ita tamen ut fructum bonorum operum ei reddamus, fructum cordis, fructum oris, fructum manuum. Sed quem fructum Deo reddimus?

Nos quoque agricolae sumus vineae Dei.

VI. *Plantavit vineam.* Moyses praedicavit Hebraeis in Aegypto fidem Dei; sed quia a Deo missus fuit, Dei Spiritu afflatus loquebatur, divinis miraculis, quae nonnisi omnipotenti virtute Dei fieri poterant, movit Hebraeos ut crederent sibi dictisque suis fidem adhiberent.[57] Propterea Deus fidem plantasse dicitur. Fides Dei opus

Fides opus Dei est, sed prodest si per caritatem operatur.

50) Dt 32, 33. 51) Is 5, 4. 52) Dt 32, 32. Vulg.: *Botri amarissimi.*
53) 2, 21. *In pravum vitis aliena.* 54) Cf. 1 Tim 6, 10. 55) Mc 12, 7.
56) Mt 21, 38. 57) Cf. Ex 4, 31.

est; hinc Paulus fideles Dei plantationem et Dei aedificationem appellat.[58] Dicitur autem fides vinea divina manu plantata, quoniam sicut vitis propter uvam et vinum plantatur, alioquin inutilis est, ita et fides ea tantum prodest, *quae per caritatem operatur*,[58a] alioquin: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum.*[59]

Deus necessaria providit ad fidei conservationem,

Nec tantum plantavit Deus hanc vineam, sed ei necessaria quaeque ad conservationem providit. Agit enim Deus in spiritualibus rebus in Ecclesia, sicut in corporalibus in natura universali; quae enim natura procreantur habent quaecumque opus sunt ut serventur, ut crescant usque ad perfectum. Deus ergo plantat vineam, conservat, locat agricolis, idest colit eam, ut ex ea fructus percipiat.

cuius fructus maxime desiderat.

Mirabile autem est quanto desiderio teneatur Deus fructuum huius vineae, ut eorum causa non solum servos, sed etiam unicum Filium in discrimen adducat vitaeque periculis exponat, mittens eos ad percipiendos fructus: *Expectavi iudicium... et iustitiam,* ait per Isaiam.[60] Incredibile est quanto desiderio teneatur Deus virtutis, sanctitatis, ut boni, ut sancti simus.

Malos male perdet. Haec iusta et magna ira Dei, quae super quartum non convertit[61] - unde nec quartum mortuum a Domino suscitatum legimus, - ubi ab habitu et consuetudine peccati ventum fuerit ad impoenitentem obstinationem: *Secundum duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei.*[62] Cavendum nobis ne inveniat Deus in nobis, ut ira ipsius iuste desaeviat. Nam ira Dei ignis est ardentissimus: *Ignis succensus est in furore meo et ardebit usque ad inferni novissima.*[63] Sic enim ignis devoravit filios Aaron, Nadab et Abiud.[64]

58) Cf. 1 Cor 3, 9. 58a) Gal 5, 6. 59) Ibid. 13, 2. 60) 5, 7. 61) Cf. Am 1, 3. 62) Rom 2, 5. 63) Dt 32, 22. 64) Cf. Lv 10, 1-2.

ALIA HOMILIA [1]

Homo erat paterfamilias qui plantavit vineam, etc. [2]

I. Quamvis in hodierno Evangelio singulariter agatur de reprobatione Hebraeorum et electione Gentilium: *Malos male perdet et vineam suam,* etc.; *Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti,* etc., [3] illud ex iustitia pro demeritis, hoc autem ex misericordia, quia absque ullis meritis, tamen agitur etiam de Deo, de Christo, de Ecclesia et de praelatis Ecclesiae. Deus enim hic dicitur paterfamilias, dominus vineae; Deus *faciens mirabilia:* [4] *A Domino factum est istud et est mirabile,* etc.; [5] et tandem rex: *Auferetur a vobis regnum Dei.* Christus appellatur filius, heres, lapis angularis et propheta. Ecclesia dicitur vinea, hereditas, opus Dei mirabile et regnum Dei. Praelati tandem dicuntur agricolae aedificantes et principes sacerdotum ac Pharisaei. De multis agitur hodie.

Visus est tamen Dominus mirabili quodam artificio depingere nobis elegantissimam quamdam ac numeris omnibus absolutam Ecclesiae imaginem quattuor hisce metaphoris: vineae, hereditatis, aedificii et regni. Singulariter vero prima harum metaphora, quae omnium praecipua est: *Plantavit vineam, sepem circumdedit ei, fodit in ea torcular, aedificavit turrim* in medio, *locavit eam agricolis,* [6] multa dicit, quae si rite perpendantur, manifestas Ecclesiae contingent notas. sed praecipue de Ecclesia

II. *Plantavit vineam.* Fides in humanis cordibus a Christo Domino et Deo Patre divinitus plantata est, multis editis miraculis, sicut etiam antiquitus vera religio in Hebraeis. Hinc etiam hic dicitur: *A Domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris.* Ecclesia igitur divinam habet originem; non humanitus, sed divinitus fundata est per Christum et Apostolos. Ecclesia divinam habet originem;

Plantavit vineam, non vineas. Una est universalis Ecclesia, non plures, sicut unus paradisus terrestris, una arca Noe, unum taber- una est,

1) Atramento cleriori exarata. 2) Mt 21, 33. 3) Ibid. vrr. 41. 43. 4) Ps 85, 10. 5) Ps 117, 22. 6) Mt 21, 33.

naculum Moysi, unum templum Salomonis: *Unus Deus, una fides, unum baptisma.*[7]

visibilis,

Nec tantum una, verum etiam visibilis est: *Mirabile in oculis nostris; Non potest civitas abscondi supra montem posita.*[8] Licet enim invisibilis sit fides, non tamen Ecclesia, sicut non est invisibilis homo, licet invisibilis sit anima; nec Christus erat invisibilis dum erat in mundo, licet invisibilis sit divinitas latens in homine.

super Apostolos fundata in magna vitae sanctitate

Plantavit vineam, sed magnam. Hinc enim regnum Dei appellatur et hereditas Christi: *Postula a me et dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam,* etc.;[9] *Confluent ad eam omnes gentes.*[10] *Plantavit vineam.* Isaias ait quod plantavit eam *in cornu filio olei,* idest loco edito et pingui solo, optimo, aprico, eamque *plantavit electam.*[11] Cum Dominus plantasset vineam suam, primo in Apostolis plantavit eam, in magna vitae sanctitate et alta dignitate. Isaias ait quod mons domus Domini futurus erat *in vertice montium,*[12] idemque Michaeas;[13] quod dignitas ecclesiastica futura erat supra omnem dignitatem saecularem. Non sicut in Veteri Testamento sacerdotium infra regnum, sed supra regnum, quoniam tunc quidem regnum erat verum, sicut nunc, sacerdotium autem umbratile; nunc autem verum est sacerdotium, sicut verum et infiniti meriti ac valoris sacrificium.

et alta dignitate,

auctoritate munita ad sui defensionem et conservationem,

Nec tantum plantavit vineam, sed *sepem circumdedit ei*: dignitatem ecclesiasticam auctoritate munivit ad perpetuam defensionem et conservationem. Regno, praeter nobilitatem, opus est potentia ad tutelam. Magnam dedit Christus auctoritatem Ecclesiae: *Si Ecclesiam non audierit,* etc.; *Quaecumque* enim *alligaveritis super terram,* etc.[14] Regnum Dei, Ecclesia, potentissimum.

thesauris insuper spiritualibus referta,

Adhuc *fodit in ea torcular,* ubi, calcatis uvis, expressum recipitur mustum vinumque, quod est proventus a vinea expectatus. Regno opus est aerario, publico thesauro ex proventibus, censibus, tributis, vectigalibus, etc. Ita Ecclesia habet suum thesaurum: Sanctissima Sacramenta, quae sunt vasa gratiae, habet etiam thesaurum meritorum Christi et Sanctorum.

7) Eph 4, 5. 8) Mt 5, 14. 9) Ps 2, 8. 10) Is 2, 2. Vulg.: *Fluent ad eum,* etc. 11) 5, 1-2. 12) 2, 2. 13) Cf. 4. 1. 14) Mt 18, 17-18.

Praeterea *aedificavit turrim* in vinea. Opus est in regno civitate metropoli, ubi sint magistratus regni, tribunalia, iudicia, ubi sedes sint primatum ac principum; turrim aedificavit, ubi coloni habitarent.

Tandem *locavit eam agricolis,* quos interpretatur principes sacerdotum et Pharisaeos, qui religiosi illius tempestatis erant. Necesse est igitur ut Ecclesia habeat religiosos, habeat sacerdotes, habeat principes sacerdotum, Episcopos: *In quo Spiritus Sanctus vos posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei;* [15] *Vos genus electum, regale sacerdotium,* etc. [16]

cuius agricolae sacerdotes et Episcopi sunt.

Ostendant nunc omnes has verae Ecclesiae notas haeretici. [17]

III. *Homo erat paterfamilias,* etc. Tria hic mihi consideranda occurrunt: primum est magna cum diligentia tum etiam providentia patrisfamilias circa vineam, unde per Isaiam ait: *Quid ultra potui facere vineae meae, et non feci?* [18] Secundum est ardens desiderium percipiendi fructus ex ea, nam ad hoc non solum servos mittit semel et iterum, magno etiam cum illorum periculo, verum etiam unicum filium exponit vitae discrimini: *Verebuntur* forte *filium meum.* [19] Tertium est magna ira contra malos agricolas tum ob denegatos fructus, tum etiam ob illatas iniurias: *Malos male perdet et vineam suam locabit aliis agricolis qui,* etc. [20]

Tria hic consideranda occurrunt.

Ostendit [21] Dominus in hac parabola summam Iudaeorum in Deum impietatem et severissimam Dei contra eos iustitiam ultricem et vindicem malorum, nam *iuxta mensuram delicti erit et plagarum modus.* [22] Deus enim iustissimam habet in manu bilancem ad ponderanda tum merita bonorum ad praemium, tum malorum demerita ad poenam. Ostendit igitur Dominus hac proposita parabola primo quidem summam Iudaeorum in Deum nequitiam et impietatem, sicut etiam Isaias, proposita simili parabola de vinea; deinde severam punitionem, sicut etiam Isaias. [23] Poena

Ostenditur summa impietas Iudaeorum et severa punitio divina,

15) Act 20. 28. Vulg.: *In quo vos Spiritus Sanctus,* etc. 16) 1 Petr 2, 9.
17) Ms.: *Haereticis.* 18) Is 5, 4. Vulg.: *Quid est quod debui ultra facere,* etc.
19) Mt 21, 37. 20) Ibid. vr. 41. 21) Quae sequuntur atramento clariori exarata sunt.
22) Dt 25, 2. Vulg.: *Pro mensura peccati,* etc. 23) Cf. 5, 1-7.

nanque sequitur culpam, sicut umbra corpus, flamma ignis alligata ad caudas vulpium Samsonis;[24] poena est consequens culpam.

magnitudo culpae et poenae.

Ostendit Dominus magnitudinem culpae, quia inique debitos fructos detinuere, quia iniquius servos missos ad fructus percipiendos male tractavere, ac tandem quia iniquissime unicum filium patrisfamilias crudelissime occidere. Sic graphice ostendit Dominus magnitudinem poenae: *Malos male perdet et vineam suam locabit aliis agricolis.* Scopus igitur hodierni Evangelii est demonstrare severitatem divinae iustitiae in punitione peccatorum, quod quidem argumentum multis in locis Sanctarum Scripturarum tractatur. Opera nanque divinae iustitiae vindicis et ultricis malorum manifesta sunt in Sacris Litteris, sed specialiter elucet in punitione Iudaeorum, in eversione synagogae propter summam impietatem in Christum.

Fructus huius vineae sunt sanctitas vitae et opera pietatis.

IV. *Cum autem tempus fructuum appropinquasset,* etc.[25] Declarat Isaias quinam sint hi fructus dicens: *Expectavit iudicium et ecce iniquitas, iustitiam et ecce clamor.*[26] Duo autem haec, iudicium et iustitia, in Divinis Litteris frequentissime occurrunt. Per haec autem duae partes divinae legis designantur: *Declina a malo et fac bonum.*[27] Nam iudicium quidem aequitatem significat, cui iniquitas opponitur, idest iniuria; quare vitam significat inculpatam, secundum rectam rationem institutam, ita ut nihil divinis aut humanis legibus debeat; iustitia vero bonis operibus incumbere et virtuti operam dare, nam a bonis operibus homo iustus dicitur. Hinc Isaias ait: *Quiescite agere perverse, discite benefacere.*[28] Hinc eleemosyna appellatur iustitia ab Hebraeis et quod legimus apud Danielem: *Peccata tua eleemosynis redime,*[29] hebraice est *zedakah*; hinc quod Dominus ait: *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus;*[30] *Te autem faciente eleemosynam;*[31] hinc Michaeas ait: *Facere iudicium et diligere misericordiam.*[32] Significat igitur iustitia bonitatem vitae a sanctitatis et pietatis operibus. Hi sunt igitur fructus, quos a nobis requirit Dominus, ut iuxta ordinem iuris et caritatis vitam instituamus, declinando a vitiis et sanctis virtutibus operam dando.

24) Cf. Idc 15, 4-5. 25) Mt 21, 34. 26) 5, 7. Vulg.: *Expectavi.* 27) Ps 36, 27. 28) 1, 16-17. 29) 4, 24. 30) Mt 6, 1. 31) Ibid. vr. 3. 32) 6, 8.

Sed *expectavit*, inquit, *iudicium, et ecce iniquitas, miscpach*, humiliatio, oppressio, conculcatio, iniuria, cum nullus servatur iuris ordo secundum leges divinas humanasque; *iustitiam, et ecce clamor*, querimonia et querela eorum qui patiuntur iniurias et oppressionem ab iis a quibus levamen et solamen sperabant expectabantque.

Duae parabolae proponuntur: de vinea et de aedificio

V. *Homo erat paterfamilias*, etc. Duas parabolas habemus in hodierno Evangelio: alteram, et quidem primariam, de vinea, alteram vero veluti secundariam de aedificio: *Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli; a Domino factum*, etc.; *Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur, super quem vero ceciderit* lapis, *conteret eum.*[33] Sic Ieremias missus a Deo fuit ut aedificaret et plantaret;[34] sic item Paulus *ad Corinthios* ait: *Dei agricultura estis, Dei aedificatio estis.*[35]

et duplex metaphora: de Deo

Habet insuper duas alias metaphoras hodiernum Evangelium. Nam vinea haec appellatur hereditas: *Hic est heres: venite occidamus eum et habebimus hereditatem eius;*[36] itemque regnum: *Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius.* Depingit autem veluti vivis coloribus nobis Spiritus Sanctus in hoc Evangelio Deum, ipsum Christum Dominum nostrum et Sanctam Ecclesiam. Deum a titulis, nam appellat hominem patremfamilias, dominum vineae et regem:[37] *Auferetur a vobis regnum Dei.* Item a prudentia et providentia in vinea plantanda, munienda et exornanda; a patientia et longanimitate; tandem a severa iustitia: *Malos male perdet;* sive ab ipsis operibus, quae plurima assignantur, cognoscendus est.

et de Christo.

Christus similiter cognoscendus exhibetur a titulis. Appellatur enim filius unicus et carissimus patrisfamilias, ut apud Marcum est;[38] heres, lapis angularis et propheta: *Sicut prophetam eum habebant;*[39] item ab operibus, maxime vero obedientiae: misit eum pater in vineam, protinus venit: *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus esse se aequalem Deo... humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis;* sed lapis reprobatus factus est in caput anguli: *Propter quod et Deus exaltavit il-*

33) Mt 21, 42. 44. 34) Cf. Ier 1, 10. 35) 1 Cor 3, 9. 36) Mt 21, 38.
37) Ms.: *Dominus... rex.* 38) Cf. 12, 6. 39) Mt 21, 46.

lum.[40] Ponitur Christi humilitas, ponitur etiam exaltatio: *Qui ceciderit super lapidem hunc, confringetur,* haec humilitas Christi: *Super quem vero ceciderit, conteret eum,* haec exaltatio Christi, loquitur enim de adventu suo ad iudicandum.

Multa vaticinatus est Christus hodie de seipso, de Ecclesia,

Merito autem propheta Christus in hodierno Evangelio dicitur. Nam vaticinatus est de futura morte et passione sua, de reprobatione Iudaeorum, de vocatione et electione Gentium, quod vera Ecclesia, fides et religio apud Gentiles futura erat; ac tandem de sua exaltatione et gloria post passionem et mortem; nam: *Hic factus est in caput anguli,* princeps Ecclesiae per fidem; reprobatus a Iudaeis, acceptatus est a Gentilibus, tanquam verus Messias, Unigenitus Filius et heres Dei. Sic videmus, manifestissime videmus adimpleta haec omnia Christi vaticinia. Et tamen maxime magnum et severum de Iudaeis sumptum supplicium: *Malos male perdet.*

de Iudaeorum supplicio

et de finali iudicio.

His autem quattuor vaticiniis etiam quintum addit, de adventu ad iudicandum et conterendum peccatores, quod nondum adimpletum est, cum nondum venerit tempus: *Super quem... ceciderit* lapis, *conteret eum.* Sed ex veritate aliorum agnoscenda est veritas etiam huius timendumque ne super nos cadat hic lapis, qui contrivit statuam regnorum mundi huius,[41] nam *horrendum est incidere in manus Dei.*[42] Sicut enim vaticinatus est hodie Christus de perditione Iudaeorum: *Malos male perdet; Auferetur a vobis regnum Dei,* et de electione et salute Gentium, ita etiam vaticinatus est de salute iustorum et damnatione peccatorum in die iudicii.

Sic ostenditur verus propheta,

Sic ostenditur in hodierno Evangelio Christus verus propheta, Filius et heres Dei, princeps Ecclesiae divinitus factus: *Lapidem,* etc.: *A Domino factum est istud et est mirabile;* et tandem iudex mundi: *Super quem ceciderit* lapis.

cui nota sunt praeterita, praesentia et futura.

Advertendum autem propositam fuisse a Domino Iudaeis hanc parabolam, postquam pontifices et Pharisaei concilium contra eum collegerunt et decreverunt eum interficere, ne amitterent principatum populi.[43] Sic Dominus manifeste ostendit nota sibi esse secreta ipsorum consilia, propterea in parabola introducit agricolas simul collectos et dicentes: *Hic est heres; venite, occidamus eum et habe-*

40) Phil 2, 6-9. 41) Cf. Dn 2, 44. 42) Hebr 10, 31. 43) Cf. Io 11, 47-53.

bimus hereditatem eius. Sic ostendit Dominus prophetam se esse, cui nota sint omnia, et praeterita et praesentia et futura. Nam in parabola hac de praeteritis loquitur et de praesentibus et futuris: de praeteritis[44] quod Deus plantavit, etc.; de praesentibus, quod ipsi eum interficere cogitarent, et de futuris, quae iam expressimus quinque vaticinia.

VI. *Homo erat paterfamilias,* etc.[45] Cum hodiernum Evangelium multis mysteriis refertum sit, nec possimus omnia prosequi et enucleare, tria tantum videnda nobis sunt: primum quid vinea significet, secundum quid coloni, tertium quid fructus vineae tam optatus patrifamilias, ut illius causa etiam unicum filium exponat vitae discrimini.

Deus in mundo rex est, nihil ab eo accipiens, sed bona omnia ei conferens;

Vineam Isaias dixit domum Israel.[46] Hodie Dominus vineam dixit regnum Dei, hereditatem suam, aedificium Dei, idest multitudinem fidelium in professione et confessione fidei adunatam.[47] Ne autem, quoniam saepe Deus in Sacris Litteris rex appellatur, intelligeremus eum regem esse more aliorum regum, quorum auctoritas et potentia ab ipsis regnis pendet, cum alioqui ipsi homines sint sicut ceteri, Dominus regnum hoc Dei vineae, domui et familiae metaphoris expressit. Non enim[48] auctoritas domini vineae pendet a vinea, sed ab ipso omne bonum vineae, nam ipse plantavit, cinxit sepe, ornavit torculari et turri, locavit agricolis qui eam excolerent; nec in familia aut domo auctoritas patris a familia pendet, sed e contra. Ita non pendet Deus a creaturis, sed creaturae a Deo, sicut dies a sole, a quo etiam astra splendorem omnem habent. Ita rex Deus est in mundo sicut sol in caelo rex siderum est, nihil ab eis accipiens, sed dans omnem gloriam.

Ita Christus rex in Ecclesia.

Ita etiam Christus princeps et caput Ecclesiae est; non accepit ab Ecclesia auctoritatem aut dignitatem, sed dedit. Dicitur autem Ecclesia regnum Dei, sicut vinea Domini, quia ipse eam plantavit, servavit, possedit: *Nonne ipse est pater tuus, qui possedit te et fecit et creavit te?*[49] sicut etiam aedificium Dei.

44) Ms.: *De futuris,* loco: *De praeteritis.* 45) Ms.: *Non,* loco: *Nec.* 46) Cf. 5, 7.
47) Ms.: *Multitudo... adunata.* 48) Ms.: *Etiam,* loco: *Enim.* 49) Dt 32, 6.

Insinuatur autem hic unitas Ecclesiae simulque eam esse regnum Dei et monarchiam visibilem, manifestam, sicut olim erat synagoga una et visibilis monarchia.

Agricolae sunt rectores Ecclesiae;

Agricolae sunt quos explicat Evangelista: *Cognoverunt principes sacerdotum et Pharisaei quod ad ipso diceret parabolam.* [50] Non potest esse vinea sine agricolis, navis in mari sine nautis, exercitus sine ducibus, grex sine pastoribus; sic nec Ecclesia absque sacerdotibus et principibus sacerdotum, qui tamen erant omnes sub uno monarcha, summo pontifice. Sic omnis sacerdotalis ordo et honor a synagoga translatus est in Ecclesiam: [51] *Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius; Vineam suam dabit aliis agricolis.*

fructus quos Deus expectat a vinea hac est salus animarum.

Fructus autem, cuius causa plantata vinea est, et cuius causa missi sunt plures servi ac tandem filius unicus et carissimus, ab Isaia dictus est *uva,* explicatius iudicium et iustitia; in hodierno Evangelio fructus vineae postea dictus est fructus regni: *Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius.* Fructus autem, quos rex percipit a regno, sunt honor cultusque, obedientia et census ac tributa. Ego vero uno dicam verbo, salus est animarum. Ad quid plantavit Deus Ecclesiam, dedit legem, instituit sacerdotium et sacrificia, misit Prophetas et tandem unicum Filium suum? Propter salutem animarum. Hanc hodie Deus praeferre quodammodo videtur honori suo et saluti unici Filii sui, quae duo sunt maximi momenti in rege, ubi agitur de maiestatis honore vel de salute unici filii. Non plus ultra. Deus autem hodie multa sustinet crimina laesae maiestatis, multas iniurias, nam primum servum caeciderunt, alterum lapidaverunt, tertium occiderunt, alios missos peius tractarunt, quousque et ventum est quod patientia saepius irritata veluti in furorem versa est: *Malos male perdet.* Sed caritas Deum tam ferentem ac sustinentem facit. [52]

50) Mt 21, 45. 51) Ms.: *In Ecclesia.* 52) Sequenti pagina alba relicta, ponitur inscriptio: « Sabbato infra hebdomadam 2 Quadragesimae », sed quattuor aliis foliis albis relictis, transit ad Dominicam sequentem.



Auctor ignotus — In Conventu Cap. Schledi (Vicetiae)

Photo A. Piovesan - Patavii

DOMINICA TERTIA QUADRAGESIMAE

Erat Iesus eiiciens daemonium et illud erat mutum. Et cum eiecisset daemonium, locutus est, etc. [1]

Ostenditur hodie Christus divinus exorcista,

I. Mirabilis ac plane divinus exorcista ostenditur hodie Christus, sicut David sono citharae expellens spiritum nequam a Saul. [2] Mirabilis exorcista David, quoniam homo erat secundum cor Dei, forma pulcherrimus, viribus et corporis et animi fortissimus, [3] electus in regem potentissimum et prophetam sanctissimum; sed multo mirabilior Christus, Davidis non tantum filius, verum etiam Dominus: *Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis.* [4]

et quidem saepe exorcistam egit.

Saepe Dominus egit exorcistam. Marcus [5] et Lucas Evangelistae a daemonum eiectione sumunt initium enarrandi miracula Christi, quod in synagoga hominem a spiritu immundo liberavit magna cum spectatorum admiratione et stupore: *Quod est hoc verbum, quia in potestate et virtute imperat immundis spiritibus et exeunt?* [6] Postea vero, cum ingressus in domum Simonis, socrum ipsius curasset a febre innumerosque alios a languoribus, multos etiam a daemonibus liberavit: *Exibant daemonia a multis clamantia et dicentia: quoniam tu es Filius Dei.* [7]

Specialiter tamen octo homines legimus a spiritibus liberatos: duo homines in regione Gerasenorum, in quibus erat daemonum legio, [8] unus mutus, [9] alter caecus et mutus, [10] homo lunaticus, quem Apostoli curare non potuerunt, [11] homo habens spiritum immun-

1) Pericope huius diei Lc 11, 14-28. Cf. Missale Rom. 2) Cf. 1 Rg 16, 23. 3) Cf. ibid. 13, 14; 16, 12; 17, 34-36. 4) Ps 109, 1. 5) Cf. 1, 23-39. 6) Lc 4, 36. 7) Ibid. vr. 41. Vulg.: *Quia tu es,* etc. 8) Cf. Mt 8, 28-32. 9) Cf. ibid. 9, 32-33. 10) Cf. ibid. 12, 22. 11) Cf. ibid. 17, 14-17.

dum, in synagoga,[12] mulier inclinata, habens spiritum infirmitatis, quam alligaverat satanas,[13] et Magdalena, a qua septem daemonia exierant.[14]

Messias venturus erat ut esset exorcista.

II. Ad hoc venturus erat Messias in mundum, ut esset optimus exorcista. Sicut enim Divinus Vates Zacharias ait: *Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum: disperdam nomina idolorum de terra et non memorabuntur ultra, et pseudoprophetas et spiritum immundum auferam de terra;*[15] hinc Dominus ait: *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras,*[16] et: *Princeps huius mundi iam iudicatus est,*[17] quod etiam hodie dixit: *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quae possidet. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma eius auferet, in quibus confidebat, et spolia distribuet,*[18] sive, ut Matthaeus habet: *Quomodo potest quisquam in domum fortis intrare et vasa eius diripere, nisi prius alligaverit fortem?*[19] Hoc est quod per Isaiam Dominus ait: *Accelera, spolia detrahe, festina praedari;*[20] hinc etiam ait Dominus hodie: *Si in spiritu Dei eiicio daemonia, profecto pervenit in vos regnum Dei.*[21] Si in spiritu Dei, in flatu Dei, in digito Dei, si facillime eiicio daemonia eo modo quo Deus ipse, profecto Messias iam venit, ego sum Messias, qui Messiae opera praesto.

Deus sinit homines a satana vexari ut cognoscant eius potentiam

Tria autem dixit Zacharias quae facturus erat Messias: destructurus idola, ablaturus pseudoprophetas, idest vates gentium spiritu daemonum afflatos, et tandem ablaturus spiritum immundum, expulsurus satanam ab hominum tum animabus tum corporibus. Quod si adhuc etiam multos videmus a daemonibus vexatos, hoc egit Dominus ad exercitationem fidelium, sicut olim multos Chananaeorum reliquit in terra promissionis ad exercendos Hebraeos, ut scirent et experirentur quam potentes erant nationes illae, a quibus Dominus terram abstulit, quam contulit Hebraeis;[22] sic nos experimur quam sint daemones hominibus potentiores.

12) Cf. Lc 4, 33-36. 13) Cf. ibid. 13, 11-16. 14) Cf. ibid. 8, 2. 15) 13, 2. 16) Io 12, 31. 17) Ibid. 16, 11. 18) Lc 11, 21-22. Vulg.: *In pace sunt ea quae*, etc. 19) 12, 29. 20) 8, 3. Vulg.: *Accelera spolia detrahere*, etc. 21) Lc 11, 20. Vulg.: *Si in digito Dei*, etc. 22) Cf. Idc 2, 3. 20 sqq.; 3, 1-5.

Facit etiam daemonibus facultatem vexandi corpora, in testimonium et argumentum fidei nostrae, nam ad Christi vocem daemones contremiscunt et vi nominis Christi coacti, eiulantes et clamantes exeunt inviti. Praeterea ad demonstrandum immane odium quo daemones contra humanum genus affecti sunt et ad repraesentandam veluti imaginem futurorum malorum, quae peccatores in inferno a daemonibus manent. Praeterea ad dignoscenda in obsessis tanquam in speculo spiritualia mala, quae spiritus nequam in anima operatur. Et tandem ad exercendam fidelium patientiam augendamque meritorum coronam, licet aliquando etiam in poenam peccatorum, sicut Paulus corinthium illum peccatorem tradidit satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus fieret in adventum Domini.[23] et veritatem fidei nostrae.

III. Divinus exorcista Christus, qui daemones tum a corporibus tum etiam et quam maxime ab animabus expellit. Hinc hodie, cum eiecisset daemonium a corpore huius obsessi, satagit ab animabus et cordibus scribarum et Pharisaeorum expellere. Cum enim a satana obcaecati dicerent: *In Beelzebub principe daemoniorum eiicit daemonia,*[24] Dominus, ad convellendum satanicum hunc errorem et ab eorum cordibus radicitus evellendum, rationibus agit cum eis et post rationes naturam immundi spiritus declarat. Vere divinus exorcista Christus, qui daemones a corporibus animabusque expellit

Exorcista divinus ostenditur hodie Dominus, qui Spiritu Dei, idest solo nutu voluntatis, eiicit daemonia, ipsis longe potentior. Sicut enim Moyses Pharaonem vicit,[25] Iosue Amalec et Chananaeos,[26] Samson Philisthaeos,[27] David Goliam,[28] sicut virga Moysi serpentes magorum devoravit,[29] serpens aeneus ignitos serpentes superavit,[30] arca Domini Dagonem de loco suo deturbatum in terram deiecit capite manibusque truncatum,[31] ita Christus satanam vicit. solo nutu voluntatis.

In hodierno Evangelio duo vel maxime elucent: unum quidem, quam sit Christus humani generis Salvator, amator, vere philanthropos; alterum vero, quam sit daemon hominum perditor et osor, Hinc elucet summus Christi amor

23) Cf. 1 Cor 5, 1-5. 24) Lc 11, 15. 25) Cf. Ex 14, 21 sqq. 26) Cf. Ios 12, 1 sqq. 27) Cf. Idc 16, 23 sqq. 28) Cf. 1 Rg 17, 31-51. 29) Cf. Ex 7, 10-12. 30) Cf. Nm 21, 6-9. 31) Cf. 1 Rg 5, 1-5.

et summum odium diaboli erga hominem,

vere misanthropos; hinc enim satanas, idest adversarius, inimicus appellatur. In Sacris autem Litteris nil magis praedicatur quam Dei erga nos amor, daemonis autem odium ab initio, in paradiso.

et quam potentior Christus sit satana.

Ut autem sciamus quam sit Dei in nos amor utilis et quam perniciosum satanae odium, ostenditur in hodierno Evangelio tum Christi tum satanae potentia et robur supra humanas vires. Satanas dicitur *fortis armatus,* Christus autem *fortior;* satanas princeps daemonum et rex: *Si satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum eius?* [32] idest quomodo potest esse stabile? Christus item rex: *Si in digito Dei eiicio daemonia, profecto pervenit in vos regnum Dei.* In Divinis autem Litteris cum Christi tum etiam satanae manifestissima potentia est; Christi autem multo maior quam satanae: *Ipse conteret caput tuum;* [33] Christi potentia in Moyse, Iosue, Samsone, David; satanae in Pharaone, Amalec, exercitu Philisthaeorum, Golia gigante praefigurata est.

Satanas potentissimus est, quia natura angelus.

Satanae potentia in historia Iob vel maxime manifesta est [34] et in Angelo nocturno percutiente Aegyptum. [35] Magna potentia Angeli patuit in devastatione exercitus Sennacherib; [36] unus Angelus potentior est quovis exercitu. Quilibet autem daemon natura angelus est, satanas autem princeps daemonum: *In Beelzebub principe daemoniorum eiicit daemonia.* Ipse Og est, fortissimus gigas, rex Amorrhaeorum; [37] non est potestas [maior] super terram, hinc leo appellatur, etc. [38]

II. ALIA HOMILIA

Christus et satanas duo principes potentissimi sunt,

I. Proponitur in hodierno Evangelio magna anthipatia inter Christum et satanam, sicut inter lucem et tenebras, diem et noctem, aestatem et hiemem, solem et terram, sicut inimicitia inter duos reges belligerantes; nam satanas hodie rex dicitur: *Si satanas in*

32) Lc 11, 18. 33) Gn 3, 15. Ex hebraico. 34) Cf. Iob 1. 12-19; 2, 7-8. 35) Cf. Ex 12, 29-30. 36) Cf. 4 Rg 19, 35. 37) Cf. Dt 3, 11. 38) Cf. 1 Petr 5, 8.

seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ipsius? [1] Rex autem fortis, potens et armatus: *Cum fortis armatus custodit atrium suum.* [2] Christus autem rex est - *Si in digito Dei eiicio daemonia, profecto pervenit in vos regnum Dei* [3] - satana multo potentior: *Cum autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma eius auferet et spolia distribuet.* [4] Hinc ostenditur hodie potentia Christi contra satanam, sicut potentia virgae Moysi contra serpentes magorum, [5] imo sicut potentia ipsius Moysi contra Pharaonem et Aegyptum universum, [6] sicut potentia serpentis aenei contra potentiam ignitorum serpentum, [7] sicut potentia Samsonis contra Philisthaeos, [8] sicut potentia arcae Domini contra Dagonem, [9] sicut potentia David contra Goliam gigantem fortissimum et armatissimum, [10] tandem sicut potentia Iosue contra Chananaeos, [11] quos tamen non penitus delevit, sed Dei monitu in exercitium Hebraeorum ex illis nationibus multos reliquit, contra quos Hebraei bella gessuri erant, ne otio marcerent. [12]

sed potentior Christus satana;

Nec tantum duo principes potentes quidem sed inimicissimi ab origine mundi, ex quo Christus satanam de caelo eiecit, proponuntur nobis in hodierno Evangelio, sed etiam duo principia prorsus contraria: principium bonorum omnium et principium omnium malorum. Non loquor cum Manichaeis, qui duo constituebant principia: alterum quidem bonorum, alterum vero malorum, duos deos, duas primas causas; [13] loquor cum Christo, qui duas ponit arbores: alteram bonam, quae facit fructus bonos et non potest fructus malos [facere]; alteram malam, quae fructus malos facit, nec potest bonos facere. [14] In mundo hoc videmus principium omnis lucis atque diei, solem, principium vero tenebrarum et noctis, terram; ita Christus auctor est humano generi omnium bonorum, satanas autem omnium malorum. Infelici huic homini quid non mali fecerat satanas? Mentem ademerat, visum, auditum, linguae usum abstulerat, monstrum reddiderat miserandae infelicitatis, vexabat eum et male torquebat. [15] Dominus autem erga eum misericordia motus, potenti vir-

duo sunt principes sibi invicem inimicissimi,

Christus enim principium est omnium bonorum, satanas omnium malorum.

1) Lc 11, 18. 2) Ibid. vr. 21. 3) Ibid. vr. 20. 4) Ibid. vr. 22. 5) Cf. Ex 7, 10-12. 6) Cf. ibid. 14, 21 sqq. 7) Cf. Nm 21, 6-9. 8) Cf. Idc 16, 13 sqq. 9) Cf. 1 Rg 5, 1-5. 10) Cf. ibid. 17, 31-51. 11) Cf. Ios 12, 1 sqq. 12) Cf. Idc 2, 3. 20 sqq.; 3, 1-5. 13) Cf. S. Augustinus *De Haeresibus*, haer. 46, (P. L. 42, 34-38). Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symbolorum*, n. 707. 14) Cf. Mt 7, 18; Lc 6, 43. 15) Cf. Mt 12,22.

tute liberat a satana, mentem, visum, auditum, loquelam donat magno divinoque miraculo: *Et admiratae sunt turbae.*[16]

Multos malos effectus satanae legimus in obsessis,

II. Videamus horum principiorum ac causarum effectus contrarios. In divina historia Evangelii multos legimus daemonum effectus in energumenis, praeter hos quos operatus fuerat in daemoniaco isto auferens ei visum, auditum, usum linguae et libertatem, quae, ut ille ait,

«Non bene pro toto venditur auro»;[17]

daemon filiam chananitidis male torquebat;[18] aliam mulierem adeo inclinaverat, ut sursum omnino respicere non posset;[19] puerum illum, quem Apostoli liberare non potuerunt, nunc in aquam, nunc in ignem mittebat ut perderet eum;[20] alteri mentem omnino ademerat vestibusque spoliatum adegerat, ut in desertis et montibus seipsum lapidibus concideret, ut in monumentis habitaret, ut transeuntes laederet, ut nullis catenis domi aut civitate vinctus teneri posset. Cum autem Dominus miserum a legione liberasset, vestitus manebat et sana mente.[21]

Sic daemonum natura indicatur et quibus rebus delectentur, morte, inquam, nuditate et nocumentis hominum. Privat etiam homines sanitate, nam legimus mulierem habentem spiritum infirmitatis, *quam*, ut Dominus ait, *alligavit satanas*[22] eamque septem annis sic ligatam detinuit. Haec sunt opera satanae in obsessis hominibus. Christus autem, ut Ioannes ait, in hoc apparuit, *ut dissolvat opera diaboli;*[23] et Petrus ait quod Christus *pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo.*[24]

ut patet speciatim in daemoniaco hodierno.

Ut autem summatim dicam, satanas hunc hominem sanitate privavit, libertate, mente, visu, auditu, usu linguae. Haec autem omnia agit in spiritu: destituit hominem sanitate gratiae bonisque omnibus expoliat, aufert libertatem spiritus, nam *a quo quis victus est, illius et servus est;*[25] *Qui facit peccatum, servus est peccati;*[26] adimit men-

16) Lc 11, 14. 17) *Fabulae Aesopianae*, fab. 54, *De cane et lupo*, interprete Gualtero Anglico. Hervieux *Les Fabulistes Latins*, vol. 2, pag. 344. 18) Cf. Mt 15, 22. 19) Cf. Lc 13, 11. 20) Cf. Mt 17, 14-15; Mc 9, 16-17; Lc 9, 38-40. 21) Cf. Mt 8, 28-32; Mc 5, 2-13; Lc 8, 27-33. 22) Lc 13, 16. 23) 1 Io 3, 8. 24) Act 10, 38. 25) 2 Petr 2, 19. Vulg.: *A quo quis superatus est, huius et servus est.* 26) Io 8, 34.

tem ardentibus cupiditatum facibus; hominem ad insaniam usque exagitat; dementat homines ut more bestiarum vivant, sensus tollit spiritaliores. Petrus ait quod *tanquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret.*[27] Sed delicatioribus corporis partibus delectatur, oculis, auribus, lingua. Videant qui capita sunt, oculi, aures, lingua, manus reipublicae, et sciant quod eorum pernicie daemon maxime delectatur.

Satanas origo est malorum omnium in mundo, quoniam ipse auctor peccati, sic enim: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors, et sic in omnes homines mors pertransiit.*[28] Non induxit autem hominem nec impulit in peccatum cogendo, sed alliciendo, persuadendo, avertendo a divinis ad sensibilia. Satagit ut circa divina menti hominum scrupulum aliquem aut dubitationem iniiciat, nam si hoc obtinuerit, totum ei successit pro voto. Iniecit menti mulieris nonnullam dubitationem circa divina, de ligno scientiae: *Ne comedas; in quocumque enim die comederis... morte morieris.*[29] Eva autem, cum a serpente audisset: *Cur praecepit vobis Deus,* etc., ait: *Ne forte moriamur;* tunc satanas: *Nequaquam moriemini;*[30] sic victoriam reportavit. Caput hominis, idest mentem, et fidem petit satanas, usum oculorum, aurium et linguae quam maxime impetit satanas, quoniam visus et auditus cognitioni deserviunt, lingua autem rationis et mentis instrumentum est. Ex loquela vel maxime cognoscitur ratio, hinc bruta animalia, cum ratione careant, loqui non possunt, muta sunt surdaque persuasionibus. Rationalem vitam et salutarem scientiam, auditum fidei et cognitionem Dei quam maxime odit, propterea haec instrumenta impetit. Hominis huius mala omnia in capite erant, reliquo corpore sanus erat; modo caput mentis male habeat, cetera satanas non curat. Apud Habacuc legimus quod *cibus* satanae *electus* est:[31] pascitur cerebro, oculis, auribus, lingua, etc.

Satanas origo est malorum, quia auctor peccati.

III. Ostenditur in hodierno Evangelio magna potentia Christi magnumque odium contra satanam, et magna item potentia ma-

27) 1 Petr 5, 8. 28) Rom 5, 12. Vulg.: *In hunc mundum intravit... et ita in omnes,* etc.
29) Gn 2, 17. 30) Ibid. 3, 1. 3-4. 31) 1, 16.

Ostenditur hodie magna satanae potentia et odium in hominem,

gnumque odium satanae contra hominem, qui imago Dei est, in odium ipsius Dei. Appellatur hodie satanas princeps daemoniorum, rex fortis armatus;[32] nec tamen propterea odit eum Christus invidia motus eius magnitudinis, sicut ipse satanas invidia motus tentavit hominem. Animus enim vere magnus, vere principis, non patitur viles has sordidasque indignationes, nam obiectum odii malum est non bonum, sicut obiectum amoris bonum non malum. Odit Christus satanam, quia malum.

ideo dicitur simpliciter malus,

Et quidem in Divinis Litteris simpliciter dicitur *malus*: *Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo,*[33] idest a diabolo; *Venit malus et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant,*[34] idest venit diabolus. Dicitur simpliciter *malus;* non quia naturam non habeat bonam et a Deo cum ceteris Angelis creatam, sed quia voluntate malus a seipso factus causa fuit omnis mali in mundo, omnis peccati et omnis poenae in punitionem peccati. Hinc appellatur hodie spiritus immundus: *Cum immundus spiritus exierit ab homine;*[35] spiritus nequam: *Vadit et assumit secum septem alios spiritus nequiores se... et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus.*[36] Spiritus immundus Deo odibilis, propterea a caelo fuit eiectus; spiritus nequam, inimicus Dei et inimicus hominis, qui est imago Dei.

et talem se ostendit ab initio:

Talem se ostendit ab initio, cum primos parentes tentavit in paradiso: inimicum Dei, quia Deum Optimum Maximum animo iniquissimo calumniatus fuit et blasphemavit: *Nequaquam moriemini, scit enim Deus quod,* etc.,[37] inussit Deo iniuriam mendacii et invidiae vel malevolentiae; inimicum autem hominis, dum invidia motus, videns talem tantamque hominis gloriam in paradiso, eum in peccatum impulit, ut iram Dei et mortis perpetuaeque damnationis sententiam incurreret. Inimicus Dei est, quoniam cum princeps mundi huius et rex appellatur, non naturalis est rex, sed tyrannus, iniustissimus usurpator regni Dei et perpetuus eiusdem regni Dei impugnator. Sed cum Deo nocere non possit, altissimae et infinitae maiestati, sicut nec umbra terrae soli, homini nocet sicut umbra

32) Cf. Lc 11, 15. 21. 33) Mt 6, 13. 34) Mt 13, 19; Lc 8, 12.
35) Lc 11, 24; Mt 11, 43. 36) Ibid vr. 26. 37) Gn 3, 4-5.

terrae aliquando lunam obscurat; sic infelicem hunc hominem multis malis affecit, quem sanitate, libertate, mente, visu, auditu, usu linguae in eum ingressus privavit. Sic gravissima tyrannide mundum premebat, nam quaecumque in daemoniaco isto corporaliter facta sunt, in mundo fere toto spiritualiter effecit, privans visu cognitionis Dei, auditu obedientiae et loquela confessionis laudisque divinae. Patet in philosophis, poetis, historicis ethnicis.

cum enim nequeat Deo nocere, homini maxime nocere studet.

IV. Cum igitur satanas talis ac tantus esset humani generis inimicus, persecutor, perditor, venit Christus ad eum impugnandum et expugnandum; sic: *Erat eiiciens daemonium,... et cum eiecisset daemonium, locutus est mutus et admiratae sunt turbae.*[38] Pugnavit autem contra satanam Dominus armis potentiae: *Fortior eo superveniens vicerit eum;*[39] armis sapientiae, dum hodie sapientissimis rationibus agit contra scribas et Pharisaeos, probans se non in Beelzebub principe daemoniorum, sed in digito Dei eiicere daemonia; ac tandem armis benignitatis et bonitatis, dum talibus tantisque beneficiis sola pietate motus daemoniacum curat et sanat. Sic enim aeneus serpens, qui hebraice *seraph* dictus est, contra serpentes ignitos visus est pugnasse, nam erat in eo aeris potentia, serpentis figura, est autem serpens prudentiae et sapientiae hieroglyphicum, ac tandem ardor ignis, qui symbolum est divinae caritatis.[40] His armis Christus munitus satanam, communem humani generis hostem, impugnavit et potenter expugnavit: *Cum eiecisset daemonium,* nam in eo quod ait: *Erat eiiciens daemonium,* pugna describitur, sicut inter Davidem et Goliam,[41] inter duos fortes potentesque heroas: *Dum fortis armatus,* et: *Fortior eo superveniens.* Sed cum ait: *Cum eiecisset daemonium,* victoria designatur: *Vicerit eum, arma auferet... spolia distribuet.*[42] Hinc veluti victoriae triumphum accipit, dum mulier, Divino Spiritu acta atque afflata, de medio turbarum extollit vocem dicens: *Beatus venter qui te portavit et ubera quae suxisti,*[43] quod plane divinum fuit encomium.

Venit Christus ad satanam expugnandum armis potentiae, sapientiae et caritatis.

Erat Iesus eiiciens daemonium. Princeps paradisi pugnabat con-

38) Lc 11, 14. 39) Ibid. vr. 22. 40) Cf. Nm 21, 9. 41) Cf. 1 Rg 17, 41-51. 42) Lc 11, 22. 43) Ibid. vr. 27.

Diabolus caecos, surdos et mutos reddit homines.

tra principem inferni, princeps Angelorum contra principem daemonum. Satanas autem, ut princeps, ducere vult principis vitam. Principis est habitare in munita arce, in honesto ornatoque palatio: *Dum fortis armatus custodit atrium suum, invenit* domum *scopis mundatam et ornatam;*[44] ut plurimum domus nimium ornata satanae domus est; qui pompis et vanitatibus mundi delectantur, non Dei sed satanae spiritu ducuntur. Est etiam principis splendide epulari, cibis delicatissimis vesci; daemon autem hominis huius oculis, auribus, lingua vescebatur. Principis est servos habere sua ipsius stemmata gestantes signaque, taxillatis vestibus; signa autem satanae sunt caecitas, surditas, impedimentum linguae.

Erat eiiciens daemonium. Non dicit: eiecit daemonium, sed: *Erat eiiciens,* insinuans quod mora aliqua usus est Dominus ad curandum hunc daemoniacum, nam est genus quod *non eiicitur, nisi in oratione et ieiunio.*[45] Cum daemon victus est, cum non facile quis peccatum confitetur, mora opus est.

Hodie Dominus miraculis et rationibus fidem suam roborat;

V. *Erat eiiciens daemonium.* Hodie Dominus, cum hominem a daemonio corporaliter obsessum curasset, satagit curare obsessos in spiritu, scribas et Pharisaeos, qui satanae spiritu afflati dicunt: *In Beelzebub principe daemoniorum eiicit daemonia.*[46] Hinc multis rationibus Dominus eos convincit, ut respondere non possent. Quare Dominus hodie et miraculis et rationibus fidem suam communit et roborat. Sic fides Christi partim quidem miraculis divinisque operibus maximo hominum beneficio, partim vero sapientissimis rationibus plantata est crevitque maximam in arborem in mundo.

ostendit etiam miserandum statum eorum qui a fide vel virtute defecerunt.

Cum immundus spiritus exierit, etc. Ostendit Dominus malos christianos, qui aliquando, Spiritu Sancto in Baptismo suscepto, boni extitere, multo peius abituros quam infideles, qui nunquam Christi fidem suscepere; nam si daemon domo pulsus iterum redit, *assumit septem alios spiritus nequiores se et ingressi habitant ibi, et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus.*[47] Deo enim maxime disciplicuere Hebraei, qui, mari Rubro transmisso et caelesti

44) Ibid. vr. 25. 45) Mt 17, 20; Mc 9, 28. 46) Lc 11, 15. 47) Ibid. vr. 26.

manna gustata, memores carnium Aegypti et mannae fastidio affecti, in Aegyptum reverti voluerunt,[48] de quibus Regius Vates ait, quod *conversi sunt in arcum pravum,*[49] qui distortus est, qui manui sagittantis non obedit, et si rigidius tendatur, vel rumpitur suo impetu vel deteriorem suscipit formam. De his Petrus ait, quod melius erat viam Dei non agnovisse;[50] de his Paulus, quod impossibile est eos ad poenitentiam reverti,[51] idest supra modum difficile. Sic ostendit Dominus quod status eorum, qui boni aliquando fuerunt et mali fiunt, sumne periculosus est, qualis est status apostatarum a fide, a religione, a regularibus institutis, sicut et Augustinus ait Epistola 137 se non meliores vidisse iis, qui in monasteriis profecerunt, neque peiores iis qui a monasteriis defecerunt,[52] nam, ut Paulus ait: *Voluntarie peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, non relinquitur hostia pro peccatis,*[53] idest vix ullum est iis remedium ad salutem.[54]

III. ALIA HOMILIA

Erat Iesus eiiciens daemonium, etc. [1]

I. Duo sunt nobis consideranda in hodierno Evangelio: alterum est historia, alterum vero mysterium. Quoad historiam ostendit Dominus potentiam suam contra daemonem: fortior contra fortem armatum; nec tamen opus ei fuit omnes exerere vires, utraque uti manu, aut potenti brachio, digitus tantum suffecit: *Si in digito Dei eiicio daemonia.*[2] Ostendit bonitatem erga daemoniacum, nam misericordia motus super eum, a nemine rogatus, contulit ei optatissimum salutis beneficium et undequaque perfectum, nam: *Cum eiecisset daemonium, locutus est mutus et admiratae sunt turbae.*[3] Non enim daemonem tantum eiecit et mutum, surdum caecumque reliquit, aut

Quoad historiam ostenditur hodie potentiam Christi supra daemonem

48) Cf. Nm 11, 1 sqq. 49) Ps 77, 57. 50) Cf. 2 Petr 2, 21. 51) Cf. Hebr 6, 4-6.
52) Iuxta Migne epist. 78, (P. L. 33, 272). 53) Hebr 10, 26. Vulg.: *Pro peccatis hostia.*
54) Reliqua parte paginae alba relicta, prosequitur alio atramento clariori.

1) Lc 11, 14. 2) Ibid. vr. 20. 3) Ibid. vr. 14.

loquelam praestitit, non autem auditum et lumen oculorum, sed omne malum depulit omnemque optatam salutem praestitit: *Dei* enim *perfecta sunt opera:* [4] *Totum hominem sanum feci;* [5] sic enim in piscina sanabatur homo *a quacumque detinebatur infirmitate.* [6] Tandem ostendit divinam sapientiam suam contra scribas et Pharisaeos calumniatores miraculi, ita ut illos convicerit, adeo ut, parta ex eis gloriosa victoria, habuerit triumphale encomium: *Extollens vocem quaedam mulier de turba dixit: beatus venter qui te portavit.* [7] Sic arca Dei deturbavit de loco suo Dagon deum Philisthaeorum. [8]

eiusque bonitas et divina sapientia;

Quoad mysterium autem proculdubio hodiernum miraculum symbolum extitit iustificationis hominis peccatoris. Miracula enim, quae operabatur Dominus, et miracula erant et mysteria, quia opera erant non solum potentiae, verum etiam sapientiae Dei; miracula erant circa corpora, mysteria circa animas, salus enim corporis animae designabat salutem. Non enim Christus in mundum venit pro salute corporum, sed animarum: *Salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* [9] Sicut autem circa corpora Dominus vera operabatur, non ficta miracula, veram tribuebat infirmis sanitatem, caecis lumen, mortuis vitam, ita veram etiam operabatur animarum salutem, veram tribuebat spiritus sanitatem.

quoad mysterium symbolum habemus iustificationis peccatoris.

II. Quid igitur inquiunt novatores haeretici de imputativa iustitia? Quod Deus non confert homini veram iustitiam et sanctitatem, sed tantum imputativam, quod ex Christi meritis credentes, mali cum sint et peccatores, iustos reputat? Veluti si quis colorata super oculos habeat conspicilla, eodem colore infecta iudicabit quaecumque viderit, cum tamen revera talia non sint, sed deceptio visus est ex medio. Sed dico: Quid igitur? Decipitur Deus? Hallucinantur divini oculi? Ubi illud est: *Iustus es, Domine, et rectum iudicium tuum?* [10] Ubi quod *iudicium Dei est secundum veritatem?* [11] Ubi quod Paulus hodie ait: *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino?* [12] An fictum discrimen est inter lucem et tenebras? inter

Refutantur novatores de iustitia imputativa delirantes.

Iustitia, quam per Christum adipiscimur, nos vere iustos constituit,

4) Dt 32, 4. 5) Io 7, 23. 6) Ibid. 5, 4. 7) Lc 11, 27. 8) Cf. 1 Reg 5, 1-5. 9) Mt 1, 21. 10) Ps 118. 137. De hac novatorum sententia de iustitia imputativa cf. S. Laurentius a Br. *Hypothyposis*, part. 2, pag. 285-288; S. Bellarminus *Controversiae*, t. 4, *De Iustificatione*, lib. 1, cp. 1, col. 776-778. 11) Rom 2, 2. 12) Eph 5, 8.

diem et noctem? *Ut filii lucis,* inquit, *ambulate; fructus enim lucis est in omni... iustitia* et sanctitate *et veritate;* [13] et alibi: *In iustitia et sanctitate veritatis,* [14] idest in vera sanctitate. Quomodo ergo fictam sanctitatem, fictam iustitiam praedicant? Larvam sanctitatis, hypocrititiam sanctitatem, quam Dominus summopere odit?

quia per infusionem gratiae peccata vere delentur,

Aiunt doctrinam esse Regii Vatis, qui ait: *Beati quorum remissae sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata.* [15] Si tecta sunt, inquiunt, non vere sunt ablata. Sed cum aer suapte natura obscurus sit, cum caelitus illuminatur, profecto tegitur naturalis eius obscuritas. Ergo non est vere illuminatus? fictum est lumen quod in eo est? Cum lana alba colore aliquo inficitur, tegitur naturalis color illius; num igitur vere non erit lana rubra, coccinea, purpurea, colorata? Si non vere iustificatur homo et purificatur a peccato, quomodo ait: *Asperges me,* Domine, *et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor?* [16] Quomodo Paulus docet venisse Christum ad erudiendum nos, *ut abnegantes impietatem et saecularia desideria,* etc.? [17] et quod tradidit *semetipsum pro nobis, ut nos eriperet ab omni iniquitate et mundaret sibi populum acceptabilem,* etc.? [18]

Christus enim non fuit fictus iustificator et sanctificator.

Dogma hoc novatorum hoc docet, quod omnes Christi fideles, sancti omnes, ipsi etiam Apostoli, revera vitiis et sceleribus pleni extitere, fictis autem virtutibus et sanctitate fallaci; [19] quod Christus fictus fuit iustificator et sanctificator, fictus sol iustitiae, quod non revera *de plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia,* [20] quod ficte et non revera dedit nobis Spiritum Sanctum divinamque caritatem, et quod Pharisaei, capitales inimici Christi, praedicabant de externis Christi miraculis, hoc ipsum haeretici de internis.

Sicut revera Christus hunc daemoniacum liberavit,

III. Doctrina autem catholica id quod credit de externis Christi miraculis in salutem corporum, quod vera extitere miracula divinitus operata, hoc ipsum tradit de internis miraculis in salutem animarum. Quare sicut Dominus hodie revera hominem hunc corpore

13) Ibid. vr. 9. 14) Ibid. 4, 24. 15) Ps 31, 1. 16) Ps 50, 9. 17) Tit 2, 12. 18) Ibid. vr. 14. Vulg.: *Ut nos redimeret,* etc. 19) Cf. S. Bellarminus op. cit., t. 4, *De Iustificatione,* lib. 4, cp. 1, col. 888; cp. 10, col. 917. 20) Io 1, 16.

liberavit a daemone, visu, auditu et loquela donavit, ita etiam spiritu a vitiis et peccatis mundatum iustificavit et sanctificavit. Hinc hominem ab immundo spiritu liberatum appellat domum scopis mundatam et ornatam;[21] per metaphoram loquitur de duabus partibus legalis iustitiae: *Declina a malo et fac bonum,*[22] quatenus excludit omne vitium et omnem amplectitur virtutem; scopis mundatam quoad vitia, ornatam quoad virtutes. Spiritus enim Sanctus purgat animam a sordibus vitiorum, ornat autem caelestibus virtutibus ac divinis charismatibus. Num domus immunda ac sordibus plena videri potest sanis oculis absque praestigio mundata et ornata? Sic nec homo peccator et sordibus vitiorum scatens, iustus videri potest coram Deo.

sic revera gratia Spiritus Sancti peccatorem iustificat.

Hinc tandem Dominus, ut ostendat hodie in quo vera salus consistat, ait: *Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud;*[23] non ait tantum: *Beati qui audiunt verbum,* idest qui credunt, sed adiunxit: *Et custodiunt illud. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores;*[24] *qui* enim *auditor est verbi et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suae in speculo,* etc.[25]

Ad salutem necessaria est legis observantia.

Sic igitur in hodierno Evangelio praeter historiam habemus etiam mysterium. Nam corporale hoc miraculum extitit symbolum, imo viva imago iustificationis peccatoris, de qua Dominus ait de humili publicano verba faciens: *Descendit hic iustificatus in domum suam ab illo;*[26] et Regius Vates: *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis... et spiritum sanctum tuum ne auferas a me,* idest ne prohibeas, *et spiritu principali confirma me.*[27] Divinum Spiritum postulat, quo divina diligat et ad divina semper corde feratur.

IV. *Erat Iesus eiiciens daemonium.* Ostenditur in hodierno Evangelio impletum illud oraculum Dei ad serpentem: *Inimicitias ponam inter te et mulierem et semen tuum et semen illius, ipse conteret caput tuum et tu insidiaberis calcaneo eius.*[28] Habemus enim hic et

Pharisaei, diabolo suggerente,

21) Cf. Lc 11, 25. 22) Ps 36, 27. 23) Lc 11, 28. 24) Rom 2, 13.
25) Iac 1, 23. 26) Lc 18, 14. 27) Ps 50, 12-14. 28) Gn 3, 15. Ex hebraico.

mulierem et semen ipsius: *Beatus venter qui te portavit et ubera quae suxisti;* et serpentem et semen eius: *Erat eiiciens daemonium,* et Pharisaeos, de quibus alias dixit Dominus: *Vos ex patre diabolo estis et voluntatem patris vestri vultis facere; ille homicida erat a principio.* [29] Hi hodie tanquam filii diaboli, qui calumniator interpretatur, divina Christi opera calumniantur: *In Beelzebub principe daemoniorum eiicit daemonia.*

calumniabantur divina opera Christi.

Promittitur humano generi eo oraculo Christus libertatis assertor, Redemptor et reparator. Ostenditur autem quis futurus erat et cuius virtutis ac potestatis, quidve facturus erat. Quis futurus erat, nempe filius mulieris, quem postea Isaias dixit filium Virginis, Emmanuelem, [30] et in hodierno Evangelio: *Beatus venter qui te portavit.* Cuius virtutis et potestatis futurus erat, nempe potentior et fortior satana, qui conditus fuit princeps Angelorum et nunc princeps est daemonum. Isaias virtutem declaravit dicens: *Vocabitur admirabilis, consiliarius, Deus, fortis;* [31] in hodierno Evangelio: *Cum fortis armatus custodit atrium suum in pace sunt omnia quae possidet; cum autem fortior eo superveniens vicerit eum.* Haec Christi potestas est. Opera tandem: *Conteret caput tuum,* auferet omnem potestatem, mundi principatu te spoliabit. Sic Isaias: *Voca nomen eius: accelera, spolia detrahe, festina praedari;* [32] sic hodie *erat eiiciens daemonium; cum eiecisset daemonium; cum fortior eo vicerit eum.*

Ostenditur Christus verus ille Redemptor a principio promissus.

Appellatur etiam hic Christus regnum Dei: *Si in digito Dei, si in spiritu Dei, eiicio daemonia, profecto pervenit in vos regnum Dei,* sicut etiam in die Palmarum clamabant pueri: *Benedictum quia venit regnum patris nostri David.* [33] Cum autem regnum Dei significet nunc militantem Ecclesiam in terris, nunc triumphantem [34] in caelis, Christus regnum Dei dicitur utroque modo, quoniam principium et auctor est utriusque, sicut sol diei in mundo. Cum enim dies sit regnum solis, prout in *Genesi* legimus: *Luminare maius ut praeesset diei,* [35] ipse secum regnum suum defert et ab ipso regnum omnino dependet; ita plane in Christo accidit. Ait itaque: *Profecto pervenit*

Appellatur Christus regnum Dei, quia auctor est Ecclesiae militantis et triumphantis.

29) Io 8, 44. Vulg.: *Ab initio.* 30) Cf. 7, 14. 31) 9, 6. 32) 8, 3. Vulg.: *Accelera spolia detrahere,* etc. 33) Mc 11, 10. 34) Ms.: *Militantem,* loco: *Triumphantem.* 35) 1, 16.

in vos regnum Dei, idest rex Messias, qui regnaturus est in populo Israel, qui divinitus rex institutus est, ut David.

Ponitur autem in hodierno Evangelio Christus tanquam arbor bona, quae facit fructus bonos et non potest fructus malos facere, satanas autem tanquam arbor mala, quae facit fructus malos et non potest fructus bonos facere.[36] Patet utrumque in operibus utriusque circa hominem, qui in Evangelio proponitur, quid in eo satanas operatus sit, quid Christus.[37]

36) Mt 7, 17-18. 37) Tribus paginis albis relictis, transit ad feriam sequentem.

FERIA SECUNDA INFRA HEBDOMADAM TERTIAM QUADRAGESIMAE

Quanta audivimus facta in Capharnaum fac et hic in patria tua. Amen dico vobis. [1]

Ostenditur hodie quam incomprehensibilia sint iudicia Dei.

I. Quam verum est quod Paulus ait: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius!* [2] ostenditur in hodierno Evangelio. Nam quod Christus multo plura miracula faceret in Capharnaum quam in Nazareth, patria sua, iudicium Dei est; quod cum multae viduae essent in Israel in diebus Eliae, ad nullam illarum missus fuerit Elias, sed ad viduam gentilem in Sarepta Sidoniae, iudicium Dei imperscrutabile est; quod cum multi essent leprosi in Israel sub Eliseo propheta, nemo mundatus sit, nisi Naaman syrus, iudicium Dei impervestigabile est.[3] Cum Isaac patriarcha cognovit iudicium Dei circa Iacob dilectum et Esau odio habitum,[3a] obstupuit stupore vehementi et ultra quam credi potest miratus fuit.[4] Ioseph, patriarcha sanctissimus, divino licet spiritu afflatus, non capiebat iudicium Dei super filios suos, Manassen et Ephraim; cum enim pueros posuisset maiorem quidem ad dexteram patris Iacob, minorem vero ad sinistram, ille cancellatis manibus dexteram posuit super minorem, qui erat ad sinistram et, e contra, sinistram super maiorem, qui

1) Pericope huius diei Lc 4, 23-30. Cf. Missale Rom. 2) Rom 11, 13.
3) Cf. Lc 4, 25-27. 3a) Cf. Mal 1, 2-3; Rom 9, 13. 4) Cf. Gn 27, 30-33.

erat ad dexteram,[5] quia minor maiori praeferendus erat; sicut etiam de gemellis fratribus Iacob et Esau divinum dixit oraculum: *Maior serviet minori.*[6]

Christus contemnere videtur patriam suam et Capharnaum praediligere.

Ita videmus hodie in duabus hisce civitatibus et populis, Nazareth et Capharnaum. Elegerat Dominus Nazareth in patriam suam: *Fac et hic in patria tua.* Sic enim missus fuit a Deo Angelus Gabriel *in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad Virginem;*[7] ibi conceptus fuit, ibi educatus, nam ex Aegypto reversus, venit et *habitavit in civitate, quae vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas: quoniam Nazaraeus vocabitur.*[8] Nunc autem ipsi suae patriae, Nazareth, Capharnaum praeponit: *Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua,* nam, ut Matthaeus scribit, post baptismum et ieiunium, cum praedicare coepisset Dominus, *relicta civitate* sua *Nazareth, venit et habitavit in* civitate *Capharnaum maritima.*[9] Quaenam haec mutatio? Quomodo verum est: *Ego Deus et non mutor?*[10] Vellus plenum rore arescit, area prius tota arida, vellere arefacto, tota rore madet.[11]

Reiecta synagoga, electa fuit Ecclesia Gentium;

II. Quod autem accidit hisce civitatibus Nazareth et Capharnaum, evenit etiam synagogae Iudaeorum et Ecclesiae Gentium: *Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius.*[12] Sic transit arca Dei a tabernaculo Moysi in templum Salomonis,[13] sic fecunditas a Phenenna in Annam,[14] sic reginae dignitas a Vasthi ad Esther,[15] sic regnum Israel a domo Saul in domum David,[16] a tribu Beniamin in tribum Iuda, sic dignitas primogeniturae ab Esau transfertur in Iacob.[17] *Relicta civitate* sua *Nazareth, venit et habitavit in* civitate *Capharnaum;* relicta synagoga Iudaeorum, venit ad Ecclesiam Gentium.

de hoc mysterio agit etiam D. Paulus.

Quod quidem mysterium Paulus *ad Romanos* scribens, cum de Iacob et Esau verba fecisset, non sine admiratione iudiciorum Dei, praedicat dicens: *Quid ergo dicemus? Quod gentes, quae non*

5) Cf. ibid. 48, 12-19. 6) Ibid. 25, 23. 7) Lc 1, 26-27. 8) Mt 2, 23.
9) 4, 13. 10) Mal 3, 6. Vulg.: *Ego Dominus.* 11) Cf. Idc 6, 36 sqq.
12) Mt 21, 43. 13) Cf. 3 Rg 8, 6. 14) Cf. 1 Rg 1, 2-20; 2, 21.
15) Cf. Est 2, 15-17. 16) Cf. 1 Rg 13, 13-14; 15, 28. 17) Cf. Gn 25, 29 sqq.

sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam, iustitiam autem quae ex fide est. Israel autem sectando legem iustitiae, in legem iustitiae non pervenit. Cuius rei causam reddit dicens: *Quia non ex fide, sed quasi ex operibus, offenderunt enim in lapidem offensionis.* [18]

Synagoga reiecta fuit sua ipsamet culpa.

Sic videmus hodie quod Nazareni petunt a Christo miracula, quasi ex debito: *Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua,* quasi ratione patriae deberet ac teneretur ibi miracula operari et veluti ingratitudinis et neglectae in patriam caritatis arguunt. Sic offenderunt in petram scandali, quae facta est in ruinam duabus domibus Israel, ut Isaias ait. [19] Venit Christus in mundum in salutem Iudaeorum, non Gentium: *Non sum missus, nisi ad oves quae perierunt domus Israel,* [20] et tamen periere Iudaei, salutem consecutae sunt Gentes; discessit lepra infidelitatis a Naaman syro ad aquas Iordanis et invasit Giezi hebraeum usque in perpetuum; sic Eliseus mundavit a lepra gentilem hominem et infecit hebraeum in poenam avaritiae et cupiditatis iniquae. [21]

Multis mysteriis plenum est hodiernum Evangelium.

III. Multis iudiciis Dei plenum est hodiernum Evangelium. Nam ut Naaman syrus lepra esset infectus iudicium Dei fuit. De lepra enim illa dici potest quod de caecitate chelidonii [22] dixit Dominus, quod caecus natus erat, ut manifestarentur opera Dei in illo, [22a] et de Lazari languore: *Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei.* [23] Lepra enim haec ad salutem animae ordinata erat, ut miraculo curata hominem ad veram fidem et cognitionem Dei perduceret. Fames etiam trium annorum in Israel, iudicium Dei fuit ad punienda peccata ac ut per eam homines ab impietate idololatriae ad veram religionem verique Dei cognitionem et cultum perducerentur. Item afflictio qua Deus piam viduam afflixit, ut interficeret unicum filium eius, iudicium Dei fuit, [24] ut illius suscitatione et hospitalitatem piae feminae remuneraret et fidem ac pietatem augeret. Eo enim miraculo in Dei cognitione fide et pietate miris

18) 9, 30-32. 19) Cf. 8, 14. 20) Mt 15, 24. 21) Cf. 4 Rg 5, 9 sqq. 22) Ms.: *Caelidonius.* 22a) Cf. Io 9, 1-3. 23) Ibid. 11, 4. 24) Cf. 3 Rg 17, 1 sqq.; Iac 5, 17.

accessionibus profecit: *Nunc,* inquit, viso miraculo, *in isto cognovi quoniam vir Dei es tu et verbum Domini in ore tuo verum est.*[25] O iudicia Dei incomprehensibilia!

Nazareth Christum contemnebat, Capharnaum eum honorabat.

Quanta audivimus facta. Est hodie Christus inter duos hos populos harum civitatum sicut columna Domini in medio duorum exercituum, Hebraeis tota lucida, Aegyptiis autem tenebrosa,[26] imo sicut sol in Aegypto, Hebraeis lucidissimus, Aegyptiis obscurissimus, illis efficiebat clarissimum[27] diem, ab his autem radios suos veluti retrahens, noctem obscurissimam causabat. In duabus hisce civitatibus elucent veluti stigmata ac signa manifesta mysticarum civitatum, Ierusalem et Babyloniae, Ecclesiae, inquam, Christi in Capharnaum et synagogae satanae in Nazareth incredula, de qua legimus quod *mirabatur* Dominus *propter incredulitatem eorum.*[28] Hodie autem ait: *Nemo propheta acceptus est in patria sua.*[29] Ergo acceptus erat Christus in Capharnaum, honorabatur ibi, nam exceperunt eum Galilaei cum honore, inquit Ioannes dilectus Christi.[30]

Multae imagines exhibentur hodie,

IV. In hodierno Evangelio a Spiritu Sancto depinguntur nobis penicillo calami Lucae pulcherrimae imagines. Primo quidem personae Christi figuris Eliae et Elisei, quod Christus, sicut illi, verus Dei propheta, Spiritu Sancto plenus fuit, sicut illi. Imago etiam Ecclesiae Christi symbolo civitatis Capharnaum et imago synagogae satanae symbolo civitatis Nazareth. Imago etiam hominis christiani in Naaman syro, mulieris christianae in vidua sareptana, imagines etiam peccatorum hominum in leprosis qui erant in Israel sub Eliseo et mulierum peccatricum in viduis quae erant in Israel in diebus Eliae, ad quarum nullam missus Elias fuit. Sunt etiam hic Sacramentorum imagines: Baptismi in Naaman mundato a lepra, Poenitentiae in suscitatione filii viduae, Eucharistiae in multiplicatione farinae et olei, ministrorum ac sacerdotum in Elia et Eliseo.

25) 3 Rg 17, 24. 26) Cf. Ex 14, 19-20. 27) Cf. ibid. 10, 21-23. Ms.: *Obscurissimum.* 28) Mc 6, 6. 29) Lc 4, 24. 30) 4, 45.

Primo autem omnium a Spiritu Sancto imago depicta hic Salvatoris est, delineata in Elia et Eliseo, qui in populo Dei illustrissimi ac sanctitate et miraculis maxime conspicui Vates extitere. Praefiguratus fuit Christus per reges et Prophetas, sed magis per Prophetas quam per reges. Deus enim, rex aequissimus aestimator, multo pluris facit Prophetas quam reges, non sicut mundus, qui humana maximi facit, divina autem minimi. Hinc cum populus prophetam petiit dicens Moysi: *Loquere tu nobis et audiemus; non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur,* [31] Deus boni aequique consuluit: *Bene,* inquit, *locuti sunt. Prophetam suscitabo eis de medio* eorum *similem tui;* ipsum audient. [32] Cum autem petiit regem, indignatus fuit dixitque Samueli: *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* [33] Non solum quia divinam providentiam contemnentes humana prudentia gubernari volebant, more aliarum gentium: *Da nobis regem... sicut ceterae habent nationes,* [34] sed quoniam multo utiliores erant illorum reipublicae Prophetae quam reges, et quia Messias in mundum venturus erat ut pauper propheta, non ut rex dives, sicut Elias, sicut Eliseus, non sicut Salomon. Hac igitur de causa hodie Salvator per Eliam et Eliseum designatus est.

et primo personae Christi delineatae in Elia et Eliseo,

Referebant autem hi Vates Christi imaginem tribus in rebus: vitae sanctitate, veritate doctrinae et miraculorum operatione. Fuit uterque propheta sanctissimus, Spiritu Sancto plenus, nam super Eliseum requievit spiritus Eliae; [35] ita de Christo legimus: *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiae et intellectus;* [36] et item: *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me;* [37] sic in Iordane supra Christum Spiritus Sanctus descendit et mansit. [38]

qui vere Christi imaginem referebant vitae sanctitate,

Deinde veritate doctrinae; divinam enim religionem praedicabant, nervos omnes intendentes ut populum Israel ab idolorum cultu avocarent; non praedicabant legem Moysi, a qua Israelitae iam desciverant, non circumcisionem, non sabbatum, non ceremonias legis, neque enim iussit Eliseus Naaman ut circumcideretur, ut hebraeus fieret, sed ut Deum coleret; nec Elias viduae sareptanae ut

doctrinae veritate

31) Ex 20, 19. 32) Dt 18, 18. 33) 1 Rg 8, 7. 34) Ibid. vr. 5. Vulg.: *Constitue nobis regem,* etc. 35) Cf. 4 Rg 2, 15. 36) Is 11, 2. 37) Ibid. 61, 1; Lc 4, 18. 38) Cf. Mt 3, 16; Mc 1, 10; Lc 3, 21-22; Io 1, 32.

hebraea fieret, ut filium circumcideret; divinam tantum religionem praedicabant. Sic et Christus non legem Moysi praedicaturus erat, sed novam legem laturus, ut Deus in spiritu et veritate adoretur.

et miraculorum operatione,

Tandem operatione miraculorum, divina enim quadam virtute praediti erant. Hinc etiam nominibus divinitatem praeferebant, nam Elias p o t e n s D e u s interpretatur, Eliseus autem p o t e n s s a l v a t o r, sive Deus salvator; sic divino miraculo Eliseus Naaman a lepra mundavit, Elias viduae piae hospitae farinam et oleum multiplicavit et tandem filium suscitavit,[39] quae quidem divinitatis opera sunt. Christus autem innumera operatus miracula est: *Quanta audivimus facta in Capharnaum,* quoniam vere erat non solum natura homo Spiritu Sancto plenus, ut illi, verum etiam natura potens Salvator. Quales illi nomine, non autem re erant, Christus autem revera erat et est Deus omnipotens et perfectissimus mundi Salvator, unde et appellatus est Iesus.

etiam morte unius et immortalitate alterius,

Designatur etiam Dominus per hos duos, quoniam Eliseus quidem mortuus est, Elias autem vivus assumptus in caelum.[40] Christus autem et vere moriturus erat ut Eliseus et vere ascensurus in caelum ut Elias ibique perpetuo cum Deo et Angelis immortalis semperque beatus victurus.

interpretatione quoque eorum nominum.

Venit in hunc mundum Christus ut Elias esset et Eliseus, potens Deus, potens hominum Salvator, hinc ait Angelus ad Ioseph: *Vocabitur nomen eius Iesus, ipse enim salvum faciet populum suum,*[41] et Samaritae: Nos *audivimus et scimus quoniam hic est vere Salvator mundi.*[42] Potens salvator Eliseus, quia sanavit Naaman syrum a lepra, potens salvator Elias, quia viduam servavit a fame et filium ipsius a morte; potentissimus Salvator Christus, quia potest conferre omnem sanitatem cum corporis tum etiam animae, siquidem Naaman syrus utramque consecutus fuit; potest praeservare a morte, liberare ab omni mortis periculo, potest etiam liberare a morte revocando mortuos in lucem hanc vitaeque restituere. Haec enim omnia testantur miracula Christi.

39) Cf. 3 Rg 17, 10-23. 40) Cf. 4 Rg 2, 11. 41) Mt 1, 21. Vulg.: *Vocabis nomen eius Iesum, etc.* 42) Io 4, 42.

Sic igitur venit Christus in mundum ut Elias, ut Eliseus, ut potentissimus et divinissimus Salvator. *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per eum.*[43] Ait autem Paulus quod Christus Salvator est *omnium hominum, maxime* autem *fidelium,*[44] hoc est cupit salutem omnium hominum; *vult* enim *omnes homines salvos fieri,*[45] maxime vero desiderat salutem suorum fidelium. Sic enim Deus pro communi salute omnium Hebraeorum pluit manna de caelo,[46] eduxit aquam de petra,[47] exaltavit serpentem in deserto;[48] pro communi salute omnium misit Moysen in Aegyptum, divisit mare Rubrum,[49] siccavit fluenta Iordanis,[50] dedit columnam nubis per diem et ignis per noctem;[51] magnus sacerdos nomina omnium tribuum Israel gestabat in pectore sculpta in pretiosis lapillis;[52] Hebraeis omnibus praeparavit terram promissionis, pro salute communi omnium dedit templum, domum orationis, locum[53] gratiarum, asylum refugii omnibus.

Christus enim vere est potens Deus et salvator.

qui omnes salvare cupit.

Hodiernum Evangelium veluti templum salomonicum est, cuius parietes intrinsecus pleni erant sacris imaginibus,[54] Sed imago Christi in Elia et Eliseo elegantissima est. Quoniam vero exemplar naturale ac prototypum in multis semper imaginem superat, sicut homo imaginem hominis et sicut Deus hominem, qui imago Dei est, ita Christus superat Eliam et Eliseum, sicut Deus homines. Non poterat Elias salvare seipsum a persecutionibus, hinc extra terram Israel fugiebat;[55] Christus autem potuit hodie salvare seipsum: *Transiens per medium illorum ibat.*[56] Non potuit Eliseus mortuus suscitare seipsum; potuit Christus maior Eliseo. Non potuit Elias per seipsum in caelum ascendere, igneo curru raptus fuit; Christus autem per seipsum supra omnes caelos ascendit. Uterque magna ac supernaturali virtute ac potentia praeditus fuit, potens Deus, potens salvator, hinc uterque dictus fuit *currus Israel et exercitus Israel,*[57] sive equites, idest exercitus ad defensionem et tutelam regni Israel. Christus autem multo potentior. Nam potuit quidem Elias suscitare fi-

Potens fuit Elias, potens etiam Eliseus,

43) Ibid. 3, 17. 44) 1 Tim 4, 10. 45) Ibid. 2, 4, Vulg.: *Omnes homines vult,* etc. 46) Cf. Ex 16, 13-35. 47) Cf. Ibid. 17, 3-6; Nm 20, 2-11. 48) Cf. Nm 21, 9. 49) Cf. Ex 14, 21-29. 50) Cf. Ios 3, 14 sqq. 51) Cf. Ex 13, 21. 52) Cf. ibid. 28, 29. 53) Ms.: *Locus.* 54) Cf. 3 Rg 6, 27-29. 55) Cf. ibid. 19, 1-8. 56) Lc 4, 30. 57) 4 Rg 2, 12; 13, 14.

sed Christus illis longe potentior fuit.

lium viduae[58] et Eliseus filium sunamitidis, sed multis precibus;[59] Christus autem solo imperio mortuos suscitabat, quoniam claves habet mortis et inferni.[60] Designatur etiam Dominus per Eliam, quoniam ille, cum esset divini honoris ardentissimus zelator, vitia populi et etiam principum acriter arguebat et ea de causa multas gravesque passus fuit persecutiones; sic etiam Christus; hinc hodie cum vitia Nazarenorum arguisset, *repleti sunt omnes in synagoga ira... et eiecerunt eum extra civitatem... ut praecipitarent eum.*[61] Nam multi sunt verbi Dei auditores sanam doctrinam non sustinentes, sed magistros quaerunt prurientes auribus;[62] delectari volunt non doceri, ungi non pungi, blande laudari non acriter increpari. Hinc apud Isaiam 30 aiunt: *Loquimini placentia.*[63]

Pauci sunt qui salvantur

V. Ostenditur in hodierno Evangelio desiderare quidem Christum salutem omnium, ita Nazarenorum sicut Capharnaitarum, cum apud Deum non sit personarum acceptio,[64] sed tamen ostendit paucissimos salvari, hinc ait: Multi leprosi erant, et unus tantum, Naaman syrus, mundatus est; multae viduae et ad unam tantum missus est Elias. Ex multis ergo leprosis unus mundatur, ex multis viduis una liberatur a morte famis, ex multis peccatoribus paucissimi salvantur; multi ergo pereunt, multi damnantur. Et quod maius est, ostendit hodiernum Evangelium quod facilius infideles quam fideles, audito verbo Dei, salvantur. Naaman mundatus infidelis erat, gentilis non hebraeus; vidua gentilis non hebraea de fideli populo. Contemnebant Prophetas Hebraei, ideo non sunt mundati leprosi Israel, ideo non fuit missus Elias ad viduam aliquam de populo Israel: *Nemo propheta acceptus est in patria sua;*[65] *Non est propheta sine honore, nisi in patria sua.*[66] Non fuit autem contemptus Eliseus a Naaman syro sicut a leprosis in Israel, Elias a vidua sareptana sicut a viduis Israel. Quare si nunc quoque una cum fidelibus infideles audirent verbum Dei, facilius converterentur et conversi ad fidem salvarentur. Hodie enim christianis veluti nauseam

58) Cf. 3 Rg 17, 17-23. 59) Cf. 4 Rg 4, 18-37. 60) Cf. Apc 1, 18. 61) Lc 4, 28-29. 62) Cf. 2 Tim 4, 3. 63) Vr. 10. 64) Cf. Rom 2, 11; Eph 6, 9; Col 3, 25; 1 Petr 1, 17. 65) Lc 4, 24. 66) Mt 13, 57.

generat verbum Dei, sicut manna Hebraeis in deserto, hinc memores carnium Aegypti ad eas reverti in Aegyptum voluere.[67] Abundantia causa contemptus est. Sic olim Iudaei[68] Prophetas contemnebant.

Ostendit hodiernum Evangelium qua de causa multi damnantur et quid agendum sit ad salutem consequendam. Damnantur Nazareni, leprosi et viduae in Israel contemnentes Prophetas Dei, verbum Dei, spiritualia, divina; damnantur increduli, nam ex incredulitate oriuntur verba haec: *Quanta audivimus facta in Capharnaum fac et hic in patria tua.* Credere nolunt quae audierant, nisi oculis videant: *Qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei.*[69] defectu fidei

Quid ergo agendum est ad salutem consequendam? Id quod agebat Capharnaum erga Christum, quod egit Naaman syrus cum Eliseo, vidua sareptana cum Elia. In hoc differt hodie Capharnaum a Nazareth, quia Dominus ait: *Nemo propheta acceptus est in patria sua; Non est propheta sine honore, nisi in patria sua; Mirabatur propter incredulitatem eorum.*[70] Nazareni non venerabantur Christum, non honorabant, non credebant in eum, propterea erant indigni miraculis Christi. Ergo Capharnaitae credebant, honorabant, magnifaciebant, sicut Naaman syrus Eliseum, sicut vidua Eliam. Salutis nostrae principium fides est, nam fides est *sperandarum substantia rerum.*[71] Credidit Naaman Eliseo, ideo mundatus fuit a lepra. A fide autem orta fuit obedientia; praecepit ei ut iret et lavaret se in aquis Iordanis: abiit, lavit se, mundatus fuit. Credidit vidua Eliae dicenti in nomine Domini, quod non erat defectura. Ex fide orta fuit in ea obedientia; praecepit ei Elias ut ex farina illa panem faceret ipsi prius et postea sibi et filio suo: abiit et fecit quod Elias praeceperat. Obedientia signum fuit verae fidei quod credebant ex animo. et defectu obedientiae verbo Dei, obedientia enim signum est verae fidei.

Si nos vere credimus, ubi est obedientia quam Christo praestamus? *Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.*[72] Ubi honor quem Christo exhibemus? Nazareni hodie ira perciti et infernalibus furiis agitati, Christum eiecerunt et perdere voluerunt,

67) Cf. Nm 21, 5. 68) Ms.: *Iudaeis.* 69) Io 3, 18. 70) Mc 6, 6. 71) Hebr 11, 1. 72) Lc 11, 28.

quoniam minime credebant eum esse verum prophetam, sicut Elias et Eliseus, quibus Christus seipsum comparavit. Nos autem qui credimus?

Ira perciti Nazareni. consurgebant contra Christum.

VI. *Repleti sunt omnes in synagoga ira.* Ubi lux non est, tenebrae sunt; ubi virtutis splendor non fulget, ibi vitiorum tenebrae. Sic in Nazarenis hodie videmus invidiam et iram, furias utique infernales: *Quanta audivimus facta in Capharnaum fac et hic in patria tua;* tristitia afficiebantur et Capharnaitis invidebant. Est autem invidia tinea, aerugo, tepedo animi, quam Socrates serram animi appellabat.[73] Deinde vero ira repleti sunt, eo quod Dominus insinuarit eos indignos esse miraculis, Capharnaitas autem multo digniores, et quoniam etiam Gentiles visus est praetulisse Israelitis. Mirabile dictu est! Volunt homines esse non autem haberi nec dici mali. Hinc animalium instar, dum plaga manu tangitur, commoventur, recalcitrant. Sed: *Beati qui patiuntur persecutionem propter iustitiam,*[74] sicut Elias, sicut hodie Christus.

Christus in patria sua miracula non operabatur,

VII. In hodierno[75] Evangelio tria nobis videnda sunt: primum cur Christus in Nazareth a miraculis abstinet, secundum cur patitur persecutionem: *Repleti sunt omnes in synagoga ira et eiecerunt eum,* etc.; tertium cur fugit Christus mortem, qui venturus erat ut pro peccatoribus mortem obiret, ut sua morte mundum vivificaret.

quia Nazareni increduli nec visis miraculis credituri erant.

Quoad primum, cur miracula faceret in Capharnaum, non autem in Nazareth, magnum est et profundum mysterium. *Quis cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit?*[76] Matthaeus capite 13 ait, quod Dominus *non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem eorum;*[77] Marcus vero 6 capite ait, quod non potuit ibi virtutes multas facere *et mirabatur propter incredulitatem eorum.*[78] Finis miraculorum est fides, ut in Christum, visis miraculis, saltem crederent eumque honorarent tanquam prophetam a Deo missum. Hinc ait hic Dominus quod *nemo propheta acceptus est in patria*

73) Cf. S. Maximus *Loci Communes*, ser. 54, (P. G. 91, 962). 74) Mt 5, 10. 75) Quae sequuntur atramento clariori exarata sunt. 76) Rom 11, 34. 77) Vr. 58. 78) Vr. 6.

sua; et apud alios Evangelistas quod *non est propheta sine honore, nisi in patria sua.* Quare si quis finem miraculorum spectet, liquido videbit quod non erat ratio cur Dominus ibi operaretur miracula, quoniam increduli erant nec visis miraculis erant credituri; nemo autem [79] seminat in arena, nemo enim vult oleum et operam perdere. [80]

Causa item est, quoniam cum maxime indigni essent Christi beneficiis, ipsi maxime dignos se existimabant tanquam iure illis Christus deberet; hinc aiunt: *Fac et hic in patria tua.* Illi vel maxime indigni sunt gratia Dei, qui se dignos existimant. Quam autem indigni essent et quo animo in Christum essent affecti, ostendit impotens ira, qua ad Christi necem feruntur: *Repleti sunt omnes in synagoga ira,* etc.

et Christum contemnentes, beneficiis eius se dignos existimabant.

Hic quis etiam quaerere potest, cur Deus dilexit Iacob, Esau autem odio habuit? [81] Cur respexit *ad Abel et ad munera eius, ad Cain autem et ad munera eius non respexit?* [82] Sed si a divite quaeras cur huic pauperi largiatur eleemosynam non autem illi, respondebit: quoniam placet, non est illi debitor, ideo non facit illi iniuriam si eleemosynam non largitur. Impertinens esset quaestio, si quis quaereret cur Deus maiorem lucem soli dedit quam lunae: Deus ita disposuit; cur Angelum in caelo posuit et hominem in terra collocavit: ita disposuit; cur Hebraeorum populum elegit, non autem Gentilium: *Sicut Domino placuit, ita factum est.* [83] Hac autem in causa tenendum est non abstinuisse Dominum a patrandis miraculis in Nazareth, eo quod non posset aut vellet omnibus benefacere, licet Marcus dicat quod non potuit *ibi virtutem ullam facere.* [84] Non enim loquitur de naturali potentia, sed de morali, qua dicimur facere non posse quae non decet; sed ut ostenderet se nolle indignis divina beneficia praestare, dare sanctum canibus, proiicere margaritas ante porcos. [85] Maxime vero ab iis abhorret Dominus sua beneficia praestare, qui cum maxime indigni sint et peccatores, tales

Innuitur etiam hic mysterium divinae praedestinationis.

79) Ms.: *Autem* iterum ponitur. 80) Proverbium, de quo cf. P. Mannuccius *Adagia.* col. 255-256. 81) Cf. Mal 1, 2-3; Rom 9, 13. 82) Gn 4, 4-5. 83) Iob 1, 21. 84) 6, 5. 85) Cf. Mt 7, 6.

Deus beneficia sua indignis non elargitur.

autem se esse minime agnoscunt, sed dignos se esse arbitrantur, quales videmus hodie Nazarenos, qui miracula requirebant a Christo, quasi iure ea patriae quae eum aluerat deberet: *Fac et hic in patria tua*, quasi humana non divina virtute Christus operaretur miracula.[86]

86) Tribus foliis albis relictis, transit ad feriam sequentem.

FERIA TERTIA INFRA HEBDOMADAM TERTIAM QUADRAGESIMAE

Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, etc. [1]

Datur praeceptum correptionis fraternae et indicatur ordo iuris servandi.

I. Sicut templum Domini multis erat sacris imaginibus ornatum, [2] ita hodiernum Evangelium multis est divinis mysteriis refertum. Datur hic primo praeceptum correptionis fraternae ex christiana caritate, contra illud quod impius fratricida [3] Cain dixit: *Nunquid custos fratris mei sum ego?* [4] Nam cum anima hominis christiani ex Christi gratia paradísus sit deliciarum Dei: *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuae paradisus,* [5] sicut posuit Deus in paradiso hominem, *ut operaretur et custodiret illum,* [6] ita vult ut christianus quilibet sit fratris sui custos, nam: *Unicuique mandavit* Deus *de proximo suo.* [7] Deinde statuit Dominus hic iuris ordinem: *Dic Ecclesiae.* [8] Quare habemus in hodierno Evangelio ordinem caritatis et iuris.

Praeter fidem, requirit a nobis Dominus caritatem et iustitiam.

Vult Dominus nos zelum habere et caritatis et iustitiae, ut cor nostrum sit veluti arca testamenti, in qua, praeter tabulas legis, [9] asservabantur et urna mannae [10] et virga Dei. [11] Sic Dominus, praeter fidem, a nobis tum caritatem in proximum, tum etiam zelum, etiam rigorem iustitiae requirit: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* [12] Hic mysterium divinae auctoritatis, quam Christus dedit Ecclesiae: *Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo, et quaecumque sol-*

1) Pericope huius diei Mt 18, 15-22. Cf. Missale Rom. 2) Cf. 3 Rg 6, 27-29. 3) Ms.: *Parricida*, loco: *Fratricida*. 4) Gn 4, 9. 5) Ct 4, 12-13. 6) Gn 2, 15. 7) Eccli 17, 12. Vulg.: *Mandavit unicuique*. 8) Mt 18, 17. 9) Cf. Ex 16, 21; 40, 18; Dt 10, 5; Hebr 9, 4. 10) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4. 11) Cf. Nm 17, 10; Hebr 9, 4. 12) Mt 18, 17.

veritis, etc.;[13] hae sunt claves regni caelorum.[14] Hic etiam, ut ita dicam, auctoritas Ecclesiae apud Deum: *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo.*[15] Hic mysterium perpetuae assistentiae Christi in Ecclesia: *Ubicumque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum;*[16] divinum propitiatorium in medio cherubim: *Ecce ego vobiscum sum... usque ad consummationem saeculi;*[17] tabernaculum Dei in medio populi una cum columna nubis et ignis per desertum usque ad terram promissionis.[17a]

In hodierno Evangelio singulariter elucet zelus animarum.

II. Singulariter vero elucet in hodierno Evangelio ardens desiderium et verus zelus salutis animarum in pectore Christi: *Si peccaverit frater tuus, vade, corripe.* Qua de causa? *Lucratus eris fratrem tuum;*[18] *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam ipsius.*[19] Praedicat Paulus quod Deus *vult omnes homines salvos fieri;*[20] Petrus vero quod Deus patienter agit, *nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti.*[21] Dominus autem immediate ante haec verba: *Si peccaverit in te frater tuus,* concludens parabolam centum ovium ex diligentia pastoris quaerentis ovem quae perierat, concludit: *Sic non est voluntas apud Patrem vestrum, qui in caelis est, ut pereat unus ex his pusillis,*[22] cum paulo ante monuisset cavendum ne pusillis scandalum detur, quoniam *Angeli eorum semper vident faciem Patris,*[23] idest quia Angelos Dei habent custodes et defensores, nam: *Angelis suis* Deus *mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.*[24]

Multa adinvenit Deus pro salute animae.

Sed, bone Deus, qualia et quanta adinvenit divina providentia pro salute animae! Pro salute corporis humani condidit corporalem hunc mundum, cum tali tantaque rerum varietate, quae omnes ad hominis necessitatem, utilitatem, iucunditatem, voluptatem, delicias creatae sunt. Pro salute autem animae constituit Sanctam Ecclesiam, quae mundus spiritualis est, tanto maior et augustior corporali hoc, quanto anima potior est et nobilior corpore, quod omnem vitam,

13) Ibid. vr. 18. 14) Cf. ibid. 16, 19. 15) Ibid. 18, 19.
16) Vr. 20. Vulg.: *Ubi sunt*, etc. 17) Ibid. 28, 20. 17a) Cf. Ex 13, 21 sq.
18) Ibid. 18, 15. 19) Iac 5, 20. 20) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult*, etc.
21) 2 Petr 3, 9. 22) Mt 18, 14. Vulg.: *De pusillis istis.* 23) Ibid. vr. 10.
24) Ps 90, 11.

sensum, motum, vires, pulcritudinem habet ab anima, sicut tabula deaurata omnem splendorem ab auro.

Est quidem opus Dei corpus sicut et anima, nam: *Formavit Dominus Deus hominem de limo terrae et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae.*[25] Sed sicut multo excellentior pictura est, quam pictor peritissimus arte manuque sua totam delineavit atque perfecit ad naturalem effigiem principis alicuius, pictura illa, quam ipse delineavit tantum et discipulis pingendam tradidit, cui ipse nonnisi extremam manum adhibuit; ita plane anima nostra opus solius Dei est, corpus vero opus etiam naturalium causarum. Corpus tantummodo designat Deus et ultimam manum apponit infundens rationalem animam, reliqua naturalibus causis facienda relinquit. Sunt autem naturales causae ministrae Dei, qui prima est omnium causa, mundi totius summus artifex, supremus architectus.

quae est opus Dei mirabilissimum,

Cum igitur anima opus Dei sit longe nobilius corpore quam caelum terra, sol luna, Angelus bruto, aequum erat ut, si pro salute et commodis mortalis huius corporis Deus talem tantamque mundi machinam tot tantisque bonis refertam condidit, pro salute animae alterum mundum multo praestantiorem machinaretur. Sic Sanctam Ecclesiam aedificavit, quae in Divinis Litteris novum caelum et nova terra, idest novus mundus appellatur. Per Isaiam nanque Dominus ait: *Ecce ego creo caelos novos et terram novam, et non erunt in memoria priora, et non ascendent super cor... quia ecce ego creo Ierusalem.*[26] Ita etiam Ioannes *in Apocalypsi* ait: *Vidi caelum novum et terram novam,* deinde subiungit: *Vidi civitatem sanctam Ierusalem novam,* et: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis, et ipsi populus eius erunt et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.*[27] Huius quidem novi orbis et praestantissimi atque augustissimi mundi terra natura est, caelum gratia, sol Christus, luna Maria, stellae Sancti, ipsi etiam Angeli; elementa sunt Sacramenta, cibus verbum Dei, potus aqua gratiae, quae salit in vitam aeternam,[28] lux cognitio, calor Dei et virtutis amor.

pro qua Ecclesiam condidit, quae vere est novus mundus.

III. In ipso autem hodierno Evangelio, ubi Dominus de spirituali hoc Sanctae Ecclesiae mundo loquitur, multa sunt quae pro salute

Peccatum est mors animae,

25) Gn 2, 7. 26) 65, 17-18. 27) 21, 2-3. 28) Cf. Io 4, 14.

animae divina providentia paravit, propterea quod, sicut natura mortales sumus, ita ex infirmitate carnis et satanae opera peccare possumus. Peccatum autem mors et perditio animae est. Hinc ait: *Si peccaverit in te frater*, si peccati veneno infectus fuerit, *vade, corripe*, porrige ei antidotum, praesentissimum remedium, donec spes salutis est, ne veneno intereat, nam *si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*, antidoto correptionis liberasti eum a veneno.

antidotum vero peccati verbum Dei,

Verbum Dei efficacissimum remedium est, latentem habet, sed potentissimam virtutem contra peccatum. Hinc ait Iacobus, frater Domini: *Suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras;*[29] et Paulus dixit quod Evangelium *virtus Dei est in salutem omni credenti;*[30] et alibi: *Cum audissetis verbum veritatis, Evangelium salutis, Ephesiis* 1.[31] Sic verbo Dei quam maxime usus est Dominus ad salutem animarum. Cum peccassent parentes nostri in Deum, ipsemet venit ad corripiendos eos.[32] Ad hoc ipsum aliquando Angelos destinavit, nam Angelus corripuit Moysen, quia filium non circumciderat,[33] Angelus Agar, ut ad dominam suam reverteretur,[34] Angelus Balaam, ne populo Dei malediceret,[35] Angelus purgavit Isaiam,[36] Angelus monuit Iosue ut solveret calceamenta de pedibus suis,[37] Angelus corripuit Saram, quia riserat,[38] Angelus Zachariam, patrem Ioannis.[39] Ad hoc ipsum opus misit Moysen et Prophetas, ad hoc ipsum Christum et Apostolos Sanctosque Evangelistas, idest Evangelii divini praedicatores, plenos Spiritu Sancto, qui ad hoc super Christi fideles in linguis igneis descendit,[40] ut simul eloquentes redderet et ardentes gloriae Dei et salutis hominum cupidissimos.

ideo Deus praedicatores mittit in salutem animarum

Sicut autem hodie ait Dominus: *Si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum,*[41] sic Deus multos misit mittitque verbi Dei ministros spiritu Dei armatos contra peccatum in salutem animarum. Sic Deus hominum amantissimus, salutis nostrae cupidissimus est, sicut pastor ovium, sicut pater filiorum. Anima quaelibet Deo est pretiosissima gemma, hinc magnus sacerdos portabat supra cor nomina filiorum

29) 1, 21. 30) Rom 1, 16. 31) Vr. 13. 32) Cf. Gn 3, 8-9. 33) Cf. Ex 4, 24-26. 34) Cf. Gn 16, 6-9. 35) Cf. Nm 22, 21-35. 36) Cf. Is 6, 6-7. 37) Cf. Ios 5, 13 sqq. 38) Cf. Gn 18, 10-15. 39) Cf. Lc 1, 18-20. 40) Cf. Act 2, 1-4. 41) Mt 18, 16.

Israel gemmis insculpta.[42] Sicut autem ad fugandas tenebras et ad illuminandos oculos mortalium multa posuit in caelo perpetua lumina, ita in Ecclesia multos sanctos Doctores et praedicatores verbi Dei. Hi nanque sunt septem lucernae in templo Domini ardentes,[43] sicut de Ioanne Baptista Dominus ait: *Ille erat lucerna ardens et lucens.*[44] Hinc legimus apud Danielem ab Angelo dictum: *Qui docti sunt, fulgebunt sicut splendor firmamenti, et qui ad iustitiam erudiunt multos, sicut stellae in perpetuas aeternitates.*[45]

et suam caritatem fidelium cordibus infundit ut se invicem fraterne diligant,

Una autem cum verbo Dei, quo includuntur Divinae Litterae utriusque Testamenti et omnium Sanctorum Doctorum volumina, posuit in Ecclesia Deus spiritum divinae caritatis, de quo fidelibus suis ait Dominus: Spiritus Sanctus *apud vos manebit et in vobis erit,*[46] quo quidem Spiritu afflati fideles, non solum Deum super omnia diligunt, verum etiam propter Deum proximos tanquam scipsos, tanquam carissimos filios, ac si ex eodem Patre Deo et matre Ecclesia natura essent progeniti, tanquam essent omnes eiusdem corporis membra, ut Paulus ait.[47]

ex qua zelus salutis proximi oritur.

Ita Deus fidelibus suis omnibus et singulis indidit vivum quoddam desiderium salutis proximorum pro gloria Dei, pro honore Christi, pro confusione satanae, pro destructione inferni, pro consummata aedificatione paradisi. Hinc ait: *Si peccaverit frater, vade, corripe,* ut lucreris fratrem tuum.

Ad salutem animarum posuit Christus in Ecclesia tribunal iustitiae,

IV. Praeter haec autem posuit in Ecclesia tribunal iustitiae ad hoc ipsum opus salutis animarum, unde Paulus: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo ordinata sunt; itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt, nam principes non sunt timori boni operis, sed mali... fac bonum et habebis laudem,* etc.[48]

quod utilissimum est.

Utile admodum est tribunal iustitiae, nam princeps, ut Paulus ait, *minister Dei est tibi in bonum* et qui male agunt timent, nam *non sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei qui male agit.*[49] Quid esset mundus, si nullum esset tribunal iusti-

42) Cf. Ex 28, 15-21. 43) Cf. ibid. 25, 37. 44) Io 5, 35. 45) 12, 3. Vulg.: *Qui docti sunt... quasi splendor... quasi stellae,* etc. 46) Io 14, 17. 47) Cf. Rom 12, 4-5; 1 Cor 12, 12-27. 48) Rom 13, 1-3. 49) Ibid. vr. 4.

tiae, nisi silva frementium bestiarum, nisi spelunca latronum, nisi serpentum nidus? Hinc ait: *Si illos non audierit, dic Ecclesiae; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.*[50]

cum sit divina auctoritate praeditum.

Non est autem tribunal Ecclesiae qualicumque humana auctoritate praeditum, sed divina: *Quaecumque alligaveritis*[51] *super terram, erunt ligata*, etc.[52] O plane mirabile opus Dei in salutem animarum! Vidit in *Apocalypsi* Ioannes thronum Dei iride circumdatum, ante quod septem lampades ardebant, sed tamen procedebant de templo terribilia fulgura atque tonitrua, *et qui sedebat* supra thronum *similis erat aspectui lapidis iaspidis et sardinis,*[53] quae mysteria sunt divinae tum misericordiae tum iustitiae.

Hodiernum Evangelium est sicut turris David, quae *aedificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium;*[54] veluti regium armamentarium, in quo sunt omnia armorum genera ad hostes debellandos necessaria et opportuna. Sic habemus hic arma militiae christianae *contra spiritualia nequitiae in caelestibus,*[55] contra, inquam, peccati regnum ad illud impugnandum, expugnandum, destruendum ac funditus evertendum.

Indicat hodiernum Evangelium quam cordi Christo sit animarum salus. Vult enim ut Ecclesia sua sit sicut arca Noe, in qua salventur omnes,[56] nemo pereat. Hinc vult ut spiritus noster sit tanquam Cherub igne et gladio armatus contra peccatum,[57] sicut Seraph ille qui Isaiam calculo ignito mundavit,[58] sicut David qui sono citharae a Saule daemonium expellebat;[59] Paulus enim ait fratrem corripiendum esse in spiritu lenitatis,[60] cum mansuetudine.

Erga peccantes Dominus maxime requirit iustitiam et caritatem.

V. Duo sunt quae vel maxime requirit a nobis hodie Dominus erga proximum peccantem: fraternitatis amorem et rigorem iustitiae, ardentem caritatem et iram, ut spiritus noster armatus sit igne caritatis erga peccatorem, ut magno teneatur salutis ipsius desiderio, gladio etiam irae et odii contra peccatum. Sic gladio et igne armatus ibat Abraham ad sacrificandum Isaac,[61] glaudio et igne utebatur sacerdos in templo offerens Domino sacrificia et holocausta.

50) Mt 18, 17. 51) Ms.: *Alligaverit.* 52) Mt 18, 18. 53) 4, 3. 54) Ct 4, 4. 55) Eph 6, 12. 56) Cf. Gn 7, 1-3. 57) Cf. ibid. 3, 24. 58) Cf. Is 6, 5-6. 59) Cf. 1 Rg 16, 23. 60) Cf. Gal 6, 1. 61) Cf. Gn 20, 3-10.

Vult ut quisque sit fratris infirmi medicus pius et severus. Sic enim naturae conditor humanum cor armavit cupiditate et ira, cupiditate boni, ira vero et odio mali.

Nam duo haec etiam in Deo erga homines quam maxime repeniuntur, amor et ira: amor erga bonos, ira contra malos, amor virtutis, odium vitii et peccati. Nos autem ad imaginem et similitudinem Dei conditi sumus. Hinc Dominus, cum dedit praeceptum dilectionis, monuit nos divinae huius similitudinis dicens: *Ut sitis filii Patris vestri qui in caelis est;*[62] *Estote perfecti sicut*, etc.[63]

Idest misericordiam in salutem et severitatem in punitionem peccatorum.

In universa Scriptura Divina de ipso Deo duo haec vel maxime legimus: amorem et iram; ex amore autem misericordiam et clementiam in salutem peccatorum, ex ira vero iustitiam et severitatem in punitionem peccatorum, in odium peccati. Quid non egit Deus ad salvandos peccatores? ad procurandam salutem eorum? Ad quid legem, templum, sacerdotium, sacrificia dedit? Ad quid misit Prophetas? Ad quid principes et tribunalia iustitiae instituit? Ad quid divinam auctoritatem hominibus dedit? Ad quid tandem Filium in mundum misit et Spiritum Sanctum Ecclesiae dedit?

Homo peccare potest, sed etiam converti,

VI. *Si peccaverit in te frater tuus.* Condidit Deus Angelum et hominem ad felicitatem aeternam, utrique divinam imaginem contulit, liberum arbitrium dedit viamque virtutis ac veluti scalam, per quam ad aeternam beatitudinem ascenderent finemque suum sortirentur, indicavit. Utrumque ita condidit ut natura peccare posset, naturam dedit versatilem a bono ad malum; sed ita tamen ut peccanti Angelo poenitentia concessa non fuerit, concessa autem homini, ita ut Angelo peccatum mors fuerit, a qua non datur regressus in vitam, nisi divino miraculo; homini autem gravis infirmitas et vulnus mortale: *Plagis impositis abierunt, semivivo relicto,*[64] sed tamen curari potuit et pristinae sanitati atque integritati restitui. Ab infirmitate nanque ad sanitatem datur regressus, si arte curetur infirmus, sicut clemens ille samaritanus egit cum vulnerato, quem semivivum reperit; curavit enim illum vino et oleo vulneraque illius alligavit.[65] Sic vult Dominus ut hodie clementem samaritanum aga-

ideo spes salutis semper effulget,

62) Mt 5, 45. 63) Ibid. vr. 48. 64) Lc 10, 30. 65) Cf. ibid. vrr. 33-35.

mus peccantem fratrem corripientes, quoniam infirmus est, non mortuus, spes salutis illius est, semivivus est.

eo magis quod vitium opprobrium affert, virtus autem honorem,

Sciens Deus hominem natura posse peccare et a virtute in vitium praecipitem labi satanae arte et impulsu, cum ita condidit ut natura aptior esset ad salutem, quam ad perditionem. Homo nanque natura appetentissimus est honoris et voluptatis, sed multo tamen honoris, magis quam voluptatis. Hinc videmus quam multi sint qui honoris causa voluptates contemnunt magnosque labores et etiam pericula subeunt; et homo, licet ardentissimis libidinis facibus ardeat mulieremque perditus depereat, nunquam tamen adducetur eo amentiae, ut publico loco, multis videntibus, magna cum honoris iactura velit turpi voluptate frui. Honoris cupiditas et amor vincit cupiditatem voluptatis, quoniam desiderium honoris proprium hominis est, voluptatis autem animalium. Cum autem via salutis virtus sit, via autem perditionis vitium, est quidem vitium saepe cum voluptate coniunctum, uti in vitiis carnis manifestum est, sed tamen magno cum pudore, hinc tenebras et latibula quaerunt; virtus autem, licet videatur aspera et insuavis, sed tamen magno cum honore, existimatione, laude coniuncta est. Hinc iubet Dominus hodie ut, si monitione secreta ad fratrem corrigendum minime profecerimus, adhibeamus testes, ut coram eis peccator correptus, pudore et rubore suffundatur, quod natura homo maxime timet, sicut honoris et laudis avidissimus est.

cuius homo cupidissimus est,

Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum; nam emendari potest, non evasit peccando daemon omnino incorrigibilis. Natura humana est sicut manus Moysi, quae leprosa evasit, sed mundari etiam a lepra potuit,[66] sicut et Maria soror Moysi;[67] est sicut virga Moysi, quae in terram proiecta coluber evasit, sed tamen iterum in virgam conversa fuit;[68] non est sicut uxor Loth, quae conversa in statuam salis, perpetuo sic mansit;[69] est sicut luna luminis deliquium passa: illuminari iterum potest sicut lampas extincta; satage ut eam reaccendas: *Vade corripe eum... et lucratus eris fratrem tuum.*

unde ipse natura incorregibilis non est,

Si peccaverit in te frater tuus. Loquitur hodie Dominus fideli-

66) Cf. Ex 4, 6-7. 67) Cf. Nm 12, 16 sqq. 68) Cf. Ex 4, 2-4.
69) Cf. Gn 19, 26.

bus suis sicut paterfamilias amantissimis filiis, quos cupit eadem in domo simul perpetuo magna cum pace et fraterna caritate cohabitare atque convivere. Nam *ecce,* ait Regius Vates, *quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum,*[70] idest concorditer, in pace, in caritate, in amore fraternitatis. At vero non sumus sicut Angeli in caelo beati, qui divino munere peccare omnino non possunt nec in Deum nec in proximos et consortes; hinc cherubim in sancto sanctorum divinum propitiatorium et se invicem mutuo aspiciebant.[71] Peccare potuit Adam in paradiso, peccare Eva a serpente impostore seducta;[72] nos etiam peccare possumus, verum etiam, sicut et illi, a peccato resurgere. Divina correptione illi iustificati fuerunt. Sic igitur: *Si peccaverit in te... vade, corripe.* et si peccare, etiam a peccato resurgere potest.

VII. *Si peccaverit in te... lucratus eris fratrem tuum.* Requirit a nobis hodie Dominus amorem et odium; amorem erga fratrem peccantem, ut fraterna caritate moti desideremus[73] et quaeramus salutem ipsius, sicut pastor ovem errantem, sicut mulier drachmam perditam;[74] odium vero contra peccatum. Hinc assignat obiectum amoris, magnum bonum: *Lucratus eris fratrem tuum,* magnum lucrum: *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?*[75] Maioris aestimationis et praemii est apud Deum anima una, quam totus mundus, magnum lucrum, acquisitio ingentis thesauri. Requirit Christus amorem erga peccantem et odium in peccatum,

Sed non capit haec mundus, ideo contemnit. Hinc est quod contraria omnino praestamus, peccamus enim, saepe perdimus vel perdere satagimus, saltem gladio linguae, detrahentes, murmurantes, infamantes ad perditionem peccatoris et ad conservationem et augmentum peccati, ita ut cum lingua nostra possit esse gladius acutissimus in manu Spiritus Sancti ad destruendum peccatum et salvandum peccatorem, fit gladius in manu spiritus maligni ad perdendum peccatorem et salvandum peccatum.

Si peccaverit in te frater tuus. Requirit Dominus in fidelibus suis germanam caritatem veramque amicitiam, quae nec adulari novit amico coram, nec absens detrahere, sed semper et ubique ex corde veram quoque caritatem,

70) Ps 132, 1. 71) Cf. Ex 37, 7-9. 72) Cf. Gn 3, 1-7. 73) Ms.: *Desiderc.*
74) Cf. Lc 15, 4-9. 75) Mt 16, 26.

quae virtutis causa ex animo proximum diligit.

diligere et amico bene velle, optima quaeque desiderare. Difficile admodum adulator ab amico vero dignoscitur, ut Plutarchus docet;[76] sed tamen qui hodiernum praeceptum servat, non potest non verus amicus esse qui acceptam iniuriam ab amico utcumque non retaliat, non malum reddit pro malo, sed iniuria lacessitus quaerit prodesse, hoc enim est: *Lucratus eris fratrem tuum.* Hic enim manifeste dignoscitur non proprium quid ab amico expectare aut quaerere, sed Dei et virtutis causa amicum ut fratrem ex animo vera caritate diligere.

ALIA HOMILIA [1]

Si peccaverit in te frater tuus. [2]

Ostendit Dominus qualis et quanta sit Ecclesiae auctoritas

I. Ostendit Dominus in hodierno Evangelio perniciem peccati, quod instar veneni mortiferi ac supra modum letalis est. Dat efficax remedium salutis: *Corripe eum... si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.*[3] Ostendit qualis et quanta sit Ecclesiae auctoritas: *Quaecumque alligaveritis super terram,* etc.[4] Nec solum auctoritatem quam habet super homines, verum etiam quam habet apud Deum: *Iterum dico vobis, quod si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo,*[5] nam: *Ubicumque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Sic magna est Ecclesiae apud Deum auctoritas.

et tradit sanctissimas leges caritatis et iustitiae,

Tradit hodie Christus fidelibus suis tanquam optimus princeps optimas et sanctissimas leges: *Dulcis et rectus Dominus,* ait Regius Vates, *propter hoc legem dabit delinquentibus in via; diriget mansuetos in iudicio, docebit mites vias suas;*[6] *Omnes viae* Domini *misericordia et veritas.*[7] Mites vult esse christianos: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.*[8] His dat hodie leges similes animo ipsius legislatoris, qui dulcis et rectus est, iustus et misericors: *Virga aequitatis virga regni tui; dilexisti iustitiam et odisti inquitatem,*

76) Cf. *Quomodo possit adulator ab amicis dignosci,* pag. 43.

1) Alio atramento clariori exarata. 2) Mt 18, 15. 3) Ibid. 18, 15. 4) Ibid. vr. 18. 5) Ibid. vrr. 19-20. 6) Ps 24, 8-9. 7) Tob 3, 2. 8) Mt 11, 29.

propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis.[9] Oleum autem Spiritus Sancti gratiam divinamque caritatem significat; hinc Christus in Melchisedech figuratus fuit, qui rex iustitiae et rex pacis interpretatur.[10] Videmus in eo, sicut in sanctuario Domini, vas plenum manna et virgam.[11] Sic dat hodie fidelibus suis legem caritatis: *Si peccaverit in te, vade et corripe eum,* utique ut lucreris eum; legem item iustitiae: *Si non audierit eos, dic Ecclesiae, et si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.*[12] Sic tanquam misericors dat auctoritatem absolvendi, et tamquam iustus auctoritatem ligandi peccatores; tanquam rex pacis et totus dulcis, dat legem caritatis et concordiae, praecipiens fraternam correptionem ex caritate, ut pacem cum fratribus, caritatem concordiamque colamus, ad quam etiam allicit magno praemio proposito: *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo.*

ad absolvendos et diligendos peccatores;

Dat autem Christus hodie non solum caritatis, verum etiam iuris ordinem, dat leges et praecepta cum caritatis tum etiam iustitiae; instituit summum Ecclesiae tribunal, summa auctoritate firmatum: *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata,* etc.

dat etiam iustitiae ordinem.

II. *Dic Ecclesiae.* Interpretatur optimus interpres Calvinus: dic synagogae. Num iubet nos Iudaeos fieri? Num rabbinos et archysinagogos Iudaeorum adire nos oportet? Num rabbinis Iudaeorum ait Christus: *Quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata et caelo?* Alii ex eodem grege interpretantur universalem Ecclesiam, multitudinem fidelium. Quid ergo? Ad componendos privatos homines pro causa privata congregandum semper est generale concilium? Dicit ergo Ecclesiam, ut Chrysostomus[13] et alii interpretantur,[14] Praesules Ecclesiae, magistratum et tribunal ecclesiasticum. Nam respublica facere dicitur quae magistratus reipublicae facit et dum caput videt, audit, loquitur, haec omnia homo facere dicitur. Sic rectores Ecclesiae Praesules, Episcopi Ecclesiae dicuntur, quoniam Ecclesiam repraesentant eiusque personam gerunt et Christi.

Dic Ecclesiae: interpretatio errata Calvini et recta expositio Doctorum.

9) Ps 44, 7-8. 10) Cf. 5, 5-10; 6, 20; 7, 1-2. 11) Cf. ibid. 9, 3-4. 12) Mt 18, 17. 13) *In Matthaeum*, hom. 60, (P. G. 58, 586). 14) Cf. Eutymius Zigabenus *Comment. in Matthaeum*, cp. 38, ibid. 129, 506; Paschasius Radbertus *Expositio in Matthaeum*, lib. 8, (P. L. 120, 621-622); Anselmus Laudunensis *Enarrat. in Matthaeum*, ibid. 162, 1409. Cf. Io. De La Haye *Biblia Maxima*, h. l.

A tempore Apostolorum Episcopi iudices fuerunt in foro ecclesiastico,

Cum autem, ut dicitur, consuetudo sit «optima interpres legis», [14a] maxime si ex quo lata fuit, ita servari coepit, hic fuit semper usus in Ecclesia a temporibus Apostolorum, ut Episcopi et Pastores essent iudices in foro ecclesiastico; sic Paulus *ad Corinthios* ait datam sibi a Deo potestatem *in aedificationem et non in destructionem,* [15] idest ad utilitatem Ecclesiae, non in ruinam; sic ipse incestuosum corinthium iudicavit et satanae tradidit in interitum carnis, ut spiritus salvus fieret; [16] sic postea, *in persona Christi* illum absolvit; [17] sic *ad Timotheum* Episcopum scribit instruens eum quomodo debeat iudicare, ne adversus presbyterum accusationem acciperet, *nisi sub duobus aut tribus testibus.* [18] Sic semper ab Apostolis ad hunc usque diem Episcopi semper hanc ligandi et solvendi auctoritatem tenuere et exercuere.

ideo divina pollent iudiciaria potestate,

Dedit itaque Dominus Ecclesiae, idest veris legitimisque Episcopis, pastoribus Ecclesiae, in Apostolis, quorum ipsi sunt legitimi successores, iudiciariam potestatem divinamque ligandi et solvendi.

multo maiore ea quam principibus synagogae contulerat.

Nec tantum dedit iudiciariam auctoritatem et potestatem, sed magnam valde atque mirabilem: *Quecumque ligaveritis super terram,* etc.; sicut etiam Petro dixit: *Tibi dabo claves,* etc. [19] Etiam praesulibus synagogae Deus magnam dedit auctoritatem; hinc cum Moysen principem instituisset, ait: *Constitui te deum Pharaonis.* [20] Hinc principes synagogae dii sunt appellati: *Diis non detrahes et principi populi tui non maledices;* [21] sic: *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos diiudicat,* [22] et postea: *Ego dixi: dii estis et filii Excelsi omnes;* [23] habebant verum et mixtum a Deo imperium et supremi iudices erant. Sed quamvis magna et superhumana esset eorum auctoritas et potestas, multo tamen inferior erat praesenti hac auctoritate, quam sit luna sole et nox ipsa die. *Quis enim potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* [24] Et tamen *dedit potestatem talem hominibus.* [25] Haec enim plane divina est auctoritas, quam nec Angeli in caelo habent, quoniam huic datae sunt claves regni caelorum et per remissionem peccatorum potest vitam aeternam praestare et ab ea excludere et sic in aeternum damnare.

constituti enim fuerunt veri vicarii Christi.

14a) C. 2, *de Consuetudine,* I, 4, in VI; C. I. C., c. 29. 15) 2 Cor 13, 10. 16) Cf. 1 Cor 5, 3-5 17) 2 Cor 2, 10. 18) 1 Tim 5, 19. 19) Mt 16, 19. 20) Ex 7, 1. 21) Ibid. 22, 28. 22) Ps 81, 1. 23) Ibid. vr. 6. 24) Mc 2, 7; Lc 5, 21. 25) Mt 9, 8.

Sic instituti sunt vicarii Christi, sicut ipsemet ait: *Sicut misit me Pater et ego mitto vos*, et insufflavit in eos et dixit: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, etc.[26] Sic Paulus *2 Corintiis* 2 ait se *in persona Christi* absolvisse incestuosum illum. Quid est *in persona Christi*? Ac si Christus ipse coram absolvisset.

III. Optimi Divinarum Scripturarum interpretes, Calviniani, aiunt potestatem hanc consistere in doctrina verbi, quod praedicando solvunt, sicut Lucae 11 dicitur de scribis, quod acceperunt clavem scientiae,[27] utique regni Dei. Quid ergo? Omnes qui docentur, qui audiunt verbum Dei, solvuntur? Sed apud ipsos etiam feminae praedicant verbum Dei et docent. Num docendo Paulus ligavit incestuosum corinthium, cum satanae eum tradidit? Alii dicunt potestatem hanc absolvendi esse, quod ipsi declarent absolutos esse. At vero tunc non dixisset Christus: *Quaecumque ligaveritis*[28] *super terram, erunt ligata et in caelo*, sed potius quaecumque ligata erunt in caelo, vos ligabitis super terram et quaecumque soluta erunt in caelo, etc. Sed non ita loquitur Christus, imo ita loquitur ut ostendat non prius esse soluta aut ligata in caelo, quam per Episcopos et sacerdotes in terra.

Refellitur erronea interpretatio novatorum.

Sicut ergo constituit Christus Petrum Ecclesiae principem cum ait: *Tibi dabo claves regni caelorum*, nam penes principes civitatis manent claves, ac dixit: *Quodcumque ligaveris super terram*, etc.,[29] ita nunc Apostolos principes constituit, divinam eis tribuens auctoritatem.

Christus Apostolos constituit principes Ecclesiae

Nec tantum declarat Dominus hodie auctoritatem ecclesiasticam super homines, verum etiam apud Deum contemplatione Christi: *Si duo ex vobis*, etc., nam: *Ubicumque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Si autem preces vel duorum tantum fidelium tanti valent apud Deum, quid valebunt publicae preces Ecclesiae? Sicut autem divinam auctoritatem dedit Deus Moysi contra Pharaonem et Aegyptum in salutem Israelitarum, ita

eisque auctoritatem contulit puniendi peccatores.

26) Io 20, 21-23. 27) Cf. vr. 52. De his Calvinianorum sententiis cf. S. Bellarminus *Controversiae*, t. 3, *De Poenitentia*, lib. 1, cp. 10, col. 914-915; lib. 3, cp. 2, col. 1029-1035.
28) Ms.: *Ligaverit*. 29) Mt 16, 19.

hanc contulit Ecclesiae contra satanam et peccatum, quod est regnum ipsius, in salutem electorum. Vult autem Dominus deleri peccatum, vel iuste puniri peccatorem incorregibilem.

Potestas ligandi et absolvendi significat etiam potestatem quoad censuras et vota, etc.

Quaecumque ligaveritis super terram. Loquitur praecipue de poena excommunicationis: *Sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Dat itaque auctoritatem ligandi, idest obligandi ad servandas leges et ad poenas propter earum transgressiones subeundas; obligandi ad poenitentias pro peccatis in Confessione Sacramentali iniunctas peragendas pro satisfactione; auctoritatem item solvendi, idest absolvendi a peccatis et poenis, ab excommunicatione aliisque ecclesiasticis censuris; dispensandi in lege, in votis, in iuramentis aliisque similibus obligationibus, quoniam eorum divina est auctoritas, cum in persona Christi iudicent.

Multa Deus privilegia synagogae contulit,

Proponuntur[30] in hodierno Evangelio divina privilegia Sanctae Ecclesiae in destructionem peccati atque in salutem peccatorum. Multa privilegia concessit Deus synagogae, sed multo plura Sanctae Ecclesiae, *quam acquisivit sanguine suo.*[31] Specialia privilegia synagogae fuerunt summa auctoritas data Moysi et Aaroni, principibus synagogae, divinum propitiatorium cum arca, ubi erat veluti ingens thesaurus bonorum et gratiarum Dei, ac tandem praesentia spiritualis Dei in medio populi: *Facient mihi sanctuarium et habitabo in medio eorum.*[32] Similia habemus in hodierno Evangelio: auctoritatem: *Quaecumque alligaveritis super terram,* etc.; thesaurum gratiarum: *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint,* etc.; ac tandem spiritualis praesentia: *Ubicumque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Sed quaenam fuit auctoritas principum synagogae? Magna quidem, at vero ad punienda, non dimittenda peccata; principum vero Ecclesiae ad utrumque: *Quaecumque alligaveritis... et solveritis; Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata,* etc.; *Quis potest dimittere peccata,* etc.?[33]

sed multo maiora Ecclesiae.

30) Alio stylo latiori et atramento clariori. 31) Act 20, 28. 32) Ex 25, 8.
33) Duabus paginis albis relictis, transit ad Feriam sequentem.

FERIA QUARTA INFRA HEBDOMADAM TERTIAM QUADRAGESIMAE

Nam Deus dixit: Honora patrem tuum et matrem, et: Qui maledixerit patri vel matri morte, etc. [1]

I. Ostendit Dominus in hodierno Evangelio servandas esse leges divinas potius quam humanas, sicut etiam Petrus dixit principibus Iudaeorum: *Oportet obedire Deo magis quam hominibus.* [2] Quoniam vero homines, sicut ad carnalia et mundana cum propensissimi sint, freno opus habent, ad haec enim alas habent ad pedes et flammas ad cor, ita ad spiritualia et divina, ad quae maxime frigent, calcaribus egent, assignat Dominus rationes, quae animum nostrum vel maxime urgere possunt ad divinas leges servandas. Assignat Christus rationes quibus divinae leges servandae sunt:

Sunt autem duo quae homines movere solent ad operandum: alterum quidem est honestatis ratio, alterum vero spes commodi et emolumenti. Ut filii obediant parentibus, subditi praelatis, populares principibus, milites ducibus et imperatoribus, ut homines benefactoribus grati sint, ut secundum rationem vivant, honestatis ratio requirit. Ut autem coloni in terra, piscatores in aquis, artifices in civitate, milites in castris multos labores sustineant, spes utilitatis consequendae movet et urget. primo, honestatis et utilitatis,

Cum Deus legem tulit Hebraeis, primo omnium has rationes proposuit dicens: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo servitutis,* haec est ratio honestatis; *Ego* enim *sum Dominus Deus tuus,* Deus *zelotes, visitans iniquitatem... et faciens misericordiam in millibus,* etc., [3] haec ratio utilitatis, quae du- quas Deus ipse proposuit cum legem tulit Hebraeis;

1) Pericope huius diei Mt 15, 1-21. Cf. Missale Rom. 2) Act 5, 29. Vulg.: *Obedire oportet,* etc. 3) Ex 20, 2. 5-6. Vulg.: *In millia.*

plex est. Sicut mercatores in negotiationibus suis rationem habent lucri et damni, lucri cessantis et damni emergentis, ita proponitur duplex utilitatis ratio, ad fugiendam poenam transgressionis et ad percipiendam mercedem operis.

deinde maiestatis divinae et collati beneficii.

Prima etiam ratio duplex est: *Ego sum Dominus*, ratio dignitatis et maiestatis est; deinde vero: *Deus tuus*, ratio collati beneficii, nam *eduxi te de terra Aegypti*, etc. Hanc per Malachiam requirit dicens: *Filius honorat patrem et servus dominum suum; si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* [4] Moyses in *Cantico Deuteronomii* hac ratione arguit Hebraeos violatae legis: *Generatio prava atque perversa, haeccine reddis Domino,* [5] *popule stulte et insipiens? Nonne ipse est Pater tuus, qui possedit et fecit et creavit te? Deum qui te genuit dereliquisti et oblitus es Domini creatoris.* [6]

Eaedem rationes assignantur in hodierno Evangelio.

Sic in hodierno Evangelio duae hae rationes assignantur: ratio honestatis: *Nam Deus dixit*: *Honora patrem tuum et matrem*, et ratio utilitatis: *Ut sis longaevus super terram quam Dominus*, etc. [7] itemque: *Qui maledixerit patri*, etc. [8] Utraque autem ratio amplissima est et capacissima, [9] sicut duo magna mundi corpora, caelum et terra, quorum nominibus Moyses perstrinxit universi totius creationem dicens: *In principio creavit Deus caelum et terram.* [10] Nam caeli nomine complexus fuit omnes orbes, planetas, stellas, ipsos etiam Angelos; terrae autem nomine contigua cognataque elementa et insuper lapides, metalla, plantas, animalia, infinita pene rerum genera. Ita in duabus hisce rationibus continentur aliae quam plurimae ac pene innumerae, veluti sub generibus species.

Agitur hodie de duplici genere legum: divinarum et humanarum,

II. Agitur in hodierno Evangelio de duplici genere legum, divinarum et humanarum: *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram;* [11] de duplici genere religionis: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me; in vanum autem colunt me;* [12] de duplici genere hominum: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus caelestis, eradicabitur. Sinite eos, caeci sunt et duces caecorum; Adhuc et vos sine intellectu estis? Non intelli-*

4) 1, 6. 5) Ms.: *Domino* bis ponitur. 6) 32, 5-6. 18. Vulg.: *Nunquid non ipse*, etc. 7) Ex 20, 12. 8) Ibid. 21, 17; Mt 15, 4. 9) Ms.: *Capacissimae*. 10) Gn 1, 1. 11) Mt 15, 6. 12) Ibid. vrr. 9-10; Mc 7, 6-7. Cf. Is 29, 13.

gitis? [13] Agitur, inquam, de discipulis Christi et de Pharisaeis inimicis Christi, de duplici puritate et sanctitate vitae, interna et externa, christiana et pharisaica, de vera et falsa iustitia.

Nam sicut non omne, quod videtur aurum, aurum est, nec omnis lapillus, qui videtur gemma, vera gemma est, ita non omnis virtus et sanctitas, vera virtus et sanctitas est, sed quae sedem habet in corde. Deus enim inspector cordium est et qui ambulat coram Deo perfectus erit, sic enim Abrahamo dictum est: *Ambula coram me et esto perfectus.* [14] Cor enim, animus bene formatus, bona sanctaqua voluntas veluti radix est arboris bonae, quae fructus bonos facit, nec potest fructus malos facere: [15] *In lege Domini voluntas eius et in lege eius meditabitur die ac nocte; et erit tanquam lignum*, idest arbor, *quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* [16] Quare agitur in hodierno Evangelio de bono et malo corde, bona et mala voluntate, nam ait quod *bonus homo de bono thesauro cordis... profert bonum, et malus homo de malo thesauro* cordis *profert malum, nam ex abundantia cordis os loquitur.* [16a]

ac de duplici sanctitate vitae: interna et externa

ac de bona et mala voluntate.

Singulariter tamen de divinis et humanis legibus in hodierno Evangelio agitur. Ubi illud in primis advertendum est, non improbare Christum omnes humanas leges, quae hic *traditiones* dicuntur, idest principum instituta, nam de principibus loquitur, hinc ait eos duces esse caecorum. Non tollit, inquam, imo nec improbat Christus hodie omnes humanas leges, sed tantum traditiones divinae legi contrarias, repugnantes, quae militant contra divina mandata. Leges autem humanas divinis legibus et naturali iuri conformes, imo nec adiaphoras quidem, quae nec subveniunt nec repugnant divinis legibus - neque enim improbat traditiones seniorum de lavandis manibus, - eas Christus nec laudat nec vituperat; cum tamen principes imperant, servandae sunt, quoniam principes utriusque fori divinam in mundo referunt maiestatem: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi a Deo, qui autem potestati resistit, Dei ordinationi resistit,* ait Paulus, [17] cui Petrus accinit dicens: *Subiecti estote omni humanae crea-*

Singulariter agitur de divinis et humanis legibus.

Non improbat Christus leges humanas, nisi militent contra divinas.

13) Mt 15, 13-14. 16-17. 14) Gn 17, 1. 15) Cf. Mt 7, 17-18; Lc 6, 43.
16) Ps 1, 2-3. 16a) Lc 6, 45. Vulg.: *Ex abundantia enim*, etc. 17) Rom 13, 1-2.

turae... sive regi quasi praecellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis.[18] Si autem saecularibus principibus obediendum est, quanto magis spiritualibus, de quibus ait: *Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit?*[19] *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus?*[20] Leges igitur principum servandae sunt, modo divinis legibus non repugnent: *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.*

Magnum discrimen est inter divinas et humanas leges.

III. Ostenditur autem latum discrimen inter divinas et humanas leges. Primo quidem quoad originem, ad auctores: *Mandatum Dei, Deus dixit,* idest praecepit; humanas autem leges appellat Dominus doctrinas et mandata hominum: *In vanum colunt me docentes doctrinas et mandata hominum,*[21] hinc dicuntur *traditiones seniorum.*[22] Ad condendas leges requiritur auctoritas, sapientia et iustitia. Quanto autem Deus maior est homine, tanto maior est auctoritas divinarum legum auctoritate humanarum. Hinc quanti faciendae sint leges divinae ostendit ipse Dominus, qui ad servandas tabulas legis iussit fieri arcam intus et foris totam deauratam,[23] ut instar thesauri divinae leges ibi perpetuo asservarentur.

illae enim Deum habent auctorem, hae homines;

Sed sicut non novit mundus Deum, ita nec auctoritatem novit divinarum legum: *Deus dixit; Irritum fecistis mandatum Dei;* sed: *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus.*[24] Cum Moyses et Aaron Pharaoni dixissent: *Haec dicit Dominus Deus Israel; dimitte populum meum, ut sacrificet mihi in deserto,* respondit Pharao: *Quis est Dominus, ut audiam vocem eius et dimittam Israel? Dominum non novi et Israel non dimittam.*[25] Sic multi nihili faciunt divina mandata. Dicas homini, filio huius saeculi, qui odio acri et crudo persequitur inimicum suum: Deus praecipit ut diligas inimicum; surdis auribus loqueris. Infinitis partibus minor est auctoritas humanarum legum, quam divinarum; multo tamen magis humanae servantur quam divinae, quoniam multo notior est auctoritas et potentia hominum principum, quam Dei, qui rex est regum, cuius infinita maiestas et auctoritas est.

et tamen magis humanae quam divinae servantur.

18) 1 Petr 2, 13-14. 19) Lc 10, 16. 20) Mt 18, 17. 21) Ibid. 15, 9; Mc 7, 7. 22) Mt 15, 2. 23) Cf. Ex 25, 10-11. 24) Ps 13, 1. 25) Ex 5, 1-2. Vulg.: *Nescio Dominum.*

Divina lex de caelo lata dataque fuit, divina sapientia plena est divinaque sanctitate; non sic autem humanae leges: saepe errores continent et iniustae sunt: *Transgredimi mandatum Dei propter traditionem vestram.* Finis autem humanarum legum, cum bonae sunt, pax est et tranquillitas reipublicae; finis autem divinarum vita et gloria in caelo sempiterna: *Ut sis longaevus super terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.* [26] Humanae leges transgressoribus graves poenas minitantur et intentant, servatoribus autem nihil promittunt; divinae autem transgressoribus quidem gravia supplicia comminantur: *Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur,* verum observatoribus etiam promittunt magna praemia: *Ut sis longaevus super terram; Visitans iniquitatem patrum super filios in tertiam et quartam generationem, his qui oderunt me, et faciens misericordiam in millibus, his qui diligunt me et custodiunt mandata mea.*

Divinae leges sapientissimae sunt et magna praemia promittunt;

humanae saepe iniustae et graves sunt.

IV. *Quare vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* Magna quaestio haec est, quam scribis et Pharisaeis movit Salvator, nec ipsi, licet docti et eruditi, responderunt. Quare videndum nobis est quidnam sit in causa quod ab hominibus servantur potius mundanae leges quam divinae, ita ut facile homines transgrediantur mandata Dei propter traditiones et leges mundi, sicut Adam de ligno scientiae potius quam de ligno vitae comedere voluit. Suntne leges mundi divinis legibus meliores? faciliores? utiliores? dignitate praestantiores? Sed quomodo bonae leges mundi, si caverant scribae et Pharisaei ne filii parentes honorarent? ut in parentes impii et crudeles essent, contra ipsa iura naturae? Quomodo faciles, si imponunt onera gravia et importabilia in humeros hominum? [27] Quomodo utiles, cum, ut plurimum, ex avaritia principum ortum habeant, qui non quid reipublicae, sed quid sibi utile sit oculate prospiciunt?

Facile transgrediuntur leges divinae propter leges humanas,

Leges quidem Dei graves videntur, nam scriptae in lapidibus datae fuerunt; obscurae et intellectu etiam difficiles, datae de medio caliginis; frigidae et insuaves, absque ulla iucunditate instar lapidum, infrugiferae, sicut lapis nihil generat. Sed caligo, de cuius

quia divina lex gravis videtur et obscura,

26) Ibid. 20, 12; Dt 5, 16. 27) Cf. Mt 23, 4.

sed sapientissima est et servatores suos honorat et ditat.

medio lex lata fuit, intrinsecus lucidissima erat;[28] ita plena est lex divina sapientia, licet absque ullo splendore eloquentiae sit: *Testimonium Domini fidele, sapientiam praestans parvulis... praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos.*[29] Scripta fuit in lapidibus in signum perpetuitatis et inflexibilis rectitudinis, ne eam homines ad suos sensus flecterent atque pertraherent; sed tamen in pretiosis lapidibus scripta fuit, quia homines honorat non onerat, ditat non gravat.[30]

Maxima est auctoritas conditoris divinae legis,

V. *Quare discipuli tui transgrediuntur?* Mirabantur Pharisaei cur discipuli Christi transgrederentur leges hominum, Christus autem miratur cur ipsi divinas leges transgrederentur:[31] *Quare et vos transgredimini mandatum Dei?* Hoc enim vere mirabile est, cur non serventur divinae leges, cum causas habeant urgentissimas maximeque efficaces. Nam si tria sunt quae movent homines ad servandas leges: primum quidem auctoritas principis, deinde vero timor poenae ac tandem spes praemii, - praeter ipsam honestatem et debitum ex legis iustitia, sanctitate, honestate, necessitate, - quo haec autem maiora sunt eo vehementius urgent ad servandas leges; in divinis autem legibus haec maxima sunt: *Ego enim sum Dominus Deus tuus, Deus zelotes,* ecce maiestas et auctoritas principis conditoris harum legum; *Visitans iniquitatem,* ecce poena transgressionis; *Et faciens misericordiam in millibus,* ecce praemium observantiae. Haec autem magna sunt, sicut Deus ipse; hinc Abrahamo dixit: *Noli timere, Abram, ego protector tuus sum et merces tua magna nimis.*[32] Ad tales igitur tantasque causas quomodo non sequitur effectus? Arbor tam magna sine fructu?

magna item praemia servatoribus promissa et magnae poenae transgressoribus comminatae.

An forte impossibilis servatu divina lex est? Sed si impossibilis est, quomodo servata a multis fidelibus est in Ecclesia Christi ab origine mundi usque modo? Servata est a multis hominibus sub utroque Testamento, ergo non est impossibilis. Tyranni sunt qui imponunt in humeros hominum onera gravia et importabilia, non optimi principes popularibus suis, non optimi patres filiis suis. Deus optimus princeps est, optimus et amantissimus Pater.

Lex divina servatu impossibilis non est.

28) Cf. Ex 19, 16 sqq.; 31, 18. 29) Ps 18, 8-9. 30) Ms.: *Honorant, onerant, ditant, gravant.* 31) Ms.: *Transgredentur.* 32) Gn 15, 1.

Sed forte, si non impossibilis, gravis tamen et admodum difficilis. Minime gentium: *Mandata eius gravia non sunt;*[33] *Iugum meum suave est et onus meum leve.*[34] Hinc lex ignea dicitur, ignis autem natura levissimus est. An forte insuavis, inutilis? Sed *iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa; desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum et dulciora super mel et favum.*[35] Hinc una cum tabulis legis in divino sanctuario asservabatur virga, quae miraculo fructificavit, et urna caelestis mannae.[36] *Quare* ergo *transgredimini mandatum Dei?*

nec gravis aut dura,

Forte divina lex ignota est, intellectu valde difficilis. Hinc hodie ait Dominus: Auribus *audite et intelligite,* et Apostolis: *Adhuc et vos sine intellectu estis? Non intelligitis?*[37] Lex autem quae ignoratur, servari minime potest. Sed quomodo lex Domini potest esse ignota, cum sit naturalis? *Deus dixit*: *Honora patrem tuum et matrem.* Hoc, natura duce, etiam infideles parentibus praestant, etiam bruta animalia; ciconiarum exemplum notissimum est.[38] Similiter unum esse Deum honorandumque esse, natura docet; noverunt philosophi, poetae, oratores, historici, etiam infideles Deum venerantur et colunt. Non furandum, non adulterandum, non occidendum natura docet, lex naturalis est: *Quaecumque vultis ut faciant vobis homines et vos facite illis.*[39] Si igitur naturalis est, quomodo ignota est? *Quare ergo transgredimini mandatum Dei?*

nec intellectu difficilis, cum doceat quae ipsa natura docet;

In causa est natura peccato vitiata atque corrupta. Nam: *Sensus et cogitatio... cordis ad malum* tantum *prona sunt ab adolescentia.*[40] Infirmus autem, qui palatum habet male affectum, optima respuit, noxiis delectatur. Hinc Regius Vates orabat: *Bonum gustum et scientiam doce me.*[41] Hac de causa vitia nos magis quam virtutes delectant, carnalia quam spiritualia, terrena quam caelestia, animalia quam angelica, mundana quam divina. Hinc promptiores sumus ad malum quam ad bonum, ad carnis opera fervemus, ad opera autem spiritus frigidi sumus.

facile tamen transgreditur, quia vitia magis quam virtutes delectant.

Vera quidem est ratio; sed tamen, cum peccato illo omnium ho-

33) Io 5, 3. 34) Mt 11, 30. 35) Ps 18, 10-11. 36) Cf. Ex 25, 16; 40, 18; Nm 17, 7-10. 37) Mt 15, 10. 16-17. 38) S. Ambrosius: « Romanorum usu (ciconia) pia avis vocatur », *Hexaemeron*, lib. 5, cp. 16. (P. L. 14, 229), quod pulli parentibus senio confectis necessaria ad victum provident. Cf. etiam Plato *Alcibiades*, lib. 5, pag. 25; Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 11, cp. 17, col. 385. 39) Mt 7, 12. 40) Gn 8, 21. 41) Ps 118, 66. Ex hebraico.

Vere virtutis amatores divinis legibus delectantur.

minum corrupta natura sit, multi[42] divinis legibus quam maxime delectantur: *Quam dulcia*, ait Regius Vates, *faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo; Dilexi mandata tua super aurum et topazion;*[43] hinc item ait: *In corde meo abscondi eloquia tua* tanquam[44] thesaurum quemdam; et item: *Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui et legem tuam in medio cordis mei.*[45] Siquidem per Isaiam Dominus ait: *Populus meus, lex mea in corde eorum.*[46]

Ad legem servandam maximi refert educatio et auxilium Dei

VI. Ratio potior videtur educatio. Natura nanque nostra sicut terra est, cui peccati causa maledixit Dominus.[47] Si optime culta et sata sit, reddit fructum, nam semen in terra bona dedit fructum centuplum;[48] si autem inculta sit, petricosa, herbis et spinis obsita, nullum fructum reddit, nam suapte natura nonnisi malas herbas, spinas et tribulos germinat. Ita plane natura nostra. Ad virtutem optandam vel negligendam maximi refert educatio. Sed tamen multi, licet optime educati a patribus optimis, pessimi tamen extitere, ut Ismael, Absalom, Cham, Esau aliique innumeri. Alii vero absque ulla educatione viri extitere virtute insignes, ut Abraham, cuius pater idolis serviebat, ut Iob gentilis aliique sine numero. Dicimus igitur donum Dei esse, nam: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid... ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.*[49] Munus Dei est divinam legem servare.

et cognitio divinae auctoritatis, praemii ac poenae.

Sed transgredi? *Quare vos transgredimini mandatum Dei?* Caecitati assignat hodie Dominus: *Sinite eos, caeci sunt et duces caecorum, caecus autem si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt.*[50] Caecitas autem defectus est visivae potentiae, defectus cognitionis, defectus fidei. Humanae leges servantur, quoniam nota est auctoritas principis, nota poena quae transgressione incurritur. Quoniam vero Dei auctoritas minime perspecta nobis est, aut gloria paradisi praemium observantiae, vel poena inferni punitio transgressionis, hinc divina lex contemnitur et tam facile violatur ad minimam occasionem quamcumque. Ad servandas autem divinas leges necessaria est cognitio auctoritatis et poenae. Propterea Deus statim

42) Ms.: *Tamen* iterum ponitur. 43) Ps 118, 103, 127. 44) Ibid. vr. 11.
45) Ps 39, 9. 46) 51, 7. Ms.: *Meo.* 47) Cf. Gn 3, 17. 48) Cf. Lc 8, 8.
49) 2 Cor 3, 5. Vulg.: *Non quod sufficientes simus*, etc. 50) Mt 15, 14.

in principio, dum primum legis praeceptum daret, tria haec oculorum sub aspectum posuit. Quoniam igitur haec ignorantur, et si creduntur, fide quam infirmissima creduntur, hinc transgressio.

Praeceptum dilectionis parentum in lege divina potissimum est,

VII. *Qui maledixerit patri vel matri morte moriatur.* Praeceptum hoc a Paulo dictum est primum in promissione,[51] et similiter in comminatione: *Morte moriatur.* Divina iustitia aliquando acrius et severius punisse visa est peccata in proximum, quam peccata in Deum. Peccaverat Adam in Deum, Cain autem in proximum. Ad punitionem peccati Adae Deus maledixit terram, non ipsum; sed ad punitionem peccati Cain ipsum maledixit: *Maledictus eris.*[52] Idololatras in deserto gladio punivit,[53] seditiosos autem, qui contra Moysen et Aaron insurrexerunt, igne et voratione terrae, nam dehiscens terra vivos deglutivit.[54] Maxime autem punita est impietas in Cham[55] et Absalom.[56]

sed hoc quoque ab educatione maxime pendet.

Nam Deus dixit: Honora patrem tuum et matrem. Divini huius praecepti ac proinde totius legis observatio, post Deum, a parentum educatione maxime pendet. Hinc Deus laudavit Abraham dicens non posse se non revelare ei cordis sui arcana, eo quod filios optime educaturus erat: *Num celare potero quae gesturus sum? Scio enim quod praecepturus sit domui suae et filiis suis post se, ut custodiant viam Domini et faciant iudicium et iustitiam.*[57] Quanti refert et quam grata Deo est optima piaque filiorum educatio! Ita et Iob sollicitus vehementer de filiis erat, multisque sacrificiis ad Deum eos expiabat dicens: Ne forte benedixerint filii Deo in corde suo,[58] idest ne forte quid contra Deum concupierint aut cogitarint. O veram hominis Deo digni pietatem! Sic per singulos dies agebat vir iste, divino etiam testimonio sanctissimus, beatissimus.

Tria debent filii parentibus,

Honora patrem tuum et matrem. Filii parentibus tria debent: amorem, obedientiam, reverentiam, ut parentes amantissimos ex animo super omnia, post Deum, diligant, revereantur eisque obtemperent, inserviant praestentque pietatis obsequia. Nam sunt parentes vivae quaedam imagines in mundo divinae erga nos bonitatis et caritatis; hinc Plato libro *11 De Legibus* parentes Dei simulacra ap-

51) Cf. Eph 6, 2-3. 52) Gn 4, 11. 53) Cf. Ex 33, 1-28. 54) Cf. Nm 16, 1-33. 55) Cf. Gn 9, 20-25. 56) Cf. 2 Rg 18, 1-15. 57) Gn 18, 17. 19. Vulg.: *Filiis suis et domui suae*, etc. 58) Cf. Iob 1, 5.

pellat, docens nullum magis honorandum simulacrum quam parentes.[59]

tria etiam parentes filiis.

Tria etiam parentes filiis debent: caritatem, disciplinam et providentiam, ut secundum Deum eos diligant, moribus optimis instituant eisque victui necessaria, ut par est, provideant.

Multa hodie Dominus docet de divinis legibus.

VIII. Disputat hodie Dominus cum scribis et Pharisaeis, legis doctoribus et professoribus, tanquam magnus legista de divinis legibus et multa docet. Primo quidem divinas leges longe esse anteferendas omnibus humanis legibus: *Quare transgredimini mandatum Dei propter traditionem?* Deinde quod absque pura veraque divinarum legum observatione vana est fucataque omnis religio: *In vanum colunt me docentes doctrinas et mandata hominum.* Praeterea veram religionem in corde consistere quam maxime, non in externis tantum rebus: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me,* ideo *in vanum colunt me,* nam Deus, cum spiritus sit, veros adoratores quaerit, qui adorent eum in spiritu et veritate.[60] Adhuc autem legem esse spiritaliter non carnaliter intelligendam; hinc ait turbis: *Audite et intelligite: non quod intrat in os coinquinat hominem,* sed quae *de corde exeunt, malae cogitationes, adulteria, homicidia, furta, falsa testimonia, blasphemiae.*[61] Sic declarat Dominus omnes caeremonias mosaicae legis esse spiritaliter intelligendas, ut sub imagine vitia fugiantur et diligantur virtutes. Sic enim lex Moysi spiritaliter intellecta divinam decet maiestatem et hominis dignitatem; alioquin nec Deo nec homine digna est, sed puerilibus neniis plena videtur.[62]

Disputatur hodie de traditionibus humanis et de mandatis divinis.

IX. *Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones? Quare et vos transgredimini?* Disputatur in hodierno Evangelio de traditionibus et de mandatis, de traditionibus humanis et de mandatis divinis. Scribae et Pharisaei disputant contra Christum de traditionibus humanis, sicut magi Pharaonis disputabant contra Moysen in Aegypto de miraculis divinis.[63] Christus autem humanas traditiones hic nec laudat nec vituperat, sed disputat cum Pharisaeis de

59) Iuxta nostram editionem dial. 11, lib. 36, pag. 512. 60) Cf. Io 4, 24. 61) Mt 15, 10-11. 19. 62) Aliquibus lineis albis relictis, alio atramento clariori prosequitur. Invertit ordinem verborum. 63) Cf. Ex 7, 10-12.

mandatis divinis: *Quare transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?*

Si novatores hodiernae huic disputationi interfuissent, facillime negocium omne absolvissent, quoad primam partem disputationis dicentes nullas omnino servandas esse traditiones legesque humanas, sed verbo Dei scripto tantummodo standum esse;[64] quoad alteram vero dixissent impossibile esse divinam legem servare, maxime primum illud maximumque mandatum: *Diliges Dominum Deum tuum*, etc.,[65] et illud: *Non concupisces*[66] aliaque id genus. At vero nec Christus ad primam disputationis partem ita respondit, nec Pharisaei ad secundam; hi enim tamquam convicti a Domino obmutuerunt nihilque penitus responderunt, agnoscentes se inexcusabiles. Et Christus non dixit nullas penitus seniorum traditiones servandas esse omnesque damnandas et de medio tollendas, sed tantum humanas traditiones legesque divinis mandatis contrarias damnavit: *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram; Transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram.* Novatores autem omnes omnino damnant ecclesiasticas traditiones legesque venerandae antiquitatis, cum tamen hic Dominus non damnaverit traditiones seniorum, nec vel minimum verbum contra eas dixerit.

Novatores damnant omnes traditiones;

Christus vero eas solas reprobat, quae divinis mandatis repugnant.

Sunt autem traditionum multa genera. Nam quaedam apostolicae sunt, ut baptizandum in aqua non in igne, cum saepe Baptismus ignis sit appellatus in Sacris [Litteris],[67] baptizandos esse parvulos et infantes, quattuor tantum esse Evangelia et id genus alia. Sunt etiam traditiones ecclesiasticae, in sacris canonibus et decretis pro regimine ecclesiastico divinoque cultu et norma vivendi, ut *sobrie et iuste et pie vivamus.*[68] Sunt etiam traditiones adiaphorae, ut leges saecularium principum, quas Paulus servandas docet, *non tantum propter iram, sed etiam propter conscientiam.*[69] Tandem sunt humanae traditiones divinis legibus contrariae, ut leges tyrannorum contra fidem et religionem, contra iustitiam et pietatem. Has Dominus damnat, non superiores, licet autem ex Isaia Dominus Pharisaeos damnet: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum*

Multa sunt traditionum genera,

quae servandae sunt, dummodo iustae.

64) Cf. S. Bellarminus *Controversiae*, t. 1, *De Verbo Dei non scripto*, lib. 4, cp. 1-3, col. 159-162. 65) Dt 6, 5; Mt 22, 37. 66) Ex 20, 17; Dt 5, 21. Cf. S. Bellarminus op. cit. t. 4, *De Iustificatione*, lib. 4, cp. 10, col. 917-918. 67) Cf. Mt 3, 11; Lc 3, 16. 68) Tit 2, 12. 69) Rom 13, 5.

longe est a me; in vanum autem colunt me docentes doctrinas, etc. Non tamen omnes humanas leges damnat, sed illas quae divinis repugnant. Merito autem Pharisaeos damnat, qui humanas traditiones pluris faciebant quam divinas leges.

Ecclesiasticae traditiones divinis mandatis non repugnant,

X. At aiunt novatores ecclesiasticas traditiones divinis repugnare mandatis. Nam hic Dominus manifeste docet vanum esse delectum ciborum: *Non quod intrat per os coinquinat hominem,*[70] Ecclesia autem ieiunii tempore multos cibos prohibet. Quid ergo? Ebrietas non est peccatum? Non coinquinat hominem crapula et gulae vitium? Non peccavit Adam comedens vetitum pomum? O stolidos nebulones! Non cibus, sed inobedientia et vitium coinquinat hominem! Omnis cibus natura mundus est, bonus est; si rite et cum gratiarum actione sumatur, hominem coinquinare non potest. Absit inobedientia, nullum erit peccatum. Num docet hic Christus obediendum non esse Ecclesiae, qui ait: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus?*[71] Ionathas mortis sententiam subiit, quia cibum a patre vetitum, licet praecepti ignorans, degustavit.[72] Quid igitur de haereticis censendum? Commendantur plurimum a Deo apud Ieremiam 35 Rechabitae, quoniam a vino abstinebant ad praeceptum patris.[73] Praeceperunt Apostoli gentibus ad fidem conversis ut a soffocatis et idolothytis abstinerent.[74] An nunc non habet eamdem auctoritatem Ecclesia, cui in perpetuum datus fuit Spiritus Sanctus? Nam propter Ecclesiam datus fuit Apostolis Spiritus Sanctus. Paulus, ne fratrem scandalizaret, carnis esum a se perpetuo abdicabat.[75] Cur si cibus non potest coinquinare hominem utcumque sumptus?

nec solo verbo Dei scripto standum est.

Quod autem aiunt verbo Dei scripto standum esse tantummodo, dicant: ab Adamo usque ad Moysen per bis mille quadringentos annos quodnam verbum Dei scriptum habuit Ecclesia, si aliud habuit quam traditiones? Christus ipse quodnam verbum Dei scriptum dedit Apostolis aut reliquit Ecclesiae? Iussit quidem praedicari Evangelium, sed ubinam iussit litteris consignari? Ubi iussit baptizari in aqua, non autem in aliquo alio liquore aut in igne? Ubi iussit

70) Mt 15, 11. 71) Ibid. 18, 17. 72) Cf. 1 Rg 14, 27, 44.
73) Cf. vrr. 1 sqq. 74) Cf. Act 15, 20. 75) Cf. 1 Cor 8, 1-13.

baptizari parvulos? Ubi praeceptum credendi tot esse libros Sacros Veteris et Novi Testamenti? Quomodo hoc scimus, nisi ex traditione? Profecto si traditiones de medio tollantur, nulla erit fides.

Quoad alteram vero partem disputationis, aiunt impossibile servatu esse legem Dei.[76] Sed Ioannes ait mandata Dei gravia non esse;[77] Christus ait: *Tollite iugum meum super vos... et invenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suave est et onus meum leve.*[78] Quomodo ergo impossibile? *Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa,* ait Regius Vates, *desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum et dulciora super mel et favum.*[79] Si tam utilia, tam dulcia et suavia sunt mandata Dei, quomodo impossibilia?

Sed non possumus, inquiunt, servare primum illud et maximum praeceptum. Cur non? Phrasis illa Scripturae est: *Diliges ex toto corde,* idest revera, ex animo, non ficto et simulato affectu, nam Deus verissimum bonum est, non fictum. Quid igitur? Verum bonum non potest vero amore diligi? Quomodo impossibile, si multi praeceptum hoc servaverunt? Non potest, inquiunt, servari illud: *Non concupisces.* Cur non? Ne assentiaris motibus cupiditatis improbae. Cur praestare hoc minime possumus? *Sub te erit appetitus tuus et tu dominaberis illius.*[80]

Divina mandata servatu impossibilia non sunt nec gravia, sed suavia.

ALIA HOMILIA [1]

Quare discipuli tui transgrediuntur. [2]

I. Nobilis revera est hodierni Evangelii disputatio; sicut coram Salomone disputarunt olim duae mulieres super infantulo,[3] ita hodie in arenam descendunt humana prudentia et divina sapientia. Multas legimus disputationes in Sacris Litteris. Disputavit serpens cum Eva,[4] Cain cum Abele, ut docet Paraphrasis Chaldaica, quae Ierosolymitana dicitur, *Genesis* 4,[5] disputa-

Disputat hodie divina sapientia cum humana prudentia;

76) Cf. supra, pag. 163, not. 20. 77) Cf. 1 Io 5, 3. 78) Mt 11, 29 sq. 79) Ps 18, 10-11. 80) Gn 4, 7.

1) Stylo strictiori exarata. 2) Mt 15, 2. 3) Cf. 3 Rg 3, 16-27. 4) Cf. Gn 3, 1-5. 5) Cf. ibid. 4, 8. *Secunda Paraphrasis Chaldaica* dicitur etiam *Targum Ierosolymitanum.* Cf. Io. De La Haye *Biblia Maxima,* vol. 1, in fine.

vit Moyses cum magis Pharaonis,[6] Iob cum tribus amicis suis,[7] Elias cum prophetis Baal.[8] Aliquando etiam cum Deo homines disputaverunt, sicut Iacob cum Deo luctatus dicitur,[9] nam cum Deo disputavit Abraham super causa Pentapolis,[10] Ieremias etiam cum Deo disputare voluit: *Iustus quidem tu es, Domine, si disputem tecum. Verumtamen iusta loquar ad te.*[11] Legimus etiam disputationem Angelorum apud Danielem.[12] In Novo autem Testamento saepe Iudaei cum Christo disputare voluerunt: de censu Caesaris, Sadducaei de resurrectione mortuorum, scribae et legisperiti de primo mandato legis.[13] Sic postea Paulus de fide Christi saepe cum Iudaeis disputavit.[14] Sic Doctores Sancti contra haereticos et infideles disputarunt. Optimum est de Sacris Litteris disserere et disputare, si tamen rite disputatio instituatur.

disputantes sunt Pharisaei et Christus,

II. In hodierna disputatione videndum est quinam sint disputantes, qua de re disputetur, quis modus et quis finis disputationis huius. Quoad primum, disputantes sunt scribae et Pharisaei, sed ab Ierosolymis, ubi erant omnium nobilissimi et eruditissimi legis doctores, qui sapientissimi et religiosissimi omnium habebantur, cum Ierusalem esset veluti fons religionis et doctrinae sacrae; summi erant theologi et magistri rerum divinarum. Cathedram autem Christus sustentat, is qui Dei sapientia est[15] et *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae*[16] Dei. Facta est autem disputatio in loco publico, coram magna populi multitudine, nam ait quod, *convocatis ad se turbis dixit: Non quod intrat per os coinquinat hominem.*[17] Nemo ineruditus partem in hac disputatione habet, non hic homines de plebe, non mulierculae, uti nunc apud Lutheranos et Calvinistas videmus, nam divina mysteria a theologis doctis et piis docte et pie tractanda sunt.

Pharisaeis similes sunt novatores.

Videtur autem in hac disputatione Christus causam agere Calvini et optimus calvinianus esse, scribae vero et Pharisaei catholicorum causam tueri videntur. Nam, sicut Calvinus contemnere vi-

6) Cf. Ex 7, 10-12. 7) Cf. Iob 4, 1 sqq. et reliqua capita. 8) Cf. 3 Rg 18, 21-40. 9) Cf. Gn 32, 23-30. 10) Cf. ibid. 18, 1 sqq. 11) 12, 1. 12) Cf. 10, 12 sqq. 13) Cf. Mt 22, 16-39; Mc 12, 13-27; Lc 20, 21-38. 14) Cf. Act 9, 20-25; 13, 14 sqq. et in plurimis aliis locis. 15) Cf. 1 Cor 1, 24. 16) Col 2, 3. 17) Mt 15, 10-11. Vulg.: *In os*, etc.

detur ecclesiasticas traditiones et solum Dei verbum illis obiicere, sicut omnes Calviniani faciunt, [18] itemque abolere delectum ciborum: [19] *Non quod intrat per os coinquinat hominem*, et insuper contemnere ecclesiasticas personas, quales hi erant, nec eorum salutem curare: *Sinite illos, caeci sunt et duces caecorum; Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus*, etc. [20] At vero non ita est. Christus personam gerit catholicorum, scribae et Pharisaei, lupi rapaces sub vestimentis ovium, [21] personam sustinent haereticorum, qui semper catholicos insectantur et calumniantur, ut catholicam Ecclesiam evertant, sicut illi Christum, ut fidem ipsius perderent et abolerent.

Christus eas tantum traditiones damnat quae legibus divinis repugnant.

Disputatur autem de divinis legibus et humanis traditionibus. Nec damnat Christus omnes traditiones humanas, sed eas tantum quae sunt contra leges divinas; nec dicit nihil aliud vel credendum vel agendum, nisi quod Divina Scriptura manifeste praecipit, sed arguit eos qui manifesta divinarum legum mandata transgrediuntur et nihil curant. Sed Calvinus, cum praeter Scripturas repudiet omnes traditiones, manifeste animum suum prodit. Quod si ante Moysen fuisset, cum nulla esset Scriptura, ipse penitus nihil credidisset et omnino atheos fuisset, licet nunc quoque parum vel minimum quid ab atheismo distat ostiumque valde latum atheismo aperuit, ita ut, cum inter symbola elementa facilis sit transitus, optimus calvinista facillimo negotio fiet optimus atheista, qui penitus nihil credat; calvinismus enim vix latum unguem distat ab atheismo. Christus autem non abolet hodie omnes traditiones, sed eas tantum quae divinis legibus bellum gerunt et eos vituperat qui traditiones humanas pluris faciunt quam leges divinas, quoniam haec praepostera est religio. Hinc ait: *Bene prophetavit de vobis*, etc. [22]

Finis disputationis fuit victoria Christi.

Finis autem huius disputationis fuit victoria gloriosa Christi magna cum confusione scribarum et Pharisaeorum. Semper enim vincit veritas, sicut lux tenebras vincit. Venerant illi ut Christum arguerent, ut confunderent, ut fidem ipsius funditus everterent radicitusque evellerent. Sed contrarium accidit, quoniam contra Dominum non est consilium.

18) Cf. supra, not. 64 hom. praecedentis, pag. 323. 19) Cf. S. Bellarminus op. cit. t. 4, *De Bonis Operibus*, lib. 2, cp. 3, col. 1073-1074. 20) Mt 15, 13-14. Affert ordine inverso. 21) Cf. ibid. 7, 15. 22) Ibid. 15, 7.

Agit hodie Dominus doctorem populi

III. Agit hodie Dominus non solum cathedraticum, verum etiam populi doctorem et praedicare videtur coram scribis et Pharisaeis doctrinam, non solum difficilem, verum etiam, ut ita dicam, scandalosam, nam [cum] scribae et Pharisaei convicti obmutuissent, *convocatis turbis dixit eis: Audite et intelligite: non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quae procedunt ab ore haec coinquinant hominem.*[23] Audita autem doctrina hac, scandalizati fuerunt; hinc Petrus: Magister, *scis quia Pharisaei, audito verbo hoc, scandalizati sunt?*[24] Nec ipsi Apostoli doctrinam hanc intellexerant, hinc aiunt: *Edissere nobis parabolam hanc.* In secreto autem agit cum discipulis suis. Agit ludi magistrum et quidem tum ut publicus doctor, tum etiam ut ludi magister particularium discipulorum, quos singularius instruendos et instituendos susceperat.

et docet quaenam sit vera immunditia coram Deo

et unde procedat.

Multa docet Christus, nam in eo quod ut publicus doctor ad turbas ait: *Audite et intelligite: non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit ex homine,* videtur abrogare penitus omnem delectum ciborum legis mosaicae. Quod si ita scribae et Pharisaei intellexissent, quas turbas, quas tragoedias contra Dominum excitassent? Loquitur ergo Dominus ex primario instituto de cibis, secundum legem quidem sumptis, sed contra traditiones seniorum communibus, idest non lotis manibus sumptis. Docet hic quaenam sit vera et unde procedat inquinatio hominis veraque immunditia coram Deo, nempe in vitio cordis. Sic etiam multa docet secreto, instruens discipulos suos: *Omnis plantatio,* etc.;[25] *Sinite illos,* etc.; *Omne quod intrat in os,* etc.[26]

Illustris disputatio proponitur in hodierno Evangelio de humanis divinisque legibus deque falsa et vera religione. Quare multa habentur in hodierno Evangelio dogmata, nec non etiam paraenetica criticaque documenta.[27]

23) Ibid. vrr. 10-12. Vulg.: *Quod procedit ex ore hoc coinquinat.* 24) Ibid. vr. 12. 25) Ibid. vr. 13. 26) Cancellatis aliquibus lineis, adiicit alio stylo hoc fragmentum. 27) Reliqua parte paginae et sequenti albis relictis, transit ad Feriam sequentem.

FERIA QUINTA INFRA HEBDOMADAM TERTIAM QUADRAGESIMAE

Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, et rogaverunt illum pro ea. Et stans super, etc. [1]

In hac muliere duplex mysterium significatur.

I. Divinum miraculum operatus est hodie Dominus in socru Simonis, liberans eam divino imperio et perfecta sanitate donans, nam *continuo surgens ministrabat illis.* [2] In duplici autem statu mulieris huius proponuntur nobis in priori quidem variae infirmitates humanae naturae, in posteriori vero salutaria remedia in Ecclesia Sancta Dei.

Multa miracula legimus in femineo sexu divinitus patrata.

II. Multa miracula legimus in femineo sexu divinitus patrata in Sacris Litteris utriusque Testamenti. Sed in Veteri quidem tantummodo sterilium mulierum fecundatio, quales fuerunt Sara, [3] Rebecca, [4] Rachel, [5] Anna mater Samuelis [6] et mater Samsonis; [7] in Novo autem Testamento, praeter miraculum hoc fecundationis Elisabeth, matris Ioannis Baptistae, [8] alia quam plura miracula reperimus. Nam filiam chananaeae a daemone liberavit; [9] filiam archisynagogi suscitavit a mortuis, mulierem haemorrhoissam sanavit a fluxu sanguinis, [10] mulierem incurvatam, quae sursum respicere omnino non poterat, erexit et naturali rectitudini restituit, [11] a Magdalena septem

1) Pericope huius diei Lc 4, 38 sqq. Cf. Missale Rom. 2) Lc 4, 39. 3) Cf. Gn 11,-30; 18, 9-14; 21, 1-2. 4) Cf. ibid. 25, 20-21. 5) Cf. ibid. 30, 1-23. 6) Cf. 1 Rg 1, 2-20. 7) Cf. Idc 13, 2-24. 8) Cf. Lc 1, 5-25. 9) Cf. Mt 15, 22-28; Mc 7, 25-30. 10) Cf. Mt 9, 18-26; Mc 5, 22 sqq.; Lc 8, 41 sqq. 11) Cf. 13, 11-13.

daemonia eiecit [12] et socrum Simonis in hodierno Evangelio a febribus liberavit.

Per sexum muliebrem significatur infirmitas humanae naturae.

Per muliebrem sexum designatur infirmitas carnis, sicut per virilem virtus spiritus, unde Dominus ait: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* [13] Quoniam vero per peccatum extincta fuit vis spiritus et aucta infirmitas carnis, propterea per mulierem designatur natura humana, unde etiam carnis habet appellationem: *Non permanebit spiritus meus in homine... quia caro est;* [14] *Omnis caro foenum;* [15] *Omnis caro corruperat viam suam,* [16] idest omnis homo; *Videbit omnis caro salutare Dei;* [17] *Non fieret salva omnis caro.* [18] Mala autem naturae humanae, quae peccati causa incurrit, quam plurima sunt: sterilitas bonorum operum, vexatio daemonum, fluxus sanguinis, incurvatio ad terrena, nam: *Sensus et cogitatio humani cordis ad malum prona sunt;* [19] mors quaedam ad spiritualia, ardor nimius ad carnalia.

Febris omne vitium significat,

Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. Febris est omne animi vitium, inordinatus amor, ardens cupiditas, nam, ut Divus Augustinus sapienter ait: « Virtus non est nisi ordinatus amor ». [20] Quare per febricitantem mulierem designatur infelix status animae peccatricis in flammis vitiorum.

quod vere febris animi est.

Sunt capitalia vitia septem. Si unumquodque eorum consideremus, magnum reperiemus cruciatum, ita ut vere vere infernus sit sibi ipsi animus vitiis plenus. Haec enim sunt septem daemonia, quibus Magdalena vexabatur; unumquodque daemonium est, quod filiam chananaeae male vexabat, unumquodque febris est ardentissima mulierem hanc discrucians, ut mittam metum divinae irae, cruciatum conscientiae et ipsammet peccati amaritudinem poenamque.

cum sit inordinata cupiditas,

Et quidem vitium omne immoderata cupiditas est amorque inordinatus; sitis quaedam ardentissima et fames canina insatiabilis: superbia quidem inordinata honoris cupiditas, avaritia divitiarum, luxuria voluptatum venerearum, gula crapularum, ira vindictarum. Nunc dico: quis cruciatus est hominis famem et sitim patientis, cum

12) Cf. ibid. 8, 2. 13) Mt 26, 41. 14) Gn 6, 3. 15) Is 40, 6. 16) Gn 6, 12. 17) Lc 3, 6. 18) Mt 24, 22; Mc 13, 20. 19) Gn 8, 21. Vulg.: *In malum.* 20) *De Civitate Dei*, lib. 15, cp. 22, (P. L. 41, 407).

ventri satisfacere [non] potest?[20a] Aliquando vel minima molestia hominem vehementer cruciat, dolor minimi digiti aut dentis, punctura pulicis aut culicis. Patet manifeste in impio Aman,[21] adeo ut homo sit sicut tormentum bellicum multis expensis, multa arte et studio fabrefactum, perpolitum, perfectum ad usum belli; sed ut reddatur inutile sufficit claviculus, quo foramen illius occludatur; occluso nanque minimo illo foramine, est prorsus inutile. Ita in homine, etc.

Sicut igitur in magna siti, imo, ne ab hodierno Evangelio discedamus, in magna febri magnus est cruciatus, ita in quolibet vitio. Vitium enim omne febris est ardentissima, qua viscera nostra uruntur. Quare licet aeger, qui febre cruciatur, in regio cubiculo sit et regio stratu quiescat, quietem tamen nullam reperit, quoniam intra se inquietudinis causam habet. Ita plane qui vitio aliquo detinetur. quae expleri nequit,

Animus noster, quoniam infinitae capacitatis est, bonis mundi huius expleri non potest, sicut *non satiatur oculus visu nec auris impletur.*[22] Accidit in vitiis sicut in hydropico, cuius sitis nunquam expletur. Cupiditas omnis veluti mare est, in quod cum flumina omnia intrent, nunquam tamen expletur. Hinc legimus: *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest;*[23] *Non est pax impiis, dicit Dominus.*[24] Cupiditas sicut vas perforatum est, sicut cisterna confracta, quae continere non valet aquas.[25] quia animus noster bonis mundi huius nunquam satiatur.

Sed quoniam sub ardentis febris imagine proponitur nobis vitiosa cupiditas, hanc, quaeso, imaginem paulo attentius contemplemur. Est autem febris, ut medici docent, calor praeter naturam a corde per venas in totum corpus diffusus. Sunt autem febrium simptomata virium languor et dissolutio, aestus immodicus, inquietudo et iactatio corporis, quod laboranti cordi totum consentit: capitis dolor, vigilia atque delirium, ardens sitis, linguae ariditas atque scabrities, gustus depravatus, cibi fastidium aliaque permulta, quae miserum infirmum gravissime torquere solent. Singulare autem in Simptomata febris corporis

20a) Ms.: *Possunt.* 21) Cf. Est 5, 9-13. 22) Eccle 1, 8. *Saturatur oculus... auditu impletur.* 23) Is 57, 20. 24) Ibid. 48, 22. 25) Cf. Ier 2, 13.

febribus est transitus ab extremo ad extremum, a vehementi rigore, intermittente febre, ad ardentissimum calorem. Sic legimus quod arreptitium hominem spiritus malignus nunc in aquam nunc in ignem mittebat.[26]

graviora sunt in febribus animi.

Sic febris spiritualis multo graviora habet simptomata. Febris autem indicia et notae in pulsu vel maxime consistunt, nam pulsus celer et frequens, aliquando etiam irregularis, febris indicium est: ita internum animi vitium ab externis actionibus dignoscitur, sicut Dominus ait: *A fructibus eorum cognoscetis eos.*[27] Qui etiam febri laborat, cum in loco quietis sit, inquietissimus est, nec exteriora quidquam eum iuvant. Sic nulla quies in vitio.

Domus Simonis figura est Ecclesiae, in qua reperiuntur remedia malorum nostrorum.

III. *Rogaverunt illum pro ea.* In domo Simonis reperiuntur etiam remedia nostrorum malorum. Divina nanque providentia, cum sapientissime omnia moderetur, contra mala opposuit bona, contra tenebras lucem, contra frigus calorem, contra famem cibus, contra sitim potus, contra venena antidota, contra serpentes ciconias; tantum in inferno nullum reperitur malorum remedium; nam ibi malorum locus est, absque omni bono, sicut paradisus locus bonorum, absque ullo malo. Mundus hic bonorum et malorum locus est; similiter Ecclesia, in ea nanque, sicut et in mundo, contra spiritualia mala reperiuntur remedia et quidem saluberrima, optima. Nam in deserto Deus contra ignitos serpentes providit serpentem aeneum;[28] contra famem manna,[29] contra sitim aquam de petra,[30] contra tenebras noctis columnam ignis,[31] contra Amalec Iosue,[32] tandem contra peccata sacrificia.

Duo remedia indicantur: alterum est intercessio Sanctorum: *Rogaverunt illum pro ea;* alterum vero Christi omnipotens virtus: *Stans super illa imperavit febri et dimisit illam.*

IV. *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.* Hoc discrimen est inter corporales morbos et spirituales, quod corporales

26) Cf. Mc 9, 16-21; Lc 9, 38-39. 27) Mt 7, 16. 20. 28) Cf. Nm 21, 6-9.
29) Cf. Ex 16, 11-35. 30) Cf. Ibid. 17, 3-6; Nm 20, 2-11. 31) Cf. Ex 13, 20 sqq.
32) Cf. Ios 1, 1-9.

quidem quo graviores sunt, eo magis sentiuntur urgentque ut diligentius remedia exquirantur; at vero spirituales morbi quo graviores sunt, eo sunt insensibiliores ac propterea neglectiores, quoniam animum lethargo afficiunt ac sine sensu veluti mortuum reddunt.

Discrimen statuitur inter morbos corporales et spirituales,

Quam differens sit status animae in gratia Christi a statu in vitiis et peccatis, multis in locis praefiguratum est in Sacris Litteris: in statu populi in Aegypto sub Pharaone [33] et statu eiusdem in deserto sub Dei regimine; in statu Iob sub virga satanae [34] et statu eiusdem ante [35] et post; [36] in statu Samsonis cum capillis [37] et statu eiusdem sine capillis; [38] sed praecipue in duplici statu hodiernae mulieris, sicut in multis aliis ab infirmitatibus curatis et a daemonum vexationibus liberatis a Christo. Hinc saepe Divinae Litterae docent statum virtutis iucundum et felicem esse: *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus;* [39] *Pax multa diligentibus legem tuam;* [40] *Iudicia Domini... desiderabilia super aurum... et dulciora super mel et favum;* [41] *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum... erit tanquam lignum... omnia quaecumque faciet prosperabuntur. Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis quem proiicit ventus;* [42] alibi vero: *Fiant tanquam pulvis ante faciem venti et Angelus Domini coarctans eos: Fiant viae eorum tenebrae et lubricum et Angelus Domini persequens eos.* [43] Infelicissimum necesse est ut sit iter obscura nocte per viam lubricam institutum, maxime aliquo persequente et impellente ad lapsum. Huic itineri comparatur vita peccatorum. Hinc etiam Salomon: *Semita iustorum quasi lux splendens... via* autem *impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruant;* [44] per Isaiam etiam Dominus alia via ostendit latum discrimen inter hos status dicens: *Servi mei comedent et vos esurietis; servi mei bibent et vos sitietis; servi mei laetabuntur et vos tristabimini.* [45]

Via peccatorum infelicissima est, iustorum vero iucundissima,

licet sensui carnis oppositum videatur.

Sensui tamen carnis videtur totum oppositum. Nam mulier haec prius quiescebat, vel quiescere videbatur in lecto, postea ministrabat, laborabat; quare a quiete ad laborem transisse visa est. Sic

33) Cf. Ex 1, 8-14; 5, 5 sqq. 34) Cf. Iob 1, 12-19; 2, 7-8. 35) Cf. ibid. 1, 1-5. 36) Cf. ibid. 42, 10 sqq. 37) Cf. Idc 15, 3-15; 16, 11-14. 22-30. 38) Cf. ibid. 16, 19-21. 39) Ps 33, 9. 40) Ps 118, 165. 41) Ps 18, 10-11. 42) Ps 1, 1-4. 43) Ps 34, 5-6. Vulg.: *Fiat via illorum,* etc. 44) Prv 4, 18-19. 45) 65, 13-14. Vulg.: *Et vos confundemini.*

falsis imaginibus illudimur. Etiam populus Dei a paradiso in asperam solitudinem transisse visus est, et tamen desertum illis vere paradisus [fuit], Aegyptus autem infernus.

Cupiditates nostrae insatiabiles sunt

V. *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.* Flammis ardentissimis veluti cruciabatur in fornace: talis est status animae in flammis vitiorum. Servus centurionis iacebat paralyticus et male torquebatur,[46] filia chananitidis a daemonio male vexabatur,[47] civitas in seditione civilibus odiis et intestinis bellis tumultuans, non potest esse beata. Iacobus apostolus ait, quod concupiscentiae militant in membris nostris,[47a] nam saepe saepius superbia, avaritia et luxuria invicem pugnant dissidentque. Saepe anima nostra multis cupiditatibus et appetitibus abundans, similis est infelici mulieri, quae cum rerum inopia laboret, multis filiis et filiabus abundat, qui fame, siti et frigore laborantes et panem aliaque necessaria a matre petentes, viscera ipsius dilaniant, cum non habeat ipsa unde eis satisfacere possit. Cupiditates nostrae sunt duae filiae sanguisugae, quae semper dicunt: Affer, affer,[48] insatiabiles et inexplebiles sunt.

et ab extremo ad extremum animum perducunt.

In febribus transitus fit ab extremo ad extremum, a rigore frigoris ad caloris ardorem. Ita plane in animo sunt impotentes affectus timoris et spei, sive desiderii, hinc aiebat Seneca: « Timemus omnia tanquam mortales, concupiscimus tanquam immortales ».[49] Ita animus nunc magno metu constringitur tanquam cras moriturus, nunc spe et desiderio dilatatur, tanquam semper victurus; sibi minime constat, nunc mortalissimus nunc vero immortalissimus sibi videtur, pro varietate affectuum; tanquam navis in medio mari ventis et procellis contrariis agitata, quiescere non potest, sic animus affectibus carnis expositus, non potest esse beatus, optata pace non fruitur.

VI. *Socrus Simonis tenebatur magnis febribus,* propterea non poterat surgere et ministrare Christo. Prima naturae humanae infir-

46) Cf. Mt 8, 6. 47) Cf. ibid. 15, 22. 47a) Cf. 4, 1. 48) Cf. Prv 30, 15.
49) Lib. *De Brevitate vitae*, pag. 364.

mitas morbus est peccati originalis. Creavit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam,[50] idest ut vita et moribus divinae sanctitatis referret imaginem; creavit eum ad iuste sancteque vivendum, hinc posuit eum in paradiso ut operaretur.[51] Iob ait quod avis nascitur ad volandum et homo ad laborem,[52] idest sicut Deus avem condidit ad volandum, ita hominem ad laborandum in vinea Domini, ad colendum paradisum Domini. Si avis aegre et magna cum difficultate volat, nec potest in aere consistere, morbo aliquo laborat; ita plane et homo, cui exercitium officiumque virtutis insuave et difficile est.

Prima humanae naturae infirmitas est peccatum originale,

Sunt in homine quattuor potentiae virtutum capaces. Nam est intellectus capax prudentiae et fidei, voluntas capax iustitiae, spei et caritatis, irascibilis capax fortitudinis, concupiscibilis capax temperantiae. Sed vitio peccati originalis omnes vires animae nostrae enervatae ac debilitatae fuerunt factaeque ad operandum impotentes, sicut vires socrus Simonis febricitantis; nam ratione peccati illius praedominatur sensus rationi, ita ut sicut animalia rationis expertia surda sunt persuasionibus nec rationibus moventur, ita turbidi affectus animi minime obtemperant rationi. Hinc debiles sunt vires spiritus.

quod vires animae nostrae debilitavit et rationem perturbavit.

VII. *Surgens Iesus de synagoga intravit in domum Simonis.* Divinus hic transitus Salvatoris a synagoga in domum Simonis non vacat mysteriis. Transit arca testamenti a tabernaculo Moysi in templum Salomonis.[53] Sicut autem navis Petri, ita etiam domus Simonis Sanctam Ecclesiam significat, quae synagogae successit, sicut templum tabernaculo, sicut domus David domui Saul in regno,[54] sicut Esther reginae Vasthi.[55] In hac autem domo Simonis multa Ecclesiae Sanctae Dei mysteria hodie insinuantur et veluti notae ac stigmata, quibus vera Ecclesia dignoscitur, indicantur.

In domo Simonis multa Ecclesiae mysteria insinuantur.

Surgens de synagoga intravit in domum Simonis. Succedit domus Simonis synagogae. Illa vera Ecclesia est quae veram habet fidem, quae olim in synagoga fuit, in Patriarchis, in Prophetis, in sanctis

Illa vera Ecclesia est quae veram habet fidem

50) Cf. Gn 1, 26-27. 51) Cf. Ibid. 2, 15. 52) Cf. 5, 7. 53) Cf. 3 Rg 8, 1-6.
54) Cf. 1 Rg 16, 1-14. 55) Cf. Est 2, 15-17.

omnibus; hinc transit arca cum tabulis legis a tabernaculo in templum. Hinc ratione fidei dicitur Ecclesia domus Simonis, nam postquam Petrus Christum ex divina revelatione agnovit et confessus fuit dicens: *Tu es Christus Filius Dei vivi,* tunc audivit a Christo: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni caelorum.*[56] Dicitur itaque Ecclesia domus Simonis, quia a Christo supra Simonem fidemque ipsius fundata est. Simon enim post Christum est primum fundamentum Ecclesiae, Christus autem fundamentum fundamentorum: *Superaedificati supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.*[57] Omnes Apostoli fundamenta Ecclesiae sunt, ut in *Apocalypsi* legimus habere civitatem Ierusalem fundamenta duodecim et in ipsis nomina duodecim Apostolorum.[58] Christus autem primum fundamentum est, quoniam supra Christum fundati Apostoli sunt; Petrus autem primum omnium, post Christum, fundamentum. Propterea igitur dicta est Ecclesia domus Simonis, navis Simonis, quia fundamentum et caput Ecclesiae, cui Dominus semel, iterum ac tertio oves suas et agnos commendavit.[59]

et a Christo supra Simonem fundata fuit,

Illa igitur vera Ecclesia est ubi vera fides est, ubi Christus per fidem est: *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.*[60] Hinc Ecclesia domus Dei dicitur a Paulo *ad Timotheum*: *Ut scias quomodo oporteat te conversari in domo Dei, quae est Ecclesia... columna et firmamentum veritatis;*[61] sic dicta a Iacob patriarcha: Hic domus Dei est et porta caeli locumque illum, ubi Deus ei apparuit, - unde ait: *Vere Dominus est in loco isto, - Bethel*[62] appellavit, idest *domus Dei.* En Christus hodie in domo Simonis, verus Deus et homo: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi;*[63] semper Christus per veram fidem in domo Petri mansurus est. Mansit hodie usque ad occasum solis: *Cum sol occidisset, omnes qui habebant infirmos... ducebant illos* ad Iesum.[64] Sic ait: *Vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.*

in qua sola Christus habitat et mansurus est per veram fidem,

56) Mt 16, 16-19. 57) Eph 2, 20. 58) Cf. 21, 10-14. 59) Cf. Io 21, 15-17. 60) Eph 3, 17. 61) 1 Tim 3, 15. Vulg.: *In domo Dei conversari.* 62) Gn 28, 16-17. 19. 22. 63) Mt 28, 20. 64) Lc 4, 40.

Introivit in domum Simonis. Sic dicta est Ecclesia, quoniam Petrus constitutus fuit a Christo princeps et caput Ecclesiae, honore supremus. Hoc enim illud est: *Super hanc petram,* nam dedit Petro Christus verum et mixtum imperium: *Tibi dabo claves regni caelorum.*

et Petrus princeps supremus est.

Surgens a synagoga introivit in domum Simonis. Sicut in arca, quae a tabernaculo Moysi transivit in templum Salomonis, tria erant: virga,[65] lex[66] et manna,[67] ita hodie Christus tribus titulis est appellatus: *Quoniam tu es Filius Dei; Sciebant ipsum esse Christum; Oportet me evangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum.*[68] In his elucet potentia, sapientia et bonitas Christi.

VIII. *Introivit in domum Simonis,* visibilem utique; sic non est invisibilis Ecclesia, mons enim magnus est apud Danielem,[69] domus Domini supra montem in vertice montium apud Isaiam,[70] civitas supra montem posita, lucerna super candelabrum,[71] mulier amicta sole,[72] *thronus eius sicut sol in conspectu meo et sicut luna perfecta in aeternum et testis in caelo fidelis.*[73] Visibilis igitur Ecclesia est, ut domus Simonis.

Ecclesia Christi visibilis est,

Introivit in domum. Non in domos, sed in domum, quia una Ecclesia est, sicut una arca Noe, unum tabernaculum Moysi, unum templum Salomonis, unum regnum Israel, una synagoga fuit. Sicut unus est mundus, ita una Ecclesia est: *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma, unus Deus et Pater omnium;*[74] unus Christus est, unum Christi corpus, Ecclesia, cuius fideles omnes partes et membra sunt.

una,

Introivit in domum Simonis, in qua *rogaverunt illum pro ea,* in qua *surgens ministrabat illis.* Domus orationis, domus divini ministerii, domus religionis et sanctitatis ita plane Ecclesia sancta dicitur; sicut homo rationalis dicitur imago Dei, sicut mulier pulcra dicitur a facie, non a ceteris partibus corporis. Sancta dicitur propter

sancta,

65) Cf. Nm 17, 10; Hebr 9, 4. 66) Cf. Ex 25, 16. 21; Dt 10, 5; Hebr 9, 4. 67) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4. 68) Lc 4, 41. 43. 69) Cf. 2, 34-35. 70) Cf. 2, 2. 71) Cf. Mt 5, 14-15. 72) Cf. Apc 12, 1. 73) Ps 88, 38. 74) Eph 4, 5-6.

fidem, Sacramenta, religionem; sancta, quia extra Ecclesiam non potest in mundo vera sanctitas reperiri; sancta, quoniam nunquam deerit in Ecclesia sanctitas doctrinae et sanctitas vitae in veris fidelibus.

omni veneratione dignissima ob divinam in ea Christi praesentiam;

Introivit in domum Simonis. Supra modum venerabilis et utilis mundo est domus Simonis, Ecclesia Sancta Dei, propter divinam Christi praesentiam in ea. Dei nanque praesentia locum sanctificat summaque veneratione dignum reddit. Hinc Moysi dixit: *Ne appropies huc; solve calceamenta de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, terra sancta est,*[75] divina nanque apparitione atque praesentia spirituali sanctificatus fuit locus ille. Sic etiam templum summae venerationi fuit Iudaeis, ut in illud nonnisi nudis mundisque pedibus ingrederentur sacerdotes, quoniam ibi putabatur Deus esse. Sic propter divinam praesentiam domus Simonis summa veneratione digna est, quoniam vere locus Dei est et porta caeli, domus et habitatio Dei vivi: *Vere Dominus est in loco isto;* hic domus Dei est et porta caeli; *Vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.*

ideo est universo mundo utilissima.

Nec tantum venerabilis est haec domus Simonis, verum etiam summe utilis extitit universae civitati, nam *omnes qui habebant infirmos,* etc. Quattuor egit Dominus hodie: primo quidem intravit in domum Simonis, deinde vero preces ibi audivit et exaudivit: *Rogaverunt illum pro ea;* tertio imperavit febri tulitque languores, ac tandem multa beneficia contulit, nam perfectam largitus est sanitatem robustasque vires: *Continuo surgens ministrabat illis.*

Exhibentur hodie notae verae Ecclesiae.

Intravit in domum Simonis. Sicut magni refert Christum cognoscere, in quo salus nostra consistit, ita etiam Ecclesiam Christi, quae corpus et sponsa Christi est et per Simonis domum designatur. Hinc in hodierno Evangelio veluti signa et notae verae Ecclesiae insinuantur.

Christus salus est fidelium, non infidelium.

Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. Mirabile dictu in meridie, sereno caelo, sole fulgente quam splendidissime, obscuritatem videre, nubem in aere obscurissimam! Christus sol est, fons salutis et vitae: *Quoniam apud te est fons vitae et in lumine tuo videbimus lumen;*[76] et tamen coram Christo videtur nubes tenebris

75) Ex 3, 5. 76) Ps 35, 10.

involuta: *Tenebatur magnis febribus*, sicut in Aegypto in meridie, sole Hebraeis clarissime fulgente, domus Aegyptiorum plenae erant palpabilibus tenebris.[77] Non lucet sol iustitiae, Christus, infidelibus, sed fidelibus. Sed cur nubes haec coram Christo sole posita non illuminatur? Cur in Ecclesia Christi multae sunt mulieres febricitantes, praesente Christo auctore salutis et omnium bonorum?

Imperavit febri et dimisit illam, sicut *imperavit ventis et mari et facta est tranquillitas magna.*[78] Propter Christi autem praesentiam fugiebant daemones a domo Simonis: *Exibant autem daemonia a multis clamantia et dicentia: quoniam tu es Filius Dei;*[79] sic Ecclesia daemonibus est *terribilis ut castrorum acies ordinata*, quoniam *electa ut sol*,[80] Christo induta, qui *Sol iustitiae*[81] est.

ALIA HOMILIA [1]

Rogaverunt illum pro ea. Et stans super eam imperavit febri et dimisit eam. [2]

I. Habemus hic luce clarius intercessionem Sanctorum et quam efficax sit apud Christum, nam ad preces Apostolorum Dominus operatus est miraculum sanitatis. Videmus coram arca et propitiatorio aureum altare incensi, quod sanctae orationis hieroglyphicum erat: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.*[3] Christus vero arca divinae habitationis est, in quo *inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter*,[4] divinumque propitiatorium, nam *ipse est propitiatio pro peccatis nostris.*[5] Per altare autem illud incensi designatur vel maxime oratio Sanctorum et intercessio, nam hoc erat munus sacerdotis, orare et intercedere pro populo.

Insinuatur hodie dogma intercessionis Sanctorum.

Omnis quidem oratio cum pietate grata et accepta Deo est, sed maxime omnium Sanctorum. Hinc iussit regi Abimelech ut Abraha-

77) Cf. Ex 10, 21-23. 78) Mt 8, 26. 79) Lc 4, 41. 80) Ct 6, 3. 81) Mal 4, 2.

1) Alio atramento exarata. 2) Lc 4, 38-39. 3) Ps 140, 2. 4) Col 2, 9. 5) 1 Io 2, 2.

Semper orationes Sanctorum legimus gratas et acceptas Deo.

mum intercessorem adhiberet,[6] Eliphaz Themaniti et sociis ut Sanctum Iob adirent,[7] sic Ezechias rex ad Isaiam misit pro suffragio orationis,[8] quoniam propheta sanctus erat; sic accepta Deo fuit Moysi oratio et intercessio pro populo, ne propter peccatum idololatriae a Deo deleretur.[9] Sic saepe Deus Moysen pro Pharaone intercedentem exaudivit, sic Samuel pro populo orantem, ut liberaretur de manu Philisthaeorum. Ita semper Sanctorum orationes legimus valde gratas et acceptas Deo. Ita hodie sancti Apostoli oraverunt.

Refutantur haeretici, Sanctorum intercessionem negantes.

II. Non negant haeretici Sanctos, dum sunt in vivis, posse orare et intercedere pro aliis, licet merita negent; sed Sanctorum intercessionem post mortem negant, ita quod licet invocare Sanctos viventes, sicut fecit populus cum Samuele, non autem mortuos.[10] Nam Sancti viventes in hoc saeculo orant et intercedunt, non autem in alio saeculo.

Sed dico: Cur non? Profecto vel quia non possunt, vel quia nesciunt et nostra omnino ignorant, vel quia nolunt, vel quia non decet. Non possunt, inquiunt, quia mortui sunt. Bene, sed oculis insipientium. Christus de sanctis Patriarchis ait, quod non sunt mortui, sed vivi: *Non est Deus mortuorum, sed viventium.*[11] Rationalis enim anima ad imaginem et similitudinem Dei condita, immortalis est, aevum cum Deo et Angelis vivit. Non est autem corpus quod orat Deumque agnoscit, diligit, colit, sed spiritus, nam corpus impedimento est orationi divinaeque contemplationi.

Aiunt non habere aures ad audiendum, nec oculos ad videndum. Bene, sed neque Angeli neque Deus. Quid ergo? Nec Angeli vident et audiunt, nec Deus ipse? Imo quia animae nec oculos nec aures habent, propterea magis vident et audiunt, quia anima, cum sit spiritus indivisibilis, sicut tota intellectus, tota voluntas est, ita tota visus, tota auditus. Nam in corpore vires audiendi atque videndi restrictas habet in sensuum organis; cum autem

6) Cf. Gn 20, 2-7. 7) Cf. Iob 42, 7-8. 8) Cf. 4 Rg 20, 1-11; Is 38, 1-8. 9) Cf. Ex 32, 1 sqq. 10) Cf. 1 Rg 7-14. De hac haereticorum sententia cf. S. Bellarminus *Controversiae*, t. 2, *De Beatitudine*, etc., lib. 1, cp. 13-16, col. 651-653. 11) Mt 22, 32.

soluta a corpore fuerit, multo liberiores has vires habet, sicut Angeli, qui puri sunt spiritus.

Sancti in caelo cum Deo semper vivunt et ibi possunt quod poterant in terra.

III. Aiunt non esse Sanctos in paradiso cum Christo, sed in quodam ergastulo inclusos usque ad diem iudicii reservari. Hoc etiam Vigilantius haereticus docuit, a Divo Hieronymo confutatus et comminutus.[12] Sed si non sunt Sancti cum Christo in caelo, quomodo Christus ait latroni petenti: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum... Hodie mecum eris in paradiso*?[13] Quomodo: « Volo, Pater, ut ubi sum ego ibi sit et minister meus »?[14] Quomodo Paulus cupiebat dissolvi et esse cum Christo?[15] Quomodo ait quod *ascendens in altum, captivam duxit captivitatem,*[16] hoc est multitudinem sanctarum animarum, quas a limbo secum duxerat? Quomodo 2 *Corinthiis* 5 ait: *Bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore et praesentes esse ad Dominum,* cum dixisset quod *dum sumus in* hoc *corpore peregrinamur a Domino*?[17] Item quod si terrena domus dissolvatur, habitationem in caelo habemus?[18] et quod *nolumus expoliari, sed supervestiri*?[19] Et capite 4, quod *licet is qui foris est homo noster corrumpatur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem*? *Id enim quod in praesenti est momentaneum et leve,* etc.[20] Ad quid Dominus morienti Stephano ostendit caelum apertum?[21] Quomodo ait Christus quod, cum mortuus esset Lazarus mendicus, portatus fuit ab Angelis in sinum Abrahae, sicut etiam dives sepultus fuit in inferno?[22] Sic Ioannes vidit et audivit animas Sanctorum Martyrum in caelo, *Apocalypsis* 6[23] et 7.[24] Sunt igitur Sanctorum animae in caelo. Si igitur vivunt cum Deo, cum Christo, in caelo, cur non possunt ibi quod hic poterant?

et sicut Prophetae noverant distantia et futura,

Sed quomodo, inquiunt, Sancti absentes et tam longe, tanta locorum intercapedine distantes, scire possunt, cum ad eos recurrimus, cum eos invocamus? Dico ego: Angeli quomodo sciunt quando homo

12) *Contra Vigilantium,* (P. L. 23, 342-344). Cf. S. Bellarminus l. cit., cp. 1, col. 611-612.
13) Lc 23, 42-43.
14) Breviarium Rom., Com. 1 Mart., antiph. 5 ad Laudes. Ex Io 12, 26; 17, 24.
15) Cf. Phil 1, 23.
16) Eph 4, 8.
17) Vrr. 6. 8. Affert ordine inverso.
18) Cf. ibid. vr. 1.
19) Ibid. vr. 4.
20) Vrr. 16-17.
21) Cf. Act 7, 55.
22) Cf. Lc 16, 22.
23) Cf. vrr. 9-10.
24) Cf. vrr. 4-9.

peccator ex animo agit poenitentiam, ut propterea magno gaudio afficiantur? [25] Quomodo cognovere, imo videre Prophetae, qui propterea videntes dicebantur, tam longe futura? Quomodo Samuel secreta cordis Saul? [26] quomodo Eliseus insidias Assyriorum? [27] occultum peccatum Giezi? [28] Possunt sciri longe distantia per visum acutissimum, qualis est aquilarum. Quomodo Stephanus vidit caelum apertum et gloriam Dei Christumque stantem a dextris virtutis Dei? [27a] Possunt sciri per internuncios, per epistolas, per historiam, aliquando etiam per speculum videntur. Omnibus his modis scire possunt Sancti in caelo quae a nobis fiunt in terra, maxime vero omnium per divinam revelationem, qua occulta revelabat Prophetis, ita ut miratus fuerit Eliseus, quod non revelaverit ei Deus afflictionem sunamitidis. [29] Neque enim periculum ibi est ne magnitudine revelationum extollantur, sicut in Paulo, dum in mundo hoc erat, sicut ait: *Ne magnitudo revelationum extollat me.* [30]

sic Sancti in caelo,

Princeps servis suis fidelissimis et dilectissimis familiarissimisque facile revelat quaecumque novit facta in illorum honorem et quae illos magno gaudio et laetitia possunt afficere eisque dat litteras ad ipsos directas et missas; ita plane Deus agit cum Sanctis suis. Quod si modum capere omnino non possumus aut nescimus, nil refert. Mysteria enim fidei necesse quidem est ut credantur, non autem ut intelligantur et capiantur.

saltem ex revelatione Dei.

IV. Sed forte nolunt orationibus suis nos iuvare. Mirabile dictu ut in medio fornacis calorem non sentiant, ut cum in caelo sint Deo simillimi, qui totus caritas est, ipsi caritate sint destituti et viscera pietatis exuerint nulloque salutis nostrae desiderio, nulla cura tangantur! ut cum perfectus fuerit ignis, tunc sit minime calidus. Perfecta caritas maxime et super omnia cupit quaeritque gloriam Dei et salutem proximi. Sanctorum in caelo est perfecta caritas, ut Hieronymus *Contra Vigilantium* docet. [31] Deus etiam summopere cupit cum gloriam suam tum etiam salutem animarum; Sancti

Sanctis in caelo non deest voluntas nobis succurrendi.

25) Cf. Lc 15, 7-10. 26) Cf. 1 Rg 9, 15-20. 27) Cf. 4 Rg 6, 8-12.
27a) Cf. Act 7, 55. 28) Cf. ibid. 5, 20 sqq. 29) Cf. ibid. 4, 25-27.
30) 2 Cor 12, 7. 31) P. L. 23, 344.

in caelo sunt Deo maxime similes. Ergo ipsi quoque eumdem habent animum divina caritate plenum.

Tandem aiunt quod non decet, quia fit iniuria Christo et Deo: Christo, qui unicus et summus est mediator et advocatus noster apud Patrem; Deo, qui Pater noster est amantissimus, quare ipse ad...[32]

Fit, inquiunt, iniuria Christo, cum deseritur ipse et ad Sanctos recurritur. Sed dico: cur fit iniuria Christo cum recurritur ad Sanctos, qui sunt in caelo, non autem ad Sanctos, qui in terra sunt? Christus, inquiunt, est unus mediator in caelo. Bene, est etiam, sicut Deus unus Pater, ita ipse unus magister, unus rex, unus pastor, unus animarum episcopus. An propterea non possumus habere in terra patres, magistros, pastores, principes, reges? Docuit, inquiunt, nos Patrem orare ac dicere: *Pater noster.*[33] Bene, quid igitur? nec Christum, nec Spiritum Sanctum orare possumus? Non est deserendus, sed adeundus summa cum fiducia Deus, verum etiam summa cum reverentia et humilitate; nam laudatur publicanus qui nec oculos audebat in caelum levare;[34] laudatur centurio, qui indignum se arbitratus Christi adire praesentiam, misit intercessores, viros religiosos, seniores Iudaeorum.[35] Sicut autem Deus, licet per seipsum omnia possit, voluit tamen in regimine universi uti ministerio secundarum causarum, ita in Ecclesia. Deus quidem prima causa est, Sancti vero causa secunda; sicut in aula est rex et ministri regis, non fit regi iniuria cum per ministros offeruntur ei libelli supplices. Sunt etiam Sancti mediatores nostri ad summum mediatorem Christum, sicut Moyses mediator fuit inter Deum et populum.[36] Christus intercedit pro nobis, non precibus, sed meritis passionis suae, quibus salutem meruit, remissionem peccatorum et vitam aeternam. Non sic Sancti, sed revera Deum pro nobis orant dignique sunt ut exaudiantur.

nec fit iniuria Christo cum ad eos recurritur.

V. Quod autem Sancti in caelo possint pro nobis orare, vel inde patet quod etiam damnati in inferno orant, sicut de epulone legi-

32) Hic in fine lineae periodus incompleta remanet. 33) Mt 5, 9. 34) Cf. Lc 18, 10-14. 35) Cf. ibid. 7, 1-9. 36) Cf. Ex 32, 7-32.

Si etiam damnati pro vivis orant, et daemones ipsi,

mus,[37] quod etiam daemones aliquando orasse legantur et impetrasse, sicut in libro Iob legimus[38] et in Evangelio: *Mitte nos in porcos.*[39] Quod cum Sancti in caelo sint *sicut Angeli Dei,*[40] imo, ut Lucas habet, *aequales Angelis,*[41] sicut possunt Angeli intercedere, uti Zachariae 1 legimus,[42] ita etiam Sancti. Et sicut Angeli constituti sunt principes provinciarum a Deo, sicut in Daniele legimus,[43] ita etiam Sancti, sicut in *Apocalypsi* dicitur quod Sancti, sicut Christus, regunt gentes in virga ferrea,[44] et in Evangelio hic quidem praeficitur super decem civitates, ille autem super quinque,[45] item: *Super omnia bona sua constituet eum.*[46] Quod possint intercedere patet ex *Apocalypsi,* ubi animae Martyrum petunt a Deo vindictam de inimicis et persecutoribus Ecclesiae.[47] Cur possunt petere vindictam atque iustitiam, non autem veniam et misericordiam? Patet ex eo quod in eodem libro legimus de vigintiquattuor senioribus, qui procidentes coram throno Dei, habebant phialas plenas odoramentorum, *quae sunt,* inquit, *orationes Sanctorum,*[48] sicut de Michaele dicitur quod stabat iuxta altare aureum, habens turibulum aureum, et tulit de incenso odoramentorum, quae sunt orationes Sanctorum, ut adoleret ea coram Domino.[49] Nam Angeli offerunt orationes nostras coram Deo, sicut Raphael offerebat orationes Tobiae.[50] Sic, inquam, Sancti possunt pro nobis orare, sicut Angeli, quemadmodum in 2 *Machabaeorum* legimus de Ieremia: *Hic est fratrum amator et populi Israel; hic est qui multum orat pro populo et universa sancta civitate* Ierusalem.[51] Hinc Ieremia 15: *Si steterit coram me Moyses et Samuel, non est anima mea ad populum istum,*[52] hebraice: *Si stabit.* Non loquitur autem Deus de impossibilibus. Sicut igitur sancti Apostoli hodie intercedere potuerunt pro infirma muliere apud Christum, sic etiam nunc possunt in caelo, imo multo magis, cum sint aequales Angelis Dei.

eo magis hoc poterunt Sancti et Angeli Dei in caelo.

37) Cf. Lc 16, 19 sqq. 38) Cf. 1, 8-12; 2, 2-6. 39) Mc 5, 12. 40) Mt 22, 30; Mc 12, 25. 41) Lc 20, 36. 42) Cf. vr. 12. 43) Cf. 10, 5-13. 44) Cf. 20, 4. 45) Cf. Lc 19, 17-19. 46) Mt 24, 47. 47) Cf. 6, 9-10. 48) 5, 8. 49) Cf. ibid. 8, 3-4. 50) Cf. Tob 12, 12. 51) 15, 14. 52) Vr. 1. Vulg.: *Moyses et Samuel coram me,* etc.

Sancti ergo in tempore necessitatis nos adiuvant.

VI. *Rogaverunt illum pro ea.* Videndum quinam sint intercessores. Marcus habet quod fuerunt Petrus, Andreas, Iacobus,[53] Apostoli omnium optimi, praestantissimi atque sanctissimi. Quid petierunt? Sanitatem, salutem. A quo? A Christo, qui etiam a daemonibus in hodierno Evangelio praedicatur Filius Dei et Christus,[54] idest verus Messias, fons salutis et sanitatis omnis. Pro quo intercesserunt? Pro socru Simonis, quae in domo Simonis erat et magnis febribus tenebatur. Quid eos ad intercedendum pro ea movit? Caritas propria et etiam quia mulier solebat ministrare illis, sicut mox sanitati restituta fecit.[55] Sicut enim Eliseus, multis beneficiis affectus a muliere sunamitide, etiam non rogatus intercessit pro ea, sic accepta beneficia voluit recompensare,[56] ita hodie sancti Apostoli. O beatos christianos, qui in honorem Sanctorum aliquid impendunt ut possunt! Nam in tempore necessitatis nos visitant et salutis nostrae solliciti sunt salutisque beneficium a Deo suis precibus impetrant.

In hoc Evangelio adumbratur etiam mysterium iustificationis.

VII. In hodierno[57] Evangelio, praeter miracula et beneficia, habemus etiam multa dogmata, nec non et mysteria, sicut in alio scripto adnotatum est.[58] Verum speciale mysterium est iustificationis, quod a Divo Matthaeo indicatum est,[59] dum in hodierni miraculi historia adducit Isaiam prophetam, capite 53, qui nonnisi de spiritualibus languoribus loquitur.[59a] Sunt autem corporales infirmitates symbola spiritualium et sanitas corporalis symbolum spiritualis. Propterea Christus dictus est medicus[60] et in hodierno Evangelio medicum egit.[61]

In hoc ergo Evangelio notanda sunt quae ad hoc mysterium spectant. Quis iustificat, quis iustificatur, ubi iustificatur et quomodo iustificatur; sicut hodie quis sanat, quis sanatur, ubi sanatur et quomodo. Sanat Christus, sanatur socrus febricitans, deinde multitudo magna languentium et ab immundis spiritibus obsessorum;[62] con-

53) Cf. 1, 29-30. 54) Cf. Lc 4, 41. 55) Cf. ibid. vr. 39. 56) Cf. 4 Rg 4, 12-16.
57) Quae hoc numero continentur, stylo valde latiori exarata sunt. 58) Cf. supra, hom. praecedente, pag. 335 sqq. 59) Cf. 8, 17. 59a) Cf. vr. 4.
60) Cf. ibid. 9, 12; Mc 2, 17; Lc 5, 31. 61) Cf. Lc 4, 40. 62) Cf. ibid. vr. 41.

fertur etiam beneficium hoc sanitatis tantum in domo Simonis, hinc ad hanc domum universa civitas concurrit, ut Marcus habet;[63] tandem sanatur ad preces Apostolorum, nec solo verbo imperandi aut increpandi, sed cum vidisset, accessit, stetit super eam, apprehendit manum et elevavit eam, ac sic optatam contulit salutem; postea vero sine ullo verbo *singulis manus imponens curabat eos.*[64] Haec omnia in iustificatione meditanda nobis sunt.

63) Cf. 1, 33. 64) Lc 4, 40.

FERIA SEXTA INFRA HEBDOMADAM TERTIAM QUADRAGESIMAE

Iesus autem fatigatus ex itinere, sedebat sic super fontem... Venit mulier de Samaria, etc. [1]

Ostenditur hodie mirabilis conversio mulieris infidelis ad fidem.

I. Repraesentatur hodie veluti in scena conversio mirabilis mulieris samaritidis, quae quidem similis extitit conversioni Rahab meretricis. [2] Ostenditur autem quidnam sit ipsa conversio, quis auctor ipsius, modus conversionis huius et tandem effectus. Conversio quidem hodierna transitus fuit ab infidelitate ad fidem: *Mulier, crede mihi;* [3] a peccato ad gratiam, nam in adulterio vivebat: *Quinque enim viros habuisti et nunc quem habes, non est tuus vir;* [4] a cultu idolorum ad cultum veri Dei: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate; Spiritus est Deus;* [5] a tenebris ignorantiae in admirabile lumen cognitionis Christi: *Scio quia Messias venit; Ego sum qui loquor tecum;* [6] a desiderio terrenarum et corporalium aquarum: *Venit mulier de Samaria haurire aquam,* [7] ad desiderium spiritualium et caelestium: *Domine, da mihi hanc aquam ut non sitiam* iterum, *neque veniam,* etc.; [8] contemnit aquas quas prius quaerebat: *Reliquit hydriam suam mulier;* [9] transit a contemptu Christi: *Quomodo tu, Iudaeus cum sis, bibere a me poscis,* etc., [10] ad summam venerationem: *Domine, ut video, propheta es tu; Venite et videte hominem qui dixit mihi omnia quaecumque feci; nunquid ipse est Christus?* [11] Sic hodie mulier haec facta est ex samaritana christiana, ex peccatrice praedicatrix et apostola christianae fidei, ex muliere adultera Christi per fidem legitima sponsa: *Despon-*

1) Pericope huius diei Io 4, 5-42. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Ios 2, 1-13. 3) Io 4, 21. 4) Ibid. vr. 18. 5) Ibid. vrr. 23-24. Affert ordine inverso. 6) Ibid. vrr. 25-26. 7) Ibid. vr. 7. 8) Ibid. vr. 15. 9) Ibid. vr. 28. 10) Ibid. vr. 9. 11) Ibid. vrr. 19. 29.

sabo te mihi in fide.[12] *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius!*[13]

Conversio est effectus electionis et praedestinationis divinae.

II. Conversio est effectus electionis et praedestinationis divinae, nam: *Quos praedestinavit, hos et vocavit... et iustificavit.*[14] Hic luce clarius cernitur quod Paulus dixit: *Non* est *volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.*[15] Haec enim mulier thesaurum salutis sorte reperit, cum nil minus cogitaret, ad fontem Iacob, sicut Rebecca ad puteum invenit ingentes divitias.[16]

Auctor conversionis Christus est, qui hodie multis nominibus designatur

Quod vero ad auctorem conversionis spectat, Christus auctor proponitur. *Converte me,* Domine, *et convertar* ad te; *postquam convertisti me egi poenitentiam.*[17] Auctor autem conversionis in hodierno Evangelio multis nominibus designatur. Hodiernum Evangelium Christi titulis plenum est. Dicitur fatigatus, donum Dei, appellatur Iudaeus, homo qui novit omnia, propheta, magister, Messias, dator aquae vivae, Dominus, Filius Dei, et tandem Salvator mundi. Decem sunt Christi tituli ad declarandam ipsius magnitudinem. Nam magnum opus est animarum conversio. In creatione mundi duo tantum tituli tribuuntur Conditori, appellatur nanque Deus et in creatione hominis dictus est etiam Dominus,[18] quasi maius opus fuerit hominem condere, quam mundum creare, nam hominis causa factus est mundus. Opus autem iustificationis hominis maius est opere creationis ipsius. Apud Isaiam simile quid legimus: *Parvulus natus est nobis et filius datus est nobis et factus est principatus super humerum eius et vocabitur nomen eius admirabilis,* etc. *ad multiplicandum imperium;*[19] Christi autem regnum conversione multiplicatur.

et sub diversis habitibus exhibetur;

In hodierna hac sacratissima repraesentatione Christus Dominus sub diversis habitibus comparet in scena. Primo quidem sub habitu peregrini, oppido ex itineris labore fatigati, peregrini autem pauperis, esurientis, sitientis, potum aquae petentis. Deinde mirabili metamorphosi in fontem se transmutat aquarum vivarum, sed in caelum salientium. Tertio in habitu prophetae summique philosophi ac divinae philosophiae magistri, qui de religione philosophatur et

12) Os 2, 20. Vulg.: *Sponsabo.* 13) Rom 11, 33. 14) Ibid. 8, 30. 15) Ibid. 9, 16. 16) Cf. Gn 23, 11-51. 17) Ier 31, 18-19. 18) Cf. Gn 1, 1; 2, 7. 19) 9, 6-7. Ex hebraico.

secreta cordium manifestat. Quarto in habitu Messiae: *Scio quia Messias venit; Ego sum qui loquor tecum.* Quinto in habitu divinae maiestatis: *Scimus quoniam hic est vere Salvator mundi.*[20]

Samaritana etiam sub diversis personis comparet: nunc in habitu mulieris samaritanae, gentilis, infidelis; nunc in habitu mulieris christianae, piae, religiosae, quae de religione et cultu Dei cum Christo disserit; nunc in habitu praedicatricis, magistrae, apostolae Samaritanorum. subiectum samaritanu.

Apostoli etiam nunc in habitu peregrinorum, nunc in habitu mercatorum ut cibos emerent, nunc in habitu convivarum: *Rabbi, manduca.*[21]

Sunt multi interlocutores multique dialogismi: Christus et samaritana, Apostoli et Christus, mulier et Samaritani, Apostoli ad invicem: *Nunquid aliquis attulit ei manducare?*[22] Samaritani et Christus; ac tandem omnes in scena comparent magnaque cum laetitia finitur.

Mutantur etiam prospectivae in scena. Ex praedio, ubi erat fons Iacob, in civitatem, iterumque in praedium et postea iterum in civitatem.

Conversio cibus Christi est et opus Dei: *Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius.*[23] Sicut autem Adamo dictum fuit: *In sudore vultus tui vesceris pane*[24] tuo, ita ad cibum hunc quaerendum fatigatum videmus hodie Christum, sicut per Isaiam 43 Dominus ait: *Laborare me fecisti in iniquitatibus tuis.*[25] Est etiam conversio magnum et ineffabile donum Dei; hinc ait: *Si scires donum Dei et quis est qui dicit tibi: Da mihi bibere!*[26] Conversio opus Dei est.

Modus autem conversionis dulcissimus est: *In funiculis Adam traham eos, in funiculis caritatis;*[27] *Caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans*[28] tui. Mulierem hanc hodie Dominus ad se traxit summa benignitate excitans desiderium aquarum divinissimarum in ea eamque ad sui cognitionem facillima perducens via. Cognitione igitur et desiderio bonorum tracta est, conversa est. Natura enim boni amabilis est, sed non diligitur nisi agnoscatur.

20) Io 4, 42. 21) Ibid. vr. 31. 22) Ibid. vr. 33. 23) Ibid. vr. 34. 24) Gn 3, 19. 25) Vr. 24. Vulg.: *Praebuisti mihi laborem.* 26) Io 4, 10. 27) Os 11, 4. Vulg.: *In vinculis caritatis.* 28) Ier 31, 3.

effectus autem conversionis multiplex.

Effectus tandem conversionis multiplex est. Primus quidem effectus iustificatio est, consecutio gratiae, quae donum caeleste est et gratia saliens in vitam aeternam; alter vero ipsa salus: *Quia salus ex Iudaeis est,*[29] ipsa vita aeterna; contemptus terrenorum bonorum: *Reliquit hydriam suam mulier;* amor in Christum et ardens desiderium gloriae ipsius: *Venit* mulier *in civitatem et dicit illis hominibus: Venite et videte hominem,* etc.; *Multi crediderunt in eum propter verbum mulieris;*[30] cultus veri Dei: *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum;* clara cognitio ipsius Christi, nam in Christi cognitione profecit samaritis semper ad altiorem provecta cognitionem, quod homo dignus honore, quod propheta, quod Messias.

Hodie ostenditur Christus verus mundi Salvator

III. In hodierno Evangelio ostenditur Christus Dominus verus mundi Salvator, hinc aiunt Samaritae: *Nos audivimus et scimus quoniam hic est vere Salvator mundi.* Singulariter vero quam cara Christo sit vel unius animae salus, ita ut Salvator sit universalis totius mundi et particularis cuiusvis animae: *Nos audivimus et scimus, quoniam hic est vere Salvator mundi,* idest verus Messias a Deo promissus pro salute humani generis. *Vere Salvator,* idest verus et perfectus Salvator, verae perfectaeque salutis auctor, quod Dei proprium est, nam: *Domini est salus;*[31] *Deus ipse veniet et salvabit vos.*[32] Hinc per Oseam ait: *Domui Iuda miserebor et salvabo eos in Domino Deo suo, et non salvabo eos in arcu et* in *gladio, in bello, in equis et in equitibus;*[33] non humana eos potentia salvabo, sed divina, sicut populum liberavi a dura servitute Aegypti; sed tunc per Moysen liberavi et salvavi populum;[34] at vero, inquit, *salvabo in Domino Deo suo,* idest per Dominum Deum suum, mittam enim Messiam, verum Deum et hominem, ad salvandum eos.

et vera salus.

Nec vero Salvator tantum dictus est hodie Dominus, verum etiam salus: *Nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudaeis est,*[35] et quidem nomen Iesu proprie salus interpretatur. Sicut Dominus dicitur *lux mundi,*[36] sicut *resurrectio et vita,*[37] sicut *veritas et via,*[38] ita salus mundi; salus autem absolute, absque ulla limitatione, quoniam universalis salus, sicut dicitur Deus primo die creasse lucem absolute, quia creavit omnem lucem solis, lunae, stellarum totius

29) Io 4, 22. 30) Ibid. vrr. 28-29. 39. 31) Ps 3, 9. 32) Is 35, 4. 33) 1, 7. 34) Cf. Ex 14, 1 sqq. 35) Io 4, 22. 36) Ibid. 8, 12. 37) Ibid. 11, 25. 38) Ibid. 14, 6.

mundi; sicut etiam saepe Deus in Sacris Litteris absolute Dominus dicitur, non huius aut illius rei, quoniam rerum omnium Dominus est, sicut et creator. Nec aliud ostendit Christus miraculis suis nisi se esse mundi universalem salutem, sanando infirmos, illuminando caecos, suscitando mortuos, cibando magno miraculo famelicos, liberando a periculis maris, cum *imperavit ventis et mari et facta est tranquillitas magna.* [39]

IV. Videndum autem quidnam sit haec salus. Dominus eam hodie donum Dei appellat, dicens: *Si scires donum Dei!* nec tamen dicit quale sit hoc donum aut quantum. Saepe quidem de salute loquuntur Divinae Litterae et salus multa significat; singulariter vero liberationem a praesenti malo, ut Moyses salvavit populum a durissima servitute. Aliquando etiam libertatem a periculo imminentis mali, sicut Deus salvavit populum in mari Rubro, demerso Pharaone; aliquando collationem beneficii, sic Ioseph salvavit domum patris sui, [40] sic Deus populum in deserto pluens illis manna de caelo, [41] dans aquam de petra, [42] sic enim in vita servati sunt incolumes. Sic igitur Dominus dicitur Salvator et salus, quia liberat a peccato, a morte, ab inferno, a diabolo: *Salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* [43] Deinde gratiam dat et fontem gratiae, Spiritum Sanctum, ac tandem gloriam. Sic R e g i u s V a t e s ait: *Gratiam et gloriam dabit Dominus,* [44] veluti explicans quidnam sit hoc donum Dei, quod hodie Christus ait: *Si scires donum Dei! Gratiam et gloriam dabit Dominus,* sed perpetuam, hinc hebraice R e g i u s V a t e s solem ibi Deum appellat: *Sol et scutum Dominus Deus; gratiam et gloriam dabit Dominus,* utique sicut sol dat mundo lucem. Hinc Dominus ait hodie samaritidi mulieri: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum; sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* [45] Magnum plane Dei donum, magnum et ineffabile beneficium.

Christus Salvator et salus dicitur, quia liberat a peccato et inferno

et dat gratiam, imo ipsum fontem gratiae, Spiritum Sanctum,

Si scires donum Dei! Gratiam et gloriam dabit Dominus; Omne datum optimum et omne donum perfectum. [46] P a u l u s thesaurum dixit et impervestigabiles divitias; [47] P e t r u s magna et pretiosa

donum vere incomprehensibile et ineffabile.

39) Mt 8, 26. 40) Cf. Gn 47, 1-12. 41) Cf. Ex 16, 12. 42) Cf. ibid. 17, 3-7; Nm 20, 2-13. 43) Mt 1, 21. 44) Ps 83, 12. 45) Io 4, 13-14. 46) Iac 1, 17. 47) Cf. Eph 1, 7. 18.

dona.[48] Christus dum sic loquitur: *Si scires donum Dei,* magis exprimit magnitudinem doni huius, nam ostendit incomprehensibile et ineffabile donum esse linguis humanis et angelicis. Quod autem dici vel sciri potest a nobis et comprehendi est, quod aqua est saliens in vitam aeternam; aqua, non fontis Iacob, sed fontis Christi.

Duo sunt fontes bonorum: natura in mundo et Christus in Ecclesia;

V. Duo fontes principales bonorum sunt natura in mundo et Christi virtus in Ecclesia. Sed ad hauriendam aquam ex fonte Iacob opus est itinere, hydria, fune, quoniam *puteus altus est,*[49] labore tum ad hauriendam tum ad portandam aquam; aqua autem fontis Christi sine labore hauritur: *Tu forsitan petisses et dedisset tibi aquam vivam.*[50] Deinde aqua fontis Iacob communis est hominibus et bestiis: *Ipse ex eo bibit et filii eius et pecora eius;*[51] aqua autem fontis Christi, quae sine labore hauriatur - *Loquimini ad petram... et illa dabit aquas,*[52] - communis est hominibus et Angelis, qui ad imaginem Dei conditi sunt, capaces Dei per cognitionem et amorem.

sed fons naturae exiccatur,

Praeterea cum ad hauriendam aquam ex fonte Iacob tanto opus sit labore et industria, - quid enim sunt omnes artes et exercitia saecularia, nisi instrumenta ad hauriendam hanc aquam, nisi artificia acquirendae pecuniae? - tamen aqua haec sitim non tollit: *Qui biberit ex aqua hac,* minime vitali, *sitiet iterum; qui autem biberit ex aqua,* utique viva, *quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum,* quoniam non est aqua haec corruptibilis, exsiccabilis sicut aqua fontis Iacob, sed aqua haec incorruptibilis, caelestis, semper viva, quae fons vivae aquae fit et fons copiosissimus aquae salientis. Fontes arte fabricati, cum magnam habent venam aquarum, magna vi magnoque impetu sursum eam emittunt. Haec est fons aquae salientis, sed *salientis in vitam aeternam,* salientis usque in caelum, in paradisum, ubi nullum potest reperiri malum et praesens est omne bonum, ubi non lux et tenebrae, ut hic, sed perpetuus dies.

fons Christi usque in caelum ascendit.

Beneficium salutis dicitur donum Dei,

VI. *Si scires donum Dei! Dedisset tibi aquam vivam.* Divinum et ineffabile salutis nostrae beneficium Deus aquam appellat, quae mundo summe est necessaria, utilis et iucunda. Aufer aquam, quid erit mundus? quid boni aut iucundi reperietur in nostro hoc mundo?

48) Cf. 2 Petr 1, 4. 49) Io 4, 11. 50) Ibid. vr. 10. 51) Ibid. vr. 12. 52) Nm 20, 8.

Si scires donum Dei! Salus nostra donum Dei dicitur, non quod solus Deus absque ulla nostra cooperatione operetur - nam a samaritide Christus hodie quaerit aquam, cognitionem: *Si scires;* orationem: *petisses;* fidem: *Mulier, crede mihi;* confessionem peccati: *Vade, voca virum tuum;*[53] ait Patrem quaerere veros adoratores, qui adorent eum in spiritu et veritate - sed quia a Deo principaliter dependet. Sed sicut naturalis generatio et procreatio rerum nec solum a caelo nec solum a terra nec pars a caelo et pars a terra, sed tota a caelo et tota a terra dependet; sicut etiam filius nec totus a patre solo est nec totus a matre sola, nec pars eius patris est pars autem matris, sed totus est patris et totus matris, ita plane opus salutis nostrae, sicut scriptura tota a manu et calamo.

quia a Deo principaliter descendit

Si scires donum Dei! Cuinam tale tantumque donum, a quo et quomodo tribuitur? Ait: *Si scires donum Dei et* si scires *quis est qui dicit tibi*: *Da mihi bibere, dedisset tibi aquam vivam.* Datur mulieri, datur mundo: *Hic est vere Salvator mundi;* datur ab ipso Deo infinitae maiestatis et potentiae mulieri pauperi, de plebe vilissima, mulieri peccatrici, quae in adulterio vivebat: *Et nunc quem habes non est tuus vir.*[54] Datur autem non petitum, sed oblatum. Similis videtur Dominus mercatori, qui merces suas cupit quoquo modo distrahere easque offert emptoribus quocumque pretio venales. Hinc per Regium Vatem ait: *Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos?* Vitam offert cum diebus bonis, idest laetam, iucundam, voluptate plenam, venalem. Sed quonam pretio emenda est vita iucunda? *Diverte a malo et fac bonum, inquire pacem et persequere eam.*[55]

et a Deo datur mundo non petitum sed oblatum,

Gregorius Nazianzenus, *Oratione in Sanctum Baptisma* ait: « Hoc bonum sola voluntate venale tibi proponitur; cupiditatem ipsam Deus ingentis pretii loco habet ».[56] Sic nanque videmus quod desideravit hodie divinum hoc donum samaritana et obtinuit: *Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam* iterum *neque veniam huc haurire.*[57]

Nec offert tantum Dominus donum hoc, verum etiam, more mercatoris cupientis merces distrahere, commendat donum suum,

53) Io 4, 16. 54) Ibid. vr. 18. 55) Ps 33, 13. 15. 56) Orat. 40, (P. G. 36, 398).
57) Io 4, 15.

Christus enim salutis nostrae cupidissimus est,

aperit qualitates ipsius, ostendit bonitatem, ut moveat voluntatem suapte natura bona appetentem et, quod summum est, tanto desiderio tenetur ut mulierem hanc tali tantoque afficiat beneficio, ut non dedignatus sit Angelorum Dominus, infinitae maiestatis Deus, cum muliercula de plebe vilissima pluribus agere, sermones[58] multos fundere, ita ut ad procurandam ipsius salutem *fatigatus ex itinere* cibum et potum intermiserit. Tam cara est Domino vel unius tantum animae salus, pastori huic una etiam ovicula, mulieri huic una tantum drachma, patri huic amantissimo unius etiam filii salus et vita![59] Ad hoc enim venit hodie in civitatem Sichen, ad hoc fatigatus est ex itinere, ad hoc sedit sic super fontem, ad hoc usque ad horam sextam, usque ad meridiem ieiunus permansit et postea, superante cibi huius aviditate vim famis et sitis, cibum sumere etiam invitatus recusavit, dicens: *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis; Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius.*[60]

sicut hodie ostendit cum samaritana.

Domine, da mihi hanc aquam. Videtur Dominus quandoque more mercatorum renuentibus offerre divina beneficia, cupientibus vero veluti morosum se praebere. Cupiebat chananaea divinae gratiae munus, Dominus autem cum ea morosum se praestitit; cum samaritide nec cupiente nec quaerente, sed potius renuente, mercatorem agit, oblatorem distrahendi cupidum. Sed tandem chananaea cum laude consecuta est donum gratiae,[61] non sic autem samaritana laudata de fide.

Conversio unius animae causa potest esse salutis plurimorum.

Reliquit hydriam suam mulier et venit in civitatem, etc. Merito Dominus salutem et conversionem unius animae magni facit, nam una tantum anima ad Deum vere ex corde conversa, in causa potest esse salutis plurimorum ac pene immensarum animarum, sicut patet hodie. Nam propter hanc mulierem innumeri Samaritae in Christum crediderunt: *Quoniam hic est vere Salvator.*

VII. Appellatur Dominus hodie et Salvator et salus: *Hic est Salvator mundi; Salus ex Iudaeis est.* Salvator ab effectu et affectu, quoniam haec Christi ars est, haec professio, opus, hoc exercitium

58) Ms.: *Sermone.* 59) Cf. Lc 15, 4 sqq. 60) Io 4, 32. 34.
61) Cf. Mt 15, 22-28.

ex professo agit, sicut satanas dicitur tentator tanquam artis huius professor; sicut piscator, venator, pictor homo dicitur a professione, ab exercitio quotidiano, ab artis peritia. Novit Christus modos omnes salvandi animas, hinc dictus est Salvator et salus. Sicut Deus in Sacris Litteris saepe dictus est Deus salvans, Salvator, Deus salutis, dictus est etiam salus: *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo?*[62] Item: *Salutare vultus mei Deus meus;*[63] salutare vultus, salus praesentissima, salus mihi semper exprompta, ante oculos meos posita; sic, inquam, Christus salus dicitur et nomen Iesus salus interpretatur. Non enim dicitur *mosciah*, salvator, sed *Iesuah*, salus. Sic: *Factus est mihi Dominus in salutem*, ait Moyses[64] et Isaias;[65] sic: *Salutare tuum expectabo, Domine,*[66] salutem tuam, Iesum tuum; sic: *Aperiatur terra et germinet Salvatorem,*[67] salutem, Iesum; sic: *Urbs fortitudinis nostrae* [*Sion*], *Salvator ponetur in ea,* hebraice: *salus ponet in ea muros et antemurale,*[68] ubi, cum hebraice salus feminino sit genere, *ponet iascith* masculinum est; sed salus, ille qui est salus, Iesus, *ponet in ea muros et antemurale;* sic: *In Deo Iesu meo,*[69] qui est Iesus, salus mea. Salus mundi Christus magna, perpetua, universalis, sicut sol lux est mundi.

Christus dicitur Salvator et salus, quia hoc est eius officium

et omnes modos novit animas salvandi.

VIII. Ostenduntur in hodierno Evangelio paupertas magna et divitiae impervestigabiles Christi. Nam Christus est thesaurus infinitus, sed absconditus; qui invenerit eum beatus, sicut samaritis hodie invenit; postquam samaritis cognovit hodie divitias Christi, ardenter eas desideravit.

Christus thesaurus est infinitus, sed absconditus

Differunt autem divitiae Christi a divitiis mundi, nam hae sunt aquae fontis Iacob, quae sitim non levant, saepe autem augent, nam *avarus non implebitur pecunia*[69a] et, ut liricus ille ait:

cuius divitiae omnino differunt a divitiis mundi.

«Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit»;[70]

et Ovidius ille:

«Creverunt opes opumque vesana cupido;[71]
«Quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae».[72]

62) Ps 26, 1. 63) Ps 42, 5. 64) Ex 15, 2. 65) 12, 2. 66) Gn 49, 18. 67) Is 45, 8. 68) Ibid. 26, 1. 69) Hab 3, 18. 69a) Eccle 5, 9. 70) Iuvenalis *Satyrae*, sat. 13, vr. 139. 71) *Fast.*, lib. 1, vr. 211. «Et opum furiosa cupido». 72) Ibid. vr. 216.

Divitiae mundi huius terrenae sunt, tineae, aerugini, furibus, periculis mille obnoxiae; Christi autem divitiae caelestes. Hinc per I e r e m i a m Dominus ait se fontem esse aquae vivae, creaturas autem cisternas dissipatas, *quae continere non valent aquas*[73] ad levandam sitim necessarias. Hinc mulieri huic quinque viri morte defecerant; ad explendam sitim libidinis cum adultero habebat consortium: *Et nunc quem habes non est tuus vir.* Sed sicut Naaman syrus praeferebat aquas fluminum Syriae aquis Iordanis, quarum tamen beneficio divino miraculo mundatus fuit a lepra,[74] ita mundani et animales homines, qui non sapiunt quae sunt spiritus Dei,[75] praeferunt aquas fontis Iacob aquis Christi, divitias mundi divitiis Christi.

Nos audivimus et scimus quoniam hic est vere Salvator mundi. Vel hoc solo titulo dignus est Dominus ut ab omnibus colatur. Sic enim Darius rex provinciis omnibus et regnis imperii sui scripsit, ut omnes colerent Deum Danielis, quia potens est salvare, quoniam Danielem a leonibus salvaverat.[76]

Vera religio consistit in Dei vera cognitione veroque amore.

Veri adoratores[77] *adorabunt Patrem in spiritu et veritate.* In Divinis Litteris veritas appellatur fides, caritas autem spiritus. Docet igitur Christus quod vera religio in fide et caritate consistit, in vera Dei cognitione veroque amore, ut cognoscatur et ex animo diligatur Deus, nam in anima hominis reperitur intellectus ad cognoscendum et voluntas ad amandum. Tunc vere colitur Deus cum cognoscitur et diligitur.[78]

II. ALIA HOMILIA[1]

I. In hodierno Evangelio agitur de conversione samaritanae a statu perditionis ad statum salutis. Proponitur autem in conversione unius mulierculae magnitudo Christi multis titulis, ut sciamus quanti

73) 2, 13. 74) Cf. 4 Rg 5, 9-14. 75) Cf. 1 Cor 2, 14. 76) Cf. Dn 6, 16-27. 77) Alio atramento clariori. 78) Aliquibus lineis albis relictis, sequitur alia homilia.

1) Alio stylo exarata.

momenti sit unius animae salus. Magni enim principes non solent parva desiderare, sed magna semper cogitant et quae principe digna sunt meditantur et cupiunt. Christus autem hodie ostenditur verus mundi Salvator, donum Dei ineffabile; et tamen talis et tantus cum sit, ipsemet operam dare voluit hodie conversioni et saluti unius animae, et hoc quidem magno cum studio et diligentia, magno cum desiderio. Studium et diligentia Christi ostenditur in colloquiis cum muliere, desiderium, quoniam praetulit hoc opus propriis commodis, cibo et potui: *Meus cibus est ut faciam*, etc.,[2] proprio honori ac reputationi, nam humiliavit semetipsum, ut cum muliere tam ignobili loqueretur; petiit ab ea potum aquae, passus fuit ab ea obiurgationem: *Quomodo tu Iudaeus cum sis*, etc.;[3] praetulit etiam honori et reputationi suae, nam solus cum sola loquebatur, ita ut mirati sint discipuli, cum parum videatur honestum, ut Cyprianus ait *De singularitate clericorum*, ut religiosus vir solus cum sola versetur misceatque sermones.[4] Christus tamen, cum avidissime sitiret unius animae salutem, et commoda et reputationem suam nihili pendit, sicut postea in cruce luce clarius ostendit. Tanti ergo facit Deus vel unius tantum animae salutem! Nos miseri, quam minimi nos etiam propriae animae salutem pendimus et curamus!

Proponitur hodie Christi magnitudo multis titulis,

ad ostendendum quanti valeat unius animae salus.

II. Paulus Apostolus *ad Titum* scribens, visus est hodierni Evangelii mysteria paucis comprehendere et declarare dicens: *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiae quae fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Salvatorem nostrum, ut iustificati gratia ipsius, heredes simus secundum spem vitae aeternae.*[5] Nam ostenditur Christus divinus Salvator: Nos *audivimus et scimus, quia hic est vere Salvator mundi;*[6] ostenditur divinitas Christi verusque Deus ineffabilis; ostenditur eius divinitas et humanitas: quam benignus, quam humanus est hodie Dominus cum samaritide hac! Non tamen ex operibus iustitiae quae fecerat, cum infidelis esset mulier et peccatrix, sed secundum magnam et ineffa-

Ostenditur Christus divinus Salvator, et verus Deus et homo

ac misericordia plenus.

2) Io 4, 34. 3) Ibid. vr. 9. 4) P. L. 4, 835. 5) 3, 4-7. Vulg.: *Benignitas et humanitas apparuit... suam misericordiam*, etc. 6) Io 4, 42.

bilem misericordiam Dei salva facta est per lavacrum regenerationis. Nam puteus Iacob symbolum est Baptismi; hic enim samaritis baptizata et iustificata fuit a Christo, hic regenerata et renovata.

Loquitur Christus de Spiritu Sancto sub aquae symbolo

Loquitur etiam hic Christus de Spiritu Sancto sub aquae symbolo, aqua autem abundante: *Fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam,*[7] quam qui biberit, non sitiet iterum, idest non patietur potus indigentiam, quoniam aqua haec incorruptibilis est, nec consumi potest; propterea dicitur aqua viva. Sitis autem necessitas bibendi est, quoniam aqua prius pota iam consumpta est a naturali calore; haec autem aqua incorruptibilis est. Loquitur etiam hic Dominus de vita aeterna et de salute, quae ex Iudaeis est.[8]

et samaritidem edocet de vera religione,

Vocat Dominus mulierem hanc ab infidelitate ad fidem: *Mulier, crede mihi;*[9] a peccato ad gratiam Spiritus Sancti: *Si scires... petisses... et dedisset tibi,* etc.;[10] *Vade, voca virum tuum,* etc.;[11] vocat a falsa religione ad veram, quoniam *veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.*[12] Ubi discernit Dominus christianam religionem a samaritana, quae falsa erat: *Adoratis quod nescitis;*[13] a iudaica, quoniam licet vera esset religio, erat tantum carnalis et corporali cultu Deum colebat, corporalibus sacrificiis; christiana autem religio et vera et spiritualis est, Deo acceptissima, cum Deus spiritus sit,[14] ut docet hic Dominus.

quae interna et externa esse debet.

Nec tamen docere voluit Christus nudam tantum requirere Deum religionem, in anima tantum, ut novatores docent, sed cum spiritus Deus sit, non delectatur nisi spirituali pietate et interna; sed necessaria est externa ad conservandam internam, sicut sepes ad conservandam vineam, sicut muri ad conservandam civitatem, sicut vestes ad servandum calorem naturalem, in quo vita consistit. Religionem spiritualem requirit, sed non solam, sicut vocat dominus servum, sed non nudum, licet non praecipiat ut indutus ad eum accedat. Sicut homo constat anima et corpore, et principalis quidem pars hominis anima est, in qua Dei imago consistit, sine corpore tamen verus homo non est; ita etiam religio duas habet partes: cultum internum et externum, et cultus quidem internus praecipua pars est, sine cultu tamen externo vera pietas et religio non est.

7) Ibid. vr. 14. 8) Cf. ibid. vr. 22. 9) Ibid. vr. 21. 10) Ibid. vr. 10.
11) Ibid. vr. 16. 12) Ibid. vr. 23. 13) Ibid. vr. 22. 14) Cf. ibid. vr. 24.

III. Ad consequendam salutem aeternam, de qua agitur in hodierno Evangelio, tria necessaria sunt: vera fides, vera religio et vera sanctitas vitae. Ad haec enim tria conversa Ecclesia est ab infidelitate ad fidem, a falsa religione ad veram, a vita carnali ad spiritualem, quae describitur hodie in samaritide, quae typus et figura extitit totius Ecclesiae, quae ad Christum convertenda erat.

Ad salutem requiritur vera fides, vera religio et sanctitas vitae.

Nos catholici habemus quidem veram fidem veramque religionem; sed ubi vera vitae sanctitas? Vita samaritidis post conversionem valde diversa fuit a pristina vita. Hinc Paulus ait: *Sicut exhibuistis membra vestra servire iniustitiae et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiae in sanctificationem;* [15] et alibi: *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino; ut filii lucis ambulate, fructus enim lucis est,* etc. [16]

III. ALIA HOMILIA [1]

Venit Iesus *in civitatem Samariae,* etc. [2]

I. Proponitur a Ioanne, in hodierno Evangelio magna cum diligentia conversionis Samaritanorum historia. Quae quidem historia videtur mihi divina quadam arte mirum in modum contexta et multis mysteriis exornata, sicut vestis summi sacerdotis mira varietate auroque et pretiosis lapillis ad miraculum ornata erat. [3] Hic enim agitur de natura Dei: *Spiritus est Deus;* [4] hic de persona Christi: *Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus; Ego sum qui loquor tecum,* [5] hic de ineffabili et incomprehensibili magnitudine Christi: *Si scires donum Dei et quis est qui dicit tibi: da mihi bibere;* [6] hic de officio Christi: *Hic est Salvator mundi;* [7] hic de divina cognitione et sapientia qua Christus omnia novit: *Venite et videte hominem, qui dixit mihi omnia quaecumque feci;* [8] hic de vera Christi humanitate et divinitate, ostenditur enim homo *fatigatus ex itinere* [9] et Deus *scrutans renes et corda;* [10] hic de summa Christi in Patrem pie-

De multis agitur in hodierno Evangelio,

15) Rom 6, 19. 16) Eph 5, 8-9. Vulg. *Immunditiae et iniquitati,* etc.

1) Alio stylo exarata. 2) Io 4, 5. 3) Cf. Ex 28, 4 sqq. 4) Io 4, 24. 5) Ibid. vrr. 25-26. 6) Ibid. vr. 10. 7) Ibid. vr. 42. 8) Ibid. vr. 29. 9) Ibid. vr. 6. 10) Apc 2, 23.

tate et in homines caritate: *Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius;* [11] hic de natura Spiritus Sancti eiusque operatione in homine: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei,* etc., *sed aqua quam ego dabo ei,* etc.; [12] hic de vera religione, quoniam *veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate;* [13] hic de discrimine bonorum temporalium et spiritualium: *Qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum, qui autem,* etc., [14] hic de vera salute: *Salus ex Iudaeis est;* [15] hic quam magnum donum Dei sit oblata salutis occasio: *Si scires donum Dei,* idest quale quantumque donum tibi nunc offert Deus.

sed singulariter de conversione samaritanae ad fidem.

Sed singulariter ostenditur conversio animae, non quidem simpliciter infidelis ab infidelitate ad fidem, sicut fuit conversio chananaeae, [16] nec conversio mulieris peccatricis a peccato tantum ad gratiam, sicut fuit conversio Magdalenae, quae peccatrix quidem erat mulier, sed tamen fidelis et catholica, [17] sed mulier convertitur samaritana ab haeresi ad fidem catholicam. Erant enim Samaritani tunc temporis apud Iudaeos sicut nunc haeretici apud catholicos; credebant et colebant Deum Iudaeorum, sed tamen cum diis gentium, habebant libros Moysi, sed non Prophetas, acceptaverant circumcisionem, sed non templum, non sacerdotium, nec pura sacrificia Iudaeorum. [18] In samaritide autem hac veluti imago haeretici hominis depicta nobis est vivis coloribus.

Mulier haec adultera figura est haereticorum.

II. Describitur mulier, sed adultera. Paulus *ad Romanos* synagogam posuit pro muliere, legem pro viro; [19] sic etiam Ecclesiam pro muliere, fidem pro viro. Mulier, quae non habet virum legitimum, adultera est, sic quae non habet veram fidem. At haeretici nostri habent triplicem fidem; [20] sed mulier quae habet tres viros, nullum habet, adultera est, nam meretrix communis est uxor. Gens item, quae plures deos habet, sicut Samaritani, eo quod plures deos habet, nullum habet. Sic Deus nunquam pro suo populo cognovit Samari-

11) Io 4, 34. 12) Ibid. vr. 13. Vulg.: *Qui bibit,* etc. 13) Ibid. vr. 23. 14) Ibid. vr. 13. 15) Ibid. vr. 22. 16) Cf. Mt 15, 22-28. 17) Cf. Lc 7, 37 sqq. 18) Cf. 4 Rg 17, 6 sqq. 19) Cf. 7, 1 sqq.
20) Calvinus triplicem fidem distinguit: fidem historicam, fidem miraculorum et fidem promissionum. Cf. S. Bellarminus op. cit., t. 4, *De Iustificatione,* lib. 1, cp. 4, col. 705.

tanos, licet ipsum utcumque colerent. Vir enim honestus non agnoscit mulierem quae plures vult habere viros.

Mulier haec non aequis oculis Christum aspexit ipsumque exprobravit: *Quomodo tu, Iudaeus cum sis, bibere a me poscis,* etc.? [21] Item cum non intelligeret verba Christi, impugnavit: *Domine, neque in quo haurias habes et puteus altus est, unde ergo habes aquam vivam? Nunquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis,* etc. [22] Cum non intelligeret verba Christi, putavit esse impossibile quod dictum erat a Christo; adhuc, intellexit quidem postea verba Christi, sed male et perperam: *Domine, da mihi hanc aquam ut non sitiam* iterum *neque veniam huc haurire;* [23] nam carnaliter verba Christi intellexit; existimabat se Christum optime cognoscere, quod homo iudaeus esset, et nihil supra hominem de eo cogitabat. Habebat Christum praesentem et non agnoscebat, cum tamen in Christum venturum crederet: *Scio quia Messias venit,... cum ergo venerit ille, nunciabit nobis omnia.* [24] Tandem coepit cum Christo de religione disputare: *Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis quia Ierosolymis est locus,* etc. [25] Tandem mulier erat tota carnalis nec nisi aquam quaerebat, ex qua biberant filii Iacob et pecora; [26] carnales voluptates communes sunt hominibus et brutis.

Samaritana Christum non agnoscebat quem praesentem habebat,

sed eius verba carnaliter intelligebat;

Hi sunt haereticorum mores et ingenia, quibus Christus ait: *Vos adoratis quod nescitis,* [27] sicut etiam Sadducaeis haereticis Christus dixit: *Erratis nescientes Scripturas neque virtutem Dei.* [28] *Salus,* inquit, *ex Iudaeis est.* Vera salus non nisi in catholica Ecclesia reperitur. Ipsa enim est arca Noe, extra quam in diluvio non potuit esse salus. [29] Sic sententiam tulit Christus hodie pro Iudaeis catholicis, non pro Samaritanis haereticis, quod apud Iudaeos esset verum templum, verus Dei cultus, vera religio et salus animarum.

hi etiam sunt haereticorum mores et ingenia.

III. Duo simul in hodierno Evangelio coniunguntur: vera religio et vera salus. Vera religio: *Venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate, nam... Spiritus est Deus et eos qui adorant eum,* etc.; vera salus: *Quia salus ex Iudaeis*

Duo coniunguntur hodie: vera fides et vera salus.

21) Io 4, 9. 22) Ibid. vrr. 11-12. 23) Ibid. vr. 15. 24) Ibid. vr. 25. Vulg.: *Nobis annunciabit,* etc. 25) Ibid. vr. 20. 26) Cf. ibid. vr. 12. 27) Ibid. vr. 22. 28) Mt 22, 29. 29) Cf. Gn 7, 17 sqq. Effatum ex S. Cypriano epist. 62, (P. L. 2, 125); *De Haereticis rebaptizandis,* ibid. 3, 1123; et ex S. Hieronymo epist. 15, ibid. 22, 5, 55.

quia utriusque Christus auctor est.

est; Hic est vere Salvator mundi. Christus auctor utriusque est, propterea propheta dicitur: Ut *video, propheta es tu.*[30] Munus autem prophetae erat veram religionem docere; ad hoc venturus erat Christus, sicut mulier ait: *Scio quia Messias venit; cum ergo venerit ille, annunciabit nobis omnia,* loquitur autem de religione. Auctor etiam salutis, hinc dicit se daturum aquam salientem in vitam aeternam. Sic dicitur *vere Salvator mundi.*

Vera religio multa requirit.

Vera autem et perfecta religio, sine qua non potest esse salus, multa requirit: primum est Baptismi Sacramentum, cuius figura hodie est fons Iacob; item fides: *Mulier, crede mihi;*[31] confessio fidei: *Venite et videte hominem,* nam *corde creditur ad iustitiam, ore autem,* etc.;[32] oratio: *Domine, da mihi hanc aquam;*[33] confessio peccatorum: *Vade, voca virum tuum;*[34] tandem verus cultus Dei: *In spiritu et veritate oportet adorare,* hoc est in fide et caritate, nam: *Spiritus est Deus,* idest *Deus caritas est,*[35] ideo veram caritatem requirit. Haec scala caeli est, his gradibus ascendendum in caelum est.

Ait autem quod veros adoratores quaerit Deus, non enim omnis qui Deum adorat, verus est adorator, nam etiam Samaritani Deum adorabant.

In Christo reperitur nostra salus.

IV. *Nos*[36] *audivimus et scimus, quoniam hic est vere Salvator mundi* Ioseph in Divinis Litteris dictus est salvator mundi.[37] Cum enim universus Aegyptus maxima rerum caritate laboraret, nec nisi apud unum Ioseph frumenta reperirentur, omnes eum Aegyptii adierunt dicentes: *Salus nostra in manu tua est, tantummodo respiciat nos dominus noster, et laeti serviemus regi. Genesis* 47.[38] Ita Christus unicus est Salvator mundi, apud quem salus nostra reperitur. Huius rei gratia Regius Vates Deo subiectus esse volebat: *Nonne Deo subiecta erit anima mea? Ab ipso enim salutare meum; nam et ipse Deus meus et salutaris meus. Psalmo 61;*[39] et iterum ibidem: *Verumtamen Deo subiecta esto anima mea, quoniam ab ipso patientia mea,* idest spes mea, *quia ipse Deus meus et salutaris meus, adiutor meus.*[40]

30) Io 14, 19. 31) Ibid. vr. 21. 32) Rom 10, 10. 33) Io 4, 15. 34) Ibid. vr. 16. 35) 1 Io 4, 16. 36) Fragmentum stylo valde laxiori exaratum. 37) Cf. Gn 41, 45. 38) Vr. 25. 39) Vrr. 1-3. 40) Vrr. 6-7. Vulg.: *Salvator meus, adiutor meus.* Et quinque paginis albis relictis, transit ad Dominicam quartam sequentem.

DOMINICA QUARTA QUADRAGESIMAE

Abiit Iesus trans mare Galilaeae et sequebatur illum multitudo magna, quia videbant, etc. [1]

I. Hodiernum miraculum opus plane fuit non solum divinae omnipotentiae, verum etiam divinae bonitatis et misericordiae. Nam ait: *Misereor super turbam.* [2] Sic omnia beneficia Dei opera sunt divinae misericordiae et bonitatis: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia eius.* [3]

Ostenditur hodie Christus divinus hominum benefactor.

Ostenditur hodie Dominus divinus hominum benefactor, magnus, largus, supra modum liberalis. Magna est beneficientia Domini, sicut magna est potentia eius et magna bonitas ipsius; *Magnus Dominus... et magna virtus eius.* [4] Sicut autem magnes ferrum ad se trahit, ita ait quod *sequebatur illum multitudo magna, quia videbant signa quae faciebat super his qui infirmabantur.*

Proprium Dei est dare et benefacere

Sequitur beneficientia bonitatem, sicut lumen sequitur lucem et sicut calor ignem pro magnitudine. Deus autem summa et infinita bonitas est. Proprium Dei est dare et benefacere, nam: *Beatius est magis dare quam accipere.* [5] Deus autem a nobis nihil omnino potest accipere: *Bonorum meorum non indiges.* [6] Universum hoc est veluti arbor, in qua est radix, truncus, rami et tandem folia ac fructus. Et radix quidem ab ipsa arbore nihil accipit, sed tantum dat toti arbori humorem atque virtutem, fructus autem arboris recipiunt tantummodo et nihil dant arbori, rami autem recipiunt a radice et trunco et dant foliis et fructibus. Ita in universo sunt res: quaedam, quoniam tantum effectus sunt, recipiunt sed non dant, quaedam vero simul effectus et causa, ut elementa et corpora caelestia, sicut

1) Pericope huius diei Io 6, 1-15. Cf. Missale Rom. 2) Mc 8, 2. 3) Ps 135, 1. 4) Ps 146, 5. 5) Act 20, 35. 6) Ps 15, 2. Vulg.: *Non eges.*

astra, recipiunt lumen a sole et communicant mundo. Deus autem tantummodo causa est: dare potest, sed non accipere, sicut radix in arbore, sicut sol in luminaribus caeli.

Videndum est quisnam sit benefactor, quibus et quomodo benefaciat.

II. Videndum est quisnam sit benefactor, quae beneficia praestat, quibus benefacit et tandem quomodo. Christus est benefactor, Deus omnipotens: *Videbant signa quae faciebat.* Beneficia sunt alimenta tum ad necessitatem tum etiam ad voluptatem naturae ad superabundantiam. Beneficiarii sunt qui sequebantur eum tanquam oves pastorem, milites ducem, discipuli magistrum, servi dominum, filii parentem amantissimum. *Sequebatur eum multitudo magna,* quinque millia hominum, in quibus est veluti imago Ecclesiae vitaeque vere christianae. Modus autem mirabilis est, nam ad miraculum hoc, quo maxima penuria et caritas versa est in maximam abundantiam copiamque annonae, usus est Dominus affectu animi: *Misereor super turbam,* usus oculis, lingua, manibus, usus panibus et piscibus, benedictione et gratiarum actione, usus Apostolis. Sic Deus ad benefaciendum hominibus utitur omnibus creaturis totius universi, et insuper omnipotentiam, infinitam sapientiam et bonitatem adhibet.

Benefactor Dominus est.

Instruit hodie Dominus fidelibus suis solemne magnumque convivium, sicut Isaias ait: *Faciet Dominus omnibus populis in monte hoc convivium pinguium... convivium - semarim - asservatorum,*[7] in quo multo clarius videre licet immensas divitias gloriae Christi, quam in Assueri convivio divitias et gloriam regis illius potentissimi.[8] Convivium hoc magnus apparatus praecedit, sicut et illud sex mensium praeparatio. Hoc autem convivium praecedit navigatio Christi, transitus maris Galilaeae, montis conscensus, adventus multitudinis, quies Christi cum Apostolis in monte, aspectus inde turbarum: *Cum sublevasset oculos et vidisset,* tentatio Philippi: *Unde ememus panes?*[9] inventio quinque panum et duorum piscium, ordinatus discubitus hominum super foenum per centenos et quinquagenos, sublevatio oculorum in caelum et gratiarum actio, benedictio panis, fractio et distributio.

Nec tantum narrat Evangelista quae convivium hoc praecesserunt, verum etiam quae secuta sunt: *Illi ergo homines cum vi-*

7) 25, 6. Ex hebraico. 8) Cf. Est 1, 3-4. 9) Io 6, 5.

dissent, etc.; *Hic est vere propheta qui venturus*, etc.; et item: *Iesus ergo cum cognovisset quia venturi erant ut raperent eum et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.* [10] Hi nanque sunt effectus beneficiorum Dei in hominibus, qui nota ingratitudinis carent: cognoscere beneficium, recognoscere, laudare benefactorem et pro viribus referre gratias: *Ut facerent eum regem.*

Deus omnipotens, infinitae sapientiae et bonitatis.

Videndum est a quo, quibus, cuius rei causa instructum sit hoc convivium et quam lautum et splendidum sit quamque mirabile cum historia tum etiam mysterio. Isaias ait: *Faciet Dominus exercituum*, idest omnipotens. Factum est ab omnipotente bonitate Dei, quae ex nihil potuit omnia creare. Opus fuit infinitae potentiae, hinc panes accepit in manibus; sapientiae: *Ipse enim sciebat quid esset facturus;* [11] bonitatis et misericordiae: *Misereor super turbam.* Factum non propriae utilitatis intuitu, nam *cum cognovisset* [12] *quia venturi essent ut facerent eum regem, fugit*: bonorum nostrorum non indiget.

qui sola bonitate motus nobis benefacit.

Prima causa dare potest, sed non recipere: ignis dare non recipere calorem, sol dare non recipere lucem, aqua dare non recipere humiditatem; in Ecclesia Summus Pontifex dare non recipere ampliores dignitates. Deus autem prima est omnium causa, primum omnium rerum principium, veluti anima est dans esse corpori totius universi; anima autem dat corpori vitam, motum, sensum, vires, nihil autem a corpore recipit. Sola igitur bonitate motus Dominus nobis benefacit. Ex divina nanque bonitate oritur erga nos amor et pietas, veluti ex pectore matris ubera; hinc Deus appellatur Deus uberum; [13] *Meliora sunt ubera tua*, amores tui, *vino.* [14] Divina nanque bonitas veluti mater nostra est. Hisce autem uberibus caritatis et misericordiae nos pascit et nutrit. Sunt autem haec in Deo veluti duo luminaria magna in caelo, quae sunt veluti duo ubera naturae, quibus pascit et nutrit quae genuit.

III. *Abiit Iesus trans mare Galilaeae et sequebatur eum multitudo*, sicut Hebraei Moysen et columnam ignis et nubis trans mare

10) Ibid. vrr. 14-15. 11) Ibid. vr. 6. 12) Ms.: *Cognovissent.*

13) Siquidem (el sadai) אֵל שַׁדַּי significatur tum *Deus uberum* tum etiam *Deus sufficiens.* Cf. Pagnini *Thesaurus Linguae Sanctae*, sub hac voce. 14) Ct 4, 10. Vulg.: *Pulcriora.*

Hodiernum Evangelium clara est demonstratio divinae providentiae.

Rubrum et per desertum.[15] Ducem enim agit hodie Dominus fidelium suorum, pastorem ovium. Nam *ego,* inquit, *sum pastor bonus.*[16] Ducem agit et pastorem optimum, providentissimum. In hodierno Evangelio manifestum est divinae providentiae opus, hodiernum Evangelium clara et manifesta est divinae providentiae demonstratio; imo utrumque Testamentum nihil aliud agere videtur, nisi veritatem hanc demonstrare ab ipsa mundi origine. Hinc Divinus Moyses in sua cosmopoeia una cum creatione coniunxit mysterium hoc divinae providentiae ostendens rerum creatarum distinctionem, dispositionem, ordinem, ornatum, dicens quod *vidit Deus cuncta quae feceral et erant valde bona,*[17] et per dies singulos: *Vidit Deus quod esset bonum.*[18] Manifesta divina providentia est in historia paradisi, in historia diluvii, in historia Pentapolis, in historiis Patriarcharum, maxime autem omnium in synagoga ex Aegypto educta, in deserto annis quadraginta divino miraculo sustentata, in terram promissionis introducta.

Deus in mundo est veluti paterfamilias in domo.

Est autem Deus in mundo sicut magnus pater Noe in arca, sicut paterfamilias in domo, sicut rex in regno, sicut imperator in exercitu, sicut sol in natura hac universali, qui est veluti radix arboris, magnae licet atque latissimae, cuius virtus per radicem superiorem truncum et ramos pertingit, usque ad minimos quosque ramusculos, ad minima quaeque folia, quae per tot intervalla a radice distant, virtutem omnem et pulchritudinem a radice mutuantur. Ita plane universalis natura a sole virtutem accipit, ita ut in mundo universo nec minima quidem res absque virtute solis generetur, sed omnia operatur, omnia generat vi radiorum suorum. Ita plane Deus omnia in omnibus operatur *secundum consilium voluntatis suae*:[19] *Omnia opera nostra operatus es in nobis,* ait Isaias 26.[20]

Designabant divinam providentiam arbor Nabuchodonosor

IV. Divina providentia videtur mihi arbor illa mirabilis Nabuchodonosor regis, quae cum totum occuparet orbem, omnia suis fructibus animantium genera pascebat ac sustentabat;[21] nam arbor illa regem ditissimum ac potentissimum[22] designabat, qui regnis suis necessaria quaeque providebat. Videtur sicut columna nubis et ignis,

15) Cf. Ex 13, 20 sqq.; Nm 9, 15 sqq. 16) Io 10, 11, 14. 17) Gn 1, 31.
18) Ibid. vrr. 10. 12. 18. 21. 25. 19) Eph 1, 11. 20) Vr. 12.
21) Cf. Dn 4, 7-9. 22) Ms.: *Potentissimus.*

et columna nubis et ignis,

nam de ea legimus: *Respexit Dominus super castra Aegyptiorum per columnam nubis et ignis,*[23] nam columna illa videbatur necessaria praestare Hebraeis pro temporis opportunitate. Hinc Regius Vates ait: *Expandit nubem in protectionem eorum et ignem ut luceret eis per noctem.*[24] Cum enim arabica deserta ratione climatis torrida sint, per diem umbra opus erat aestum refrigerante et nimium ardorem solis; nocte autem obscura ad tenebras depellendas lumine opus erat, ut si iter agendum esset, viam demonstraret tutique essent a periculis tenebrarum. Nubes praeterea dant aquas, demittunt pluvias; sed nubes illa manna pluebat, quod simul famem et sitim levabat.

quae populo ducatum praebuit et defensionem.

Plane mirabiles erant columnae illius effectus, divina extitere opera, quousque in terram promissionis ingressi sunt; tunc enim defecit columna illa. Opera autem extitere, primo quidem populo exeunti ex Aegypto ducatum praebuit; deinde eos a potentia Pharaonis defendit, sicut in *Exodo* legimus: *Abiit... columna, priora post tergum relinquens, stetit inter castra Aegyptiorum et castra Israel, et erat nubes tenebrosa et illuminans noctem, ut ad se invicem toto noctis tempore accedere non valerent.*[25] Praeterea demersit Pharaonem cum exercitu in mare[26] in salutem Hebraeorum, quos protegebat. Praeterea columna illa optimi ducis et imperatoris officium praestabat, illa enim indicabat tempus egrediendi, iter agendi et quiescendi, viam etiam per quam iter instituendum erat et locum ubi quiescendum;[27] quare haec populo nihil penitus curanda erant. Tandem, sicut in calce *Exodi* legimus, columna illa supra tabernaculum Domini incubabat,[28] instar avis, quae ovis in nido incubat, aut gallina, quae pullos sub alis protegit.

Pietas et religio singulariter divinam providentiam meretur,

Erat autem tabernaculum illud imago Ecclesiae. Divina providentia curat fideles suos, sicut avis pullos in nido: *Volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis;*[29] *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos,*[30] hebraice: *sicut aquila excitans nidum suum, super pullos suos cubavit expandens alas suas.* Quod autem nubes illa singulariter super divinum taber-

23) Ex 14, 24. Vulg.: *Respiciens Dominus.* 24) Ps 104, 39. 25) Ex 14, 19-20. Vulg.: *Priora dimittens post tergum*, etc. 26) Cf. ibid. vrr. 24 sqq. 27) Cf. Nm 9, 15 sqq. 28) Cf. 40, 36. 29) Mt 23, 37; Lc 13, 34. 30) Dt 32, 11.

naculum incubabat, mysterium est, quod pietas et religio divini cultus singulariter divinam protectionem et beneficia divinae providentiae meretur. Hinc Abrahamo dixit Deus: *Noli timere, Abram, ego protector tuus sum et merces tua magna nimis.*[31] Hinc hodie Dominus fidelibus turbis pietati operam dantibus necessaria abundanter providit. Hinc per Aggaeum Dominus ait: *Ponite corda vestra super vias vestras: seminastis multum et intulistis parum, comedistis et non estis satiati... et qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum. Respexistis ad amplius, et ecce factum est minus, et intulistis in domum et exufflavi illud. Quam ob causam, dicit Dominus exercituum? Quia domus mea deserta est et vos festinatis unusquisque in domum suam. Propter hoc prohibiti sunt caeli ne darent rorem et terra prohibita est ne daret germen suum.*[32] Sic manifeste ostendit Dominus neglectum religionis in causa esse penuriae et caritatis annonae. Hoc etiam est quod per Oseam Dominus ait: *Sponsabo te mihi in iustitia et iudicio et misericordia et miserationibus; et sponsabo te mihi in fide, et scies quia ego Dominus; et erit in die illa: exaudiam, dicit Dominus, exaudiam caelos et illi exaudient terram, et terra exaudiet triticum et vinum et oleum, et haec exaudient Iezrael,*[33] idest semen Dei, filios Dei, filios Sanctae Ecclesiae, quae per fidem Deo desponsata est. Loquitur autem de caelis et terra ac si animata essent sensumque haberent. Omnia bonum appetunt, unumquodque natura tale cupit esse ut placeat, ut laudetur. Sic ait: respondebo votis caeli, caelum autem respondebit votis terrae, terra autem votis segetum, vitium, arborum, et haec tandem votis hominum, sed fidelium. Caelum tale reddam quale esse cupit, ut mundo satisfaciat.

neglectus autem religionis in causa est penuriae;

Hoc ipsum indicant benedictiones divinitus promissae servatoribus divinae legis et maledictiones transgressoribus comminatae. Sic etiam Dominus, aedificato templo, dixit Salomoni se templum illud in domum elegisse: *Et erunt*, inquit, *oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus;*[33a] itemque: *Erunt oculi mei aperti et aures meae erectae ad orationem,*[34] quoniam religio et pietas divinam providentiam

hoc indicant benedictiones promissae servatoribus divinae legis

31) Gn 15, 1. Ms. habet *Abraham*, sed cum Deus sic ei locutus est, nomen illius adhuc non mutaverat, quod postea evenit, ut habetur infra, cp. 17, 5. 32) 1, 5-6. 9. Ms.: *Ne daret rorem suum*, loco: *Germen*. 33) 2, 19-22. Ms.: *Exaudiam caelos et haec exaudient*, etc. 33a) 3 Rg 9, 3. 34) 2 Par 7, 15. Vulg.: *Oculi mei erunt aperti*, etc.

meretur. Sic igitur columna haec supra tabernaculum incubat. Sic Dominus hodie de monte super turbas fideles prospexit, aquila super nidum, gallina super pullos; sic providit.

et maledictiones transgressoribus comminatae.

V. Ostenduntur nobis in hodierno Evangelio Christus et Ecclesia: *Sequebatur eum multitudo magna.* Sunt autem Christus et Ecclesia sicut Deus et mundus, Adam et Eva, Noe et arca, Moyses et synagoga, dux et exercitus, rex et regnum. In Christo autem elucet mysterium divinae providentiae, in Ecclesia autem mysterium religionis et christianae vitae. Christus hodie super Ecclesiam columna nubis et ignis est supra tabernaculum. Haec duo simul iuncta sunt, nam lex Domini saepe dicta est *pactum* in Sacris Litteris, *berith,* [35] est enim velut contractus quidam matrimonialis inter Christum et Ecclesiam et veluti foedus quoddam inter regem et regnum. Sunt conditiones et promissiones ex utraque parte. Hoc est quod saepe legimus: Ipsi *erunt mihi in populum et ego ero illis in Deum,* [36] hoc est, ipsi praestabunt mihi officia fidelis populi et ego eis officia optimi principis. Sic videmus in Sacris Litteris: cum Deus in Bethel apparuit patriarchae Iacob dixit ei: *Ego sum Deus Abraham patris tui et Deus Isaac; terram, in qua dormis, tibi dabo et semini tuo, et ero custos tuus quocumque perrexeris.* [37] Sic scala illa caelestis, per quam Angeli ascendebant et descendebant ministrantes Deo, erat veluti hieroglyphicum divinae providentiae.

Inter Christum et Ecclesiam veluti pactum matrimoniale intercedit,

in quo sunt mutuae conditiones et promissiones,

Multa promittit Deus Iacob, si tamen foret sicut Abraham et Isaac; Iacob autem vicissim Deo multa promisit: *Si Dominus fuerit mecum et dederit mihi panem ad vescendum et vestimentum quo operiar... erit mihi Dominus in Deum, et lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei, cunctorumque quae dederis mihi, decimas* et hostias pacificas *offeram tibi.* [38] En promissiones reciprocae mutuorum officiorum. Sic scala est super Iacob, sed in Bethel, in domo Dei; sic columna incubat tabernaculum, sic Deus visus est Isaiae supra templum implens illud totum fimbriis vestimenti sui, [39] veluti continens illud sub alis protectionis suae. Magnum enim est esse sub protectione magni principis. Deus autem rex est omnipo-

ut accidit inter Deum et Iacob.

35) Cf. Ex 19, 5; 31, 16; Lv 26. 15. 44; Dt 4, 13. 23; 17, 2; 29, 9. 25. 36) Ier 24, 7. 37) Gn 28, 13. 15. 38) Ibid. vrr. 20 sqq. Vulg.: *Et vestimentum ad induendum,* etc. 39) Cf. 6, 1.

tens, hinc dicitur a Seraphim *Dominus exercituum*, et: *Plena est omnis terra gloria eius, plenitudo universae terrae gloria eius,* [40] divitiae eius; Rex est ditissimus: *Domini est terra et plenitudo eius,* [41] idest omnia bona ipsius. Sic Dominus hodie omnipotentem se ostendit atque ditissimum, cui non opus erat panes emere, quoniam ipse fons est bonorum omnium, conditor universae creaturae.

Septem modis ostenditur divina providentia in S. Scriptura.

VI. Divina providentia septem fere modis ostenditur ex Sacris Litteris. Primo quidem, post mundi creationem, divinis miraculis quae operatus est Deus per Angelos, per Patriarchas, per Prophetas, per Christum, per Apostolos ad utilitatem humani generis. Deinde insignibus beneficiis in praemium .virtutis, sic enim salvavit Noe a diluvio, Loth ab incendio, sic ditavit Patriarchas, magnificavit Prophetas. Tertio magnis punitionibus in poenam peccati, uti in diluvio, in incendio Pentapolis, in plagis Aegypti, in captivitatibus et punitionibus populi, fame, peste, bellis. Licet Deus secreto consilio providentiae suae nec omnia hic mala punit nec omnia bona remunerat, ne existimarent homines non esse praeter hunc alium mundum, aliam vitam, nec omnia mala impunita aut bona irremunerata relinquit, ne putarent homines non regi mundum divina providentia. Sed ad ostensionem providentiae quaedam mala punit, quaedamque bona remunerat, et ad ostensionem vitae post hanc aeternae in alio saeculo, quod est saeculum saeculorum, bona quaedam irremunerata et mala quaedam impunita relinquit. Quarto divinis legibus caelitus datis pro regimine humanae reipublicae. Si enim Deus humana non curaret, ad quid leges dare? ad quid religionem requirere? ad quid in virtutis praemium bona multa promittere et in poenam vitii ac peccati mala multa comminari? Divinae ergo leges divinam providentiam ostendunt. Quinto Dei nomina et tituli, nam appellatur Dominus, princeps, rex, pastor, pater, sponsus, dux, Dominus exercituum; haec autem omnia providentiae et gubernationis nomina sunt. Sexto verissimae praedictiones et vaticinia, quae Patriarchae de futura synagoga praedixere, quae Prophetae de futura Ecclesia, de Christo eiusque divinis mysteriis, quae de regnis et imperiis a Vatibus praenunciata fuere, quae sine Divini Spiritus af-

40) Ibid. vr. 3. Ex hebraico. 41) Ps 23, 1

flatu praevideri minime potuere. Septimum tandem divinis apparitionibus ac veluti sacris quibusdam imaginibus, uti scala Iacob,[42] currus Ezechielis,[43] Dei maiestas sedens supra templum, columna incubans supra tabernaculum aliaque id genus multa velut hieroglyphica huius mysterii.

Tres causae hodie ponuntur divinae providentiae.

VII. In hodierno Evangelio divinae providentiae ponuntur tum causae tum effectus. Causae quidem potentia, sapientia, bonitas divina, sicut alibi Dominus ait: *Scit enim Pater vester caelestis quia his omnibus indigetis.*[44] Tribus verbis causas tantae rei conclusit ac veluti super tres bases immensam mysterii huius molem collocavit: *Scit Pater vester caelestis,* idest Deus omnipotens, infinitae sapientiae et caritatis. Effectus autem divinae providentiae sunt multiplicatio panum et piscium, saturitas hominum, cognitio Christi et alia id genus.

Divina providentia mundum sustentat.

Divina providentia columna est quae mundum sustentat, cui totus innititur mundus. Sed columna haec Hebraeis clara et lucida est, Aegyptiis autem tenebrosa. Non omnes cognoscunt aut credunt mysterium divinae providentiae, licet multis ex Gentilibus philosophis agnoverint. Seneca librum scribit *De Providentia*:[45] Tullius multis in locis eam affirmat, maxime vero libro 1 *De Inventione,* ubi, post multa, concludit quod, si melius accurantur quae consilio administrantur quam quae sine consilio, ut exercitus, respublica, familia, neque nihil autem melius quam omnis mundus administratur, ergo divino consilio regitur.[46]

Video[47] in hoc Evangelio quamdam monomachiam inter divinam providentiam et humanam prudentiam. Nam tentat Dominus hodie Philippum dicens: *Unde ememus panes?*[48] ita nanque solet humana prudentia necessaria sibi providere. Philippus autem: *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt.*[49] Ex humana prudentia respondit, non ex fide divinae providentiae. Similiter Andreas: *Est puer unus hic qui habet quinque panes, sed haec quid sunt inter*

42) Cf. Gn 28, 12-13. 43) Cf. 1, 1 sqq. 44) Mt 6, 32.
45) Titulus: *Quare bonis viris mala accidant, cum sit Providentia*, pag. 270-275.
46) Cp. 34, nn. 58-59. 47) Atramento clariori. 48) Io 6, 5. 49) Ibid. vr. 7.

tantos?[50] Magna est in mundo concertatio inter humanam prudentiam et divinam providentiam, sicut in domo Abraham inter Agar ancillam et Saram dominam; illa nanque domus et familiae totius primatum regimenque, contempta domina, usurpare et arrogare sibi volebat et subiectionem omnem detrectabat.[51]

ALIA HOMILIA [1]

Abiit Iesus trans mare Galilaeae, etc. [2]

Hodiernum miraculum quoad historiam opus est divinae providentiae,

I. Duo mihi visa sunt consideranda in hodierno Evangelio: alterum est historia, alterum vero mysterium miraculi. Magnum fuit hodiernum miraculum historia, multo maius mysterio, sicut de manna, quod Deus pluit Hebraeis,[3] Historiam legimus in Veteri Testamento, mysterium autem in Novo: *Non Moyses dedit vobis panem... sed Pater meus dat vobis panem de caelo verum; Ego sum panis vivus.*[4] Divus Paulus in hodierna Epistola ponit historiam, quod *Abraham duos filios habuit,* et mysterium, *quae sunt per allegoriam dicta; haec enim sunt duo testamenta,*[5] idest synagoga et Ecclesia. Miraculum hodierni Evangelii quoad historiam opus est divinae providentiae, quoad mysterium, mysterium mysteriorum significat, Divinissimum Eucharistiae Sacramentum. Nam hinc sumpsit occasionem Dominus ut verba faceret de Sacramento Corporis sui.

quoad mysterium significat Eucharistiae sacramentum,

cuius hic videmus formam institutionis.

Videmus hic formam institutionis. Nam accepit panes et gratias egit, elevatis sursum oculis, ac *benedixit et fregit deditque discipulis suis.*[6] Haec enim omnia egit Dominus cum Divinum hoc Sacramentum instituit. Dedit autem Dominus verum panem et solum panem, cibum dedit, non potum. Sed iis dedit qui trans mare Galilaeae secuti eum fuerant, sicut Deus pluit manna de caelo et solum manna ad edendum, non autem aquam ad bibendum, imo cum aquam petierunt Deum tentando, peccaverunt,[7] quoniam non erat necessaria eis aqua ad bibendum, manna enim et famem et sitim simul levabat.

50) Ibid. vr. 9. 51) Cf. Gn 16, 1-4.

1) Stylo latiori exarata. 2) Io 6, 1. 3) Cf. Ex 16, 11 sqq. 4) Io 6, 32. 51. 5) Gal 4, 22. 24. 6) Mt 14, 13; Mc 6, 41. 7) Cf. Ex 17, 3-7; Nm 20, 7-13.

Pluit autem manna in deserto, transmisso mari Rubro, ubi inquit Paulus quod baptizati fuere Hebraei sub Moyse in nube et in mari.[8] Nonnisi Sacro Baptismate renatis dandum est Divinum hoc Sacramentum, sicut nonnisi circumcisus paschalem agnum poterat degustare. Sicut autem Hebraei in deserto, non in Aegypto, datum fuit manna, ita in deserto Dominus dat hodie hunc panem. Non enim omnibus dandum est Divinum hoc Sacramentum, sed tantum fidelibus, qui Christi causa mundum ex animo contemnunt, veris sequacibus et imitatoribus Christi, qui sedent supra foenum, qui carnem calcant, nam: *Omnis caro foenum;*[9] *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis;*[10] *Si spiritus facta carnis mortificaveritis, vivetis.*[11]

Nonnisi baptizatis danda est Eucharistia;

Datur autem hic panis turbis fidelibus a Christo, sed per Apostolos. Non enim datur Corpus Christi fidelibus, nisi sacerdotum ministerio, nam Apostolis Christus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.*[12]

datur autem sacerdotum ministerio.

II. Datur autem a Christo verus panis et solus cum piscibus panis, solus cibus, non potus; verus panis, quoniam ait: *Caro mea vere est cibus.*[13] Ubi nunc est Calvinus, qui verum Christi Corpus negat? Qui verbum *est* in Christi sententia interpretatur significat: *Hoc est corpus meum,*[14] idest significat corpus meum? Ubinam legit Calvinus *est* pro significat? Quod verbum sum, es, est, idem valeat ac significo, significas, ut:[15] *Petra erat Christus,*[16] *semen est verbum Dei,*[17] *ager est mundus.*[18] Bene, sed quis adeo caecus est ut non videat illas figuratas esse locutiones? Cum in mappamundi descriptionem et cosmographiam contemplamur, dicimus: haec est Asia, haec Africa, haec Europa, haec America, hoc mare Oceanum, hoc Ionicum, hoc Thyrrenum, idest haec est imago, descriptio, figura. Similiter cum in domo magnatis alicuius videmus multas principum et illustrium virorum imagines naturales, dicimus: hic est Caesar, hic Carolus

Haeretica interpretatio Calvini refutatur.

8) Cf. 1 Cor 10, 2. 9) Is 40, 6. 10) Gal 5, 24. 11) Rom 8, 13. 12) Lc 22, 19; 1 Cor 11, 24. 13) Io 6, 56. 14) Mt 26, 26; Mc 14, 22; Lc 22, 19; 1 Cor 11, 24. 15) Ms.: *O*, loco: *Ut*. 16) 1 Cor 10, 4. 17) Lc 8, 11. 18) Mt 13, 38. De hac interpretatione Calvini cf. S. Bellarminus *Controversiae*, t. 3, *De Sacramento Eucharistiae*, lib. 1, cp. 10, col. 379.

Christus in Eucharistia dat nobis verum Corpus suum.

Magnus, hic Carolus Quintus. In huiuscemodi locutionibus, quoniam de imaginibus et figuris agitur, revera verbum e s t sensum habet significandi. Sed ubi de naturalibus verisque rebus agitur, ubinam invenietur hunc sensum habere? Dedit Dominus hodie verum panem non fictitium, ita ait: *Caro mea vere est cibus,* non figurate, non ficte, sed *vere est cibus; Pater meus dat vobis panem de caelo verum; Qui manducat hunc panem vivet in aeternum.* [19] Sicut Deus verum manna pluit Hebraeis in deserto, ita verum dat nobis panem Corporis Christi.

et praesens est sub utraque specie.

Cum autem Dominus verum panem dederit in hoc convivio mirabili, dedit solum cibum, non autem potum, sicut Hebraeis manna pluit de caelo ad comedendum, non autem potum ad bibendum. Ubi sunt haeretici, qui Communionem sub utraque specie omnino requirunt? Ait quidem Dominus: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* [20] Sed ibi non agit de speciebus Sacramenti huius, cum illud nondum instituisset; licet revera ibi Dominus de Sacramento loquatur, non tamen praecipit ut sub utraque specie ab omnibus sumatur, nam sub utraque specie et caro et sanguis est, cum sit ibi totus Christus. P a u l u s ad *Corinthios* scribens de mysterio Divinissimi huius Sacramenti, dictionem hanc copulativam facit disiunctivam: *Quicumque manducaverit panem vel biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis et Sanguinis Domini; iudicium sibi manducat et bibit non diiudicans Corpus Domini,* [21] licet in multis latinis exemplaribus sit: *Qui manducat et bibit,* graece tamen est: *Qui manducat vel bibit.* Deinde ait: *Manducat et bibit, non diiudicans Corpus Domini,* ac si Corpus Domini manducetur ac bibatur.

Communio sub utraque specie non est omnino necessaria.

III. Quod [22] non sit utraque species omnino necessaria cunctis ad percipiendum, patet ex multis figuris divinissimi huius mysterii. Nam lignum vitae huius figura fuit, [23] convivium ab Abrahamo Angelis paratum, [24] pascalis agnus, [25] manna in deserto, panes propositionis, [26] caro sacrificiorum, quae sine sanguine manducabatur, nec

19) Io 6, 59. 20) Ibid. vr. 54. 21) 1 Cor 11, 27. 29. Cf. S. Bellarminus l. cit., lib. 4. cp. 20, col. 658-659. 22) Quae sequuntur alio stylo strictiori exarata sunt. 23) Cf. Gn 2, 9. 24) Cf. ibid. 18, 1-5. 25) Cf. Ex 12, 3-10. 26) Cf. ibid. 25, 30.

tamen sine sanguine offerebatur,[27] panis ab Angelo Eliae allatus, in cuius virtute ambulavit usque ad montem Dei Horeb.[28] In his enim omnibus nulla potus fit mentio.

Deinde nullum extat divinum praeceptum ad communicandum sub utraque specie, nam quod ait: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem,* etc., loquitur ibi Christus de veritate Sacramenti, quod corpus et sanguinem continet, non de speciebus Sacramenti; non enim ait: Nisi sumpseritis sub utraque specie. Dixit Christus: *Bibite ex hoc omnes,*[29] sed Marcus ait: *Biberunt ex eo omnes,*[30] scilicet Apostoli qui cum eo coenabant; alioquin quid significat illud *omnes?* omnes homines? etiam infideles? omnes fideles? etiam publicani magnique peccatores? etiam infantes? fideles adulti etiam abstemii, qui vinum nullo modo ferre, et pauperes, qui habere non possunt? Bibunt omnes Apostoli, omnes sacerdotes, qui Apostolis succedunt in sacerdotii dignitate.

nec de ea nullum extat divinum praeceptum;

Appellatur convivium in Sacris Litteris. Non est autem convivium sine cibo et potu. Sed Christus in suo convivio hodie cibum tantum dedit, non potum. In spiritualibus idem est cibus et potus, sic in *Proverbiis* Sapientia: *Comedite panem et bibite vinum, quod miscui vobis;*[31] sic sponsa in *Canticis*: *Comedi favum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo. Comedite, amici, bibite et inebriamini;*[32] sic: *Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam.*[33]

in spiritualibus idem est cibus et potus.

Fuit institutum a Christo sub utraque specie. Novimus. Sed etiam natura humana condita fuit a Deo in utroque sexu. Num masculus non est verus homo absque femina? Aliud est instituisse, aliud praecepisse. Nam instituit matrimonium, instituit sacerdotium, non tamen praecepit. Creavit in cibum hominum et fructus terrae et carnes animalium, non tamen praecepit. Si reperiretur cibus qui etiam sitim levaret, sicut fuit manna Hebraeis in deserto, sicut est uva iam bene matura, non esset necessarius potus. Ita hic. Et quidem cum Dominus divinum hoc Sacramentum instituit, non simul sub utraque specie, sed in coena instituit sub specie panis: *Coenantibus autem eis, accepit panem;*[34] sub specie autem vini post coe-

Eucharistia instituta fuit non simul sub utraque specie.

27) Cf. Lv 1, 2 sqq.; 3, 1 sqq. 28) Cf. 3 Rg 19, 3-8. 29) Mt 26, 27. 30) 14, 23. Vulg.: *Ex illo.* 31) 9, 5. 32) 5, 1. 33) Mt 5, 6. 34) Ibid. 26, 26.

nam: *Similiter et calicem postquam coenavit dicens.* [35] Et cum panem dedit ait: *Hoc facite in meam commemorationem,* sicut apud Matthaeum, Marcum, Lucam et Paulum legitur. De calice autem solum apud Paulum legitur: *Hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem.* [36] Non loquitur absolute de calice sicut de pane, sed: *Quotiescumque bibetis,* idest cum bibere ex eo volueritis. Nam si necessarius fuisset potus, dicendum erat: Accipite et bibite quotiescumque manducaveritis. At non ita dicit, liberum relinquit: *Quotiescumque bibetis.*

sed utraque species necessaria est quatenus sacrificium;

In hoc mysterio utraque species necessaria est quatenus sacrificium est, praefiguratum in sacrificio Melchisedech; [37] non autem quatenus Sacramentum est, nam quatenus Sacramentum nil minus gratiae confert sub una tantum quam sub utraque. Sicut enim ait: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis,* et: *Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus; qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet et ego in eo,* [38] ipse etiam ait: *Qui manducat hunc panem vivet in aeternum,* et: *Qui manducat me, vivet propter me;* [39] itemque: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita,* [40] nec non: *Ego sum panis vivus qui de caelo descendi,* [41] alludens ad mysterium mannae.

sumendo autem Corpus vivum Christi, sumitur et Sanguis.

Loquitur autem Christus de carne et sanguine, quoniam cum in hoc Sacramento sit verum Christi corpus: *Hoc est corpus meum,* est quidem corpus, non mortuum, quale positum fuit in sepulcro, sed vivum, quale resurrexit, nam Christus *resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur;* [42] corpus autem vivum non potest esse sine sanguine. Sumitur in hoc Sacramento vivum Christi corpus; at vero corpus vivum carne constat et sanguine. Sic sub utraque specie caro et sanguis est.

IV. In mysterio hodierni Evangelii ostenditur auctor Divinissimi huius Sacramenti, Christus ipse; ostenduntur ministri, sancti Apostoli; ostenditur finis, ad conservandam vitam spiritualem vi-

35) Lc 22, 20. 36) 1 Cor 11, 24. 37) Cf. Gn 14, 18-20. 38) Io 6, 56-57. 39) Ibid. vrr. 58-59. Affert ordine inverso. 40) Ibid. vr. 52. 41) Ibid. vr. 51. 42) Rom 6, 9.

resque spiritui praebendas; ostenditur ritus modusque consecrationis, nam accepit panem et elevatis in caelum oculis, *suspexit in caelum*, inquit L u c a s 9, *et benedixit ac fregit distribuitque discipulis suis;*[43] ostenditur apparatus necessarius, nam, transmisso mari,[44] sicut etiam post transitum maris Rubri dedit Deus manna,[45] in mysterium Baptismi, ut P a u l u s ait; opus esset baptismali innocentia ad percipiendum divinum hoc Sacramentum. Hinc Christus lotis Apostolorum pedibus, ut omnino mundi essent, Sacramentum instituit, ut I o a n n e s indicat.[46] Hinc P a u l u s ait: *Probet autem seipsum homo et sic de pane illo edat. Qui enim manducat*, etc.[47] Ostenditur etiam fructus, nam, hoc mirabili pane gustato, Christum cognoverunt dicentes: *Quoniam hic est vere propheta qui venturus est in mundum;*[48] graece est: *Ille propheta qui venturus est*, hoc est verus Messias. Alludunt enim ad oraculum illud: *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis suscitabit tibi Dominus similem mei.*[49] Sic, agnito Christo, voluerunt eum rapere *ut facerent eum regem.*[50] Sicut discipuli cognoverunt Dominum in fractione panis,[51] sic, inquam, hodie, gustato hoc pane mirabili, turbae cognoverunt Christum magis quam Dei verbo audito. Nam, ut ex aliis E v a n g e l i s t i s constat, praedicavit prius Christus et infirmos, qui in turba erant, curavit et postea divinum hoc miraculum edidit. Sic discipuli illi non cognoverunt Christum dum loqueretur et aperiret illis Scripturas, sed in fractione panis. Sic ait: *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus.*[51a]

Ostenduntur huius Sacramenti auctor, ministri, finis, ritus et modus consecrationis, dispositiones et fructus;

Tandem ostenditur quod sub una tantum specie panis potest vitam dare fidelibus et saturitatem. Neque enim turbae potum expetivere a Christo, sed solo hoc cibo fami sitique satisfactum est. Sic multitudini fidelium sufficit abunde divinum hoc Sacramentum sub altera tantum specie, nempe panis, per manus Apostolorum datus. Quod apud M a t t h a e u m legimus: *Bibite ex hoc omnes*, apud L u c a m legitur: *Accipite et dividite inter vos*,[52] quod quidem non dixit de corpore, non eo animo, ut novatores autumant, quod sanguinem potius quam corpus commendare vellet, sed quia

ostenditur etiam quod sub una tantum specie panis vitam dare potest fidelibus.

43) Vr. 16. Vulg.: *Respexit ... et distribuit.* 44) Cf. Io 6, 1. 45) Cf. Ex 16, 11 sqq. 46) Cf. 13, 1-5. 47) 1 Cor 11, 28-29. 48) Io 6, 14. 49) Dt 18, 15. Vulg.: *Sicut me suscitabit tibi Dominus.* 50) Io 6, 15. 51) Cf. Lc 24, 35. 51a) Ps 33, 9. 52) 22, 17.

corpus quidem singulis singillatim porrexit, nam *accepit panem et fregit;*[53] calicem vero non ita, neque enim singulis singillatim suum dedit calicem, sed unum tantum calicem uni dedit, qui sibi proximus erat, non quidem ut totum exhauriret, sed ut potione haustu accepta, sequenti proximo daret, ille vero succedenti et sic deinceps. Hoc igitur est: *Bibite ex hoc omnes*, hoc: *Accipite et dividite inter vos*, hoc quod Marcus habet: *Biberunt ex eo omnes.*

De Communione sub utraque specie nullum extat documentum,

V. Si Communio sub utraque specie esset omnino necessaria, profecto haec necessitas provenisset vel ex divino mandato, vel ex Christi facto, qui Apostolos sub utraque specie communicavit, vel ex institutione qua sub utraque specie instituit, vel tandem ex usu Apostolicae Ecclesiae, quae Christi mentem et animum optime novit intellexitque ex Christi mente necessarium esse sub utraque specie communicare. Sed non sequitur ex Christi praecepto, quod nullum est. Nam Ioannis 6: *Nisi manducaveritis*, etc., loquitur Dominus de re Sacramenti, non de speciebus; res autem Sacramenti est vivum Christi corpus, quod carne et sanguine constat. Nam prius Christus de pane tantum et carne sua locutus fuerat: *Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita; Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?*[54] *Nisi manducaveritis*, etc., idest nisi integrum vivumque corpus meum sumpseritis, nam vivus homo in Divinis Litteris caro et sanguis appellatur: *Caro et sanguis non revelavit tibi.*[55]

neque deduci potest ex Christi facto

Non ex Christi facto, nam non omne Christi factum praeceptum est, alioquin oporteret nonnisi coenatos et paschali agno refertos cum antiquae legis ceremoniis[56] et pedes ablutos et nocte divinum hoc Sacramentum sumere. Et quoniam Christus nonnisi Apostolos communicavit, non septuaginta duos discipulos, non alios credentes, Episcopi tantum, qui sunt Apostolorum successores, non autem sacerdotes ceterique fideles possent divinissimi huius Sacramenti participes esse.

Non ex ipsa Christi institutione, nam divinum hoc mysterium instituit et ut Sacramentum et ut sacrificium. Apostolos enim tunc

53) Mt 26, 26; 1 Cor 11, 23-24.
54) Io 6, 53.
55) Mt 16, 17.
56) Cf. Ex 12, 3-11.

vel ex ipsa Christi institutione.

sacerdotes instituit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*, hoc, scilicet, quod ego feci. Habet autem Lucas 22: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur;*[57] Paulus *1 Corinthiis* 11: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur;*[58] Matthaeus 26: *Hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur;*[59] Lucas 22: *In sanguine meo, qui pro vobis effunditur,*[60] idest libatur, offertur Deo. Fuit enim tunc Christus *sacerdos secundum ordinem Melchisedech,*[61] obtulit sub speciebus panis et vini Deo Patri corpus et sanguinem suum; sic ait: *Hoc facite in meam commemorationem.* Facere autem in Sacris Litteris saepe idem est ac sacrificare, *Levitici* 9[62] et 15,[63] *Numerorum* 6,[64] *3 Regum* 8[65] et 18,[66] Ezechielis 46,[67] Oseae 2[68] et alibi.

Quatenus autem sacrificium est, quotidie sub utraque specie offertur Deo. Aiunt testamentum Christi esse. Esto, sed testamentum relictum Ecclesiae, nec tamen omnes filii ex aequo participant hereditatem patris. Secundum legem primogeniti habebant duplicem portionem;[69] levitae accepti fuerunt a Deo loco primogenitorum.[70] Levitis in Veteri Testamento succedunt sacerdotes ministri altaris in Novo. Hi sunt filii primogeniti, his datur ius hereditatis, duplex portio; neque enim Christus omnes voluit in Ecclesia pares esse in participatione divinorum, sicut etiam in missione Spiritus Sancti patuit.[71]

neque ex usu Apostolicae Ecclesiae.

Neque tandem ex usu Apostolicae Ecclesiae, nam oporteret singulis diebus communicare et habere omnia communia ex usu Apostolicae Ecclesiae. Fuit quidem talis usus, sed ex devotione, non ex praecepto, non necessarius. Hinc Paulus *1 Corinthiis* 10[72] et 11[73] ostendit etiam usum sub altera specie, propterea non fuit perpetuus. Nam Ignatius in Epistola ad *Ephesios* solius panis meminit;[74] Cyprianus *De Lapsis* docet Communionem et sub utraque et sub altera tantum sumi solitam;[75] Ambrosius in *Oratione Satyri Fratris* speciei tantum panis meminit.[76]

57) 22, 19. 58) Vr. 24. *Frangitur* legitur in codicibus, cf. *Biblia Lovaniensis*. Vulg.: *Tradetur.* 59) Vr. 28. Vulg.: *Pro multis effundetur.* 60) Vr. 20. Vulg.: *Fundetur.* 61) Hebr 6, 20; 7, 15-17. 62) Cf. vr. 6. 63) Cf. vrr. 15-30. 64) Cf. vrr. 11. 16. 65) Cf. vr. 64. 66) Cf. vrr. 23. 25. 67) Cf. vr. 15. 68) Cf. vr. 8. 69) Cf. Dt 15, 17. 70) Cf. Nm 3, 11-13. 45 sqq. 71) Cf. Act 2, 1-4. 72) Cf. vrr. 16-17. 73) Cf. vr. 27. 74) P. G. 5, 650. 662. 75) P. L. 4, 466. 479. 484-486. 76) Lib. 1, ibid. 16, 1304-1306.

Insuper Christus tantumdem tribuit uni speciei quantum utrique.

I o a n n i s 6 Dominus ostendit divinum hunc cibum vim habere cum ad famem tum etiam ad sitim levandam, ait nanque: *Ego sum panis vitae: qui venit ad me non esuriet et qui credit in me non sitiet in aeternum.*[77] Sicut autem reperitur medicina, ut puta casia medicinalis, quae et per modum cibi et per modum potus sumi potest, quocumque autem modo sumatur vim habet purgandi corpus, expellendi noxios humores, conferendi sanitatem, quia virtus non consistit in modo sumendi, sed in ipsa substantia medicinae, ita plane in hoc Sacramento accidit; virtus enim conferendi gratiam et vitam non consistit in speciebus, sed in eo quod sub speciebus continetur. Propterea ibi Dominus tantumdem tribuit uni tantum speciei quantum utrique: *Qui manducat me, vivet propter me; Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum;* virtus enim est in substantia Sacramenti, non autem in specie ipsius.

Appendix.

Ostenditur[78] nobis hodie Christus tanquam bonus pastor, ut ait D i v u s M a t t h a e u s, quod vidit turbas *sicut oves non habentes pastorem;*[79] imo sicut piissimus pater summusque benefactor, ostenditurque quibus benefaciat, quae beneficia praestet, quomodo praestet et quae pro acceptis beneficiis gratiae habendae, agendae ac referendae ei sint. Nam dicebant: *Hic est vere propheta, qui venturus est,* et voluerunt facere eum regem, eique tanquam optimo principi perpetuo servire.

77) Vr. 35. Vulg.: *Non sitiet unquam.* 78) Stylo latiori. 79) 9, 36.

FERIA SECUNDA INFRA HEBDOMADAM QUARTAM QUADRAGESIMAE

Invenit in templo vendentes oves et boves et columbas et nummularios sedentes, etc. [1]

I. Videmus hodie Christum iratum et ex divini honoris zelo indignatione commotum, nam ait: *Zelus domus tuae comedit me.* [2] Causa autem irae huius et indignationis est, quia domus Dei facta erat domus negotiationis, templum idolorum, nam avaritia *est idolorum servitus.* Olim arca Dei posita fuit in templo Dagon idoli Philisthaeorum, [3] nunc idolum Philisthaeorum positum erat in templo Domini. Sicut autem arca Dei idolum illud deiecit atque truncavit, [4] ita hodie Christus, etc.

Videmus hodie Christum iratum ex divini honoris zelo.

II. Omnia vitia odit Dominus, maxime autem omnium avaritiam, nam haec videtur esse vitiorum metropolis ac veluti templum Pantheon apud Romanos, in quo omnia idola colebantur. [5] Haec fons est et origo omnium vitiorum, hinc Paulus ait: *Radix enim omnium malorum est cupiditas;* haec venenum est fidei: *Quam quidam appetentes,* etc. [6] Avaritia aemula est deitatis, sicut in domo Abrahae Agar cum domina sua Sara competere volebat, hinc domo eiecta fuit. [7] Hoc Christus hodie praestitit. Venit Christus in hunc mundum armatus contra omnia vitia, sed singulariter contra avaritiam. Ad hanc impugnandam et expugnandam nervos omnes intendit, con-

Super omnia vitia Dominus avaritiam odit,

1) Pericope huius diei Io 2, 13 sqq. Cf. Missale Rom. 2) Io 2, 17. Ex Ps 68, 10. 3) Eph 5, 5. 4) Cf. 1 Rg 5, 2-5. 5) Templum Romae Iovi Ultori extructum a M. Agrippa, Augusti genero, sic dictum vel quod praeter signum princeps Iovis haberet etiam aliorum deorum sigilla. Cf. Forcellini *Lexicon Totius Latinitatis, Onomasticon,* sub hac voce. 6) 1 Tim 6, 10. 7) Cf. Gn 16, 1-6; 21, 9-10.

tra hanc pugnavit exemplis vitae, praeceptis doctrinae, verbis et factis insectatus fuit.

quin avaritia contra divinam religionem pugnat

Pugnat avaritia contra divinam Religionem, sicut in domo Elcanae Phenenna contra Annam pientissimam feminam, quoniam haec sterilis, illa fecundissima videbatur.[8] Quoniam maiora bona conferre videtur hominibus mundi huius pecunia quam Deus, hinc mundani, contempto Deo, pecuniae cultui sunt addicti.

et Dei providentiam

Avaritia abnegatrix et contemptrix est divinae providentiae, pecuniam constituit rerum dominam et reginam, deam mundi huius: *Pecuniae obediunt omnia.*[9]

omnesque virtutes, maxime fidem, spem et caritatem.

Avaritia venenum, perditio et mors est omnium virtutum, maxime autem caritatis, spei, etiam fidei. Avaritia bestia quaedam est crudelissima, lupa voracissima, fames canina, inexplebilis sitis hydropici, inextinguibilis ignis in infinitum crescens, vas sine fundo, quod impleri non potest. Contingit in avaritia quod olim accidit: dedit Deus Hebraeis serpentem aeneum ut sanarentur a morsibus ignitorum serpentium;[10] illi autem, salutis beneficio accepto, serpentem illum contra Deum adorare ac divinis honoribus colere statuerunt, non in Deum, sed in serpentem illum acceptum beneficium referentes; cuius rei causa Ezechias, rex pientissimus, serpentem illum confregit et in torrentem Cedron proiecit.[11] Ita plane, cum inopia et egestas victusque et amictus necessitas morsus sint antiqui illius serpentis, providit Deus pecuniam auri et argenti ad sublevandas necessitates vitae huius miserabilis. Haec Dei munera, dona, beneficia sunt. Nunc mundus pecuniam adorat, sicut Hebraei idolum aureum in deserto,[12] sicut Babylonii statuam auream regis Nabuchodonosor.[13]

Avaritiae causa multi Deum contemnunt

III. *Invenit in templo vendentes,* sicut Ezechiel ab Angelo ductus in templum reperit ibi viros, qui ad ortum solis adorabant, habentes dorsa contra templum Domini et facies ad orientem.[14] Sol autem a poetis planeta aureus appellatus est. In mundo hoc nil est splendidius auro; huius causa multi Deum contemnunt; sic Hebraei in deserto, aversi a vero Deo, vitulum aureum adoravere. Erant hi

8) Cf. 1 Rg 1, 1-7. 9) Eccle 10, 19. 10) Cf. Nm 21, 6-9. 11) Cf. 4 Rg 18, 4.
12) Cf. Ex 32, 1-6. 13) Cf. Dn 3, 1-7. 14) Cf. 8, 16.

sicut Philisthaei, qui arcam Domini collocaverunt in templo et altari Dagon, eumdem honoris locum Deo vero et idolo tribuentes; erant sicut Israelitae, qui simul Deum et Baal colere volebant, quibus Elias dixit: *Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus* ipse *est Deus, sequimini eum, et si Baal, sequimini illum;* [15] sicut Samaritani, qui simul et Deum Israel et idola Gentium colebant. [16]

et temporalium providentiam Deo adimunt ac pecuniae tribuunt;

Quodnam peccatum reperit hodie Christus in templo, quod eum ad talem tantamque indignationem commovit? Utique peccatum idololatriae, nam avaritia *est idolorum servitus;* mammonae serviebant, non Deo vivo et vero. Per Oseam ait: *Argentum multiplicavi ei et aurum, quae fecerunt Baal,* [17] idest ex argento et auro meo constituerunt sibi idola. *Nemo potest duobus dominis servire; non potestis Deo servire et mammonae.* [18] Contemnebant Deum et sequebantur pecuniam, quasi haec quidem possit providere hominibus quae vitae huic necessaria et iucunda sint, [19] Deus autem minime, quasi Deus spiritualium quidem rerum providentiam habeat, non autem temporalium, sicut de eo Syrii dixerunt *3 Regum* 20, quod Deus est montium, non autem campestrium, ideo cum ab Israelitis superati fuissent in montibus, iterum pugnare contra eos voluerunt, sed in vallibus. [20] Ita mundani adimere videntur Deo temporalium rerum providentiam eamque pecuniae tribuere. Hac de causa saepe Deus flagellis nos caedit irae suae.

propterea avaritia Deo maxime odibilis est,

nobis autem nec utilis nec iucunda.

Fugienda est avaritia, quoniam Deo supra modum odibilis est, nobis autem nec utilis nec iucunda. Haec enim hydrops est animi, sitis inextinguibilis, fames inexplebilis, ignis qui *nunquam dicit: sufficit;* [20a] calor quidam est et ardor praeter naturam, viscera nostra discrucians, ita ut nec multus cibus, nec multus potus famem aut sitim vel modicum levet, sed auget potius. Quare qui tale quid pateretur, medico opus haberet, et, ut Plutarchus ait, is non repletione eget, sed purgatione. [21]

Avarus similis est Davidi seni frigidissimo, qui [cum] multis vestibus superindueretur, non calefiebat, quare alio remedio opus fuit. [22] Sic avarus vehementi frigore constringitur, non extrinsecus a

15) 3 Rg 18, 21. Vulg.: *Si autem Baal*, etc. 16) Cf. 4 Rg 17, 1 sqq. 17) 2, 8. 18) Mt 6, 24. 19) Ms.: *Sit*. 20) Cf. vrr. 19-25. 20a) Prv 30, 16. 21) Cf. lib. *De tuenda sanitate*, pag. 74-80. 22) Cf. 3 Rg 1, 1-2.

circumfuso aere proveniente, sed intrinsecus a latente morbo et virtutis defectu. Ezechiel ductus ab Angelo reperit in templo Domini viros adorantes idola domus Israel, imagines et picturas, quibus seniores domus Israel, viri septuaginta, adolebant incensa dicentes in abscondito cubilis sui: *Non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram.*[23] Unde Vati Dominus ait: *Iniquitas domus* huius *Israel... magna est nimis valde... dixerunt enim*: *dereliquit Dominus terram et Dominus non videt.*[24] Bona mundi huius non sunt vera bona, ut etiam Stoici sensere, sed imagines, picturae, umbrae bonorum. Vota tamen hominum ad haec quam maxime feruntur; horum causa, sicut insipiens dixit *in corde suo*, idest intra se: *non est Deus,*[25] ita multi et, quod peius est, seniores domus Israel, in secreto cubilis sui dicunt: *Non videt Dominus, dereliquit Dominus terram,* idest mundana non curat, nam si divinam providentiam vere crederent, facerent utique quod Dominus iussit: *Primum quaerite regnum Dei et iustitiam eius,* etc.[26]

Avaritia domum orationis vertit in domum negotiationis.

IV. *Ascendit Iesus Ierosolymam et invenit in templo vendentes,* etc.[27] Templum hoc sacrosanctum in hodierno Evangelio dicitur tantum domus Dei: *Nolite facere domum Patris mei,* etc.;[28] *Zelus domus tuae comedit me;* dicitur etiam imago corporis Christi: *Solvite templum hoc; dicebat de templo corporis sui.*[29] Sed Iudaei illud verterant in domum negotiationis, imo in *speluncam latronum.*[30] Domum orationis converterant in *domum negotiationis.* Sed quidnam est oratio, nisi supra modum utilis cum Deo negotiatio? Est autem pietas, inquit Paulus, *magnus quaestus cum sufficientia,*[31] nam pietas ad omnia valet, *promissionem habens eius quae nunc est vitae et futurae.*[32] Sed quid est pietas cum sufficientia? Cum animo, qui sua sorte contentus est, sicut *ad Philippenses* 4 ipse ait: Scio in his, *in quibus sum, sufficiens esse,*[33] idest mea sorte semper contentus sum; sicut alibi etiam dicit: *Scio abundare,* scio *et penuriam pati.*[34] Cum Deus patriarchae Iacob ostendit futuri templi imaginem in scala caelesti, quod hieroglyphicum ipse interpretatus fuit: Hic domus Dei

23) 8, 12. 24) Ibid. 9, 9. 25) Ps 13, 1; 52, 1. 26) Mt. 6, 33. Vulg.: *Quaerite primum.* etc. 27) Io 2, 13-14. 28) Ibid. vr. 16. 29) Ibid. vrr. 19, 21. 30) Mt 21, 13; Mc 11, 17; Lc 19, 46. 31) 1 Tim 6, 6. 32) Ibid. 4, 8. 33) Vr. 11. Ms.: *Ad Ephesios.* 34) Ibid. vr. 12.

est et porta caeli, negotiatus fuit Iacob cum ipso Deo: *Si dederit mihi* Dominus *panem ad vescendum et vestimentum quo operiar, erit mihi Dominus in Deum et lapis iste vocabitur domus Dei.* [35]

hominem indignum reddit facie Dei,

Erant hi, quos de templo Dominus eiecit, sicut Hebraei qui in deserto verum Deum commutarant in aureum vitulum, cui omnia beneficia accepta ferebant: *Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt,* etc. [36] O ferreas hominum mentes! o pectora caeca! Indigni erant praesentia Domini. Avaritia hominem reddit indignum facie Dei, domo Dei: *Filii regni eiicientur in tenebras exteriores.* [37]

causa extitit perditionis synagogae,

Hodie synagoga a Christo deprehensa est in adulterio, ideo datus est ei libellus repudii, domo eiecta est *generatio mala et adultera,* [38] nam adulterae uxoris proprium est externis quidem officiis et verbis amorem erga virum simulare, vere autem adulterum diligere; illum ficto, hunc vero amore prosequitur; illi dat verba, huic animum et cor; illi fallax obsequium, huic amore plenum. Sic erat synagogae erga Deum cultus simulatus et fictus, erga pecuniam vero solidus et verus. Hinc Regius Vates: *Dilexerunt eum in ore suo,* hebraice: *lactaverunt, et lingua sua mentiti sunt ei; cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento eius.* [39] Lactandi autem verbo dulcissima et blandissima nomina Dei, quae in ore habebant, designavit, Deum Dominum salvatorem appellantes, vere tamen in pecunia amorem, spem, felicitatem suam reposuerant.

causa est irae divinae

Avaritia saepe in causa est irae Dei. Hinc Amos 9 legimus: *Percute cardinem et movebuntur superliminaria, avaritia enim in capite omnium.* [40] Quibus verbis minatur excidium civitatis propter pecuniae studium. Avaro accidit sicut Absalomo impio, qui suspensus capillis suis remansit in quercu, mulus autem cui insidebat pertransiit.[41] In morte possessio avari pertransit ad posteros, ad heredes, sed culpa avaritiae manet damnationis causa. Similis fuit Iudae interitus. [42]

Avaritia est sanguisuga, cuius filiae, cupiditas et necessitas, clamant semper: *Affer, affer; ignis* est qui *nunquam dicit: sufficit.* [43]

35) Gn 28, 17. 20. 22. Vulg. *Ad induendum,* etc. Affert ordine inverso. 36) Ex 32, 4.
37) Mt 8, 12. 38) Ibid. 12, 39; 16, 4. 39) Ps 77, 36-37. 40) Vr. 1.
41) Cf. 2 Rg 18, 9. 42) Cf. Mt 27, 3-5; Act 1, 18. 43) Prv 30, 15-16.

et molestissimas curas gignit.

Avaritia pulvis Aegypti est, ex qua cinifes innumeri geniti fuere, Aegyptios diu noctuque molestissime pungentes.[44] Sic avaritia multas gignit molestissimas curas ac sollicitudines noxias, unde divitiae a Domino spinae appellatae fuere.[45]

Odit Dominus marcaturam iniustam et iniquam,

V. *Invenit in templo vendentes et ementes. Et cum fecisset quasi flagellum,* etc.[46] Odisse videtur Dominus mercaturam, et proculdubio iniustam odit tanquam latrocinium: *Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum.*[47] Eam etiam quae, etsi non contra iustitiam, tamen contra caritatem ex avaritia et cupiditate cum contemptu religionis et pietatis exercetur, similiter odit, quoniam perniciosa hominibus est propter avaritiam, quae *est idolorum servitus,* et propter cupiditatem, quae *radix est omnium malorum.* Politicam vero et civilem mercaturam, quae iuste fit et animo iuvandi reipublicae, non odit Dominus, nam necessaria et utilis est reipublicae, sicut militia, sicut artes et disciplinae. Sed haec quoque displicet, si spirituali mercaturae praeferatur. Sicut enim homo corpus habet et animam, ita est tum corporalis tum spiritualis mercatura. Nam Deus in Sacris Litteris mercator appellatur: *Omnes sitientes venite ad aquas et qui non habetis argentum... venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac. Quare appenditis argentum non in panibus?*[48] In *Apocalypsi* etiam legimus: *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias et vestimentis albis induaris.*[49] Christus ad hoc venit in mundum, ut mercator esset: *Simile est regnum caelorum homini negotiatori quaerenti bonas margaritas;*[50] *Empti estis pretio magno;*[51] *Qui emit eos Dominum negant,* ait Petrus.[52] Cum igitur corporalis mercatura spirituali praefertur, displicet Domino, sicut ille qui invitatus ad nuptias ire renuit, quia villam emerat, et alter similiter, quia iuga boum emerat quinque:[53] *Sed,* ait, *qui invitati sunt, non fuerunt digni.*[54]

eam etiam quae spiritui nocet.

VI. Magnus mercator Deus, eius autem apotheca, sive taberna, templum est, plena omni mercium genere, quidquid desiderari potest,

44) Cf. Ex 8, 16-18. 45) Cf. Lc 8, 14. 46) Io 2, 15. 47) Mt 21, 13.
48) Is 55, 1-2. 49) 3, 18. 50) Mt 13, 45. 51) 1 Cor 6, 20.
52) 2 Petr 2, 1. 53) Cf. Lc 14, 18-19. 54) Mt 22, 8. Vulg.: *Invitati erant,* etc.

hic reperitur. Sed pecunia opus est probata. Non amat Dominus corporalem pecuniam, hinc hodie *nummulariorum effudit aes, mensas subvertit;*[55] odit potius, quoniam avaritiae cibus est, venenum et pestis mundi, est fomes et irritamentum malorum,[56] magna omnis iniquitatis occasio, magnum salutis impedimentum. Impossibile est divites intrare in regnum caelorum: *Facilius est camelum intrare per foramen acus, quam divitem intrare in regnum caelorum,*[57] propterea *nummulariorum effudit aes et mensas subvertit,* siquidem ait: *Quam difficile qui pecunias habent in regnum Dei intrabunt!*[58] Qua igitur pecunia utendum est in spirituali hac mercatura? Sancta oratione, acceptis Deo precibus.

Non corporalis pecunia diligenda est,

In pecunia autem, ut probata sit nec iure possit repudiari, tria requiruntur: vera materia, ne adulterinum sit aurum vel argentum; deinde forma et impressio principis: *Cuius est imago haec et superscriptio?*[59] tandem vere iustum pondus. Ita plane in oratione tria requiruntur: primo quidem ut petamus bona, ne dicatur nobis: *Nescitis quid petatis;*[60] secundo ut petamus bene, nam multi, licet bona, male tamen petunt: *Petitis et non accipitis eo quod male petatis;*[61] *Si quis indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter... postulet autem in fide nihil haesitans;*[62] tertio tandem perseverantia opus est, quam in chananaea didicimus,[63] quam etiam Dominus, adhibitis parabolis de vidua iustitiam exigente a iudice[64] et de homine petente ab amico panes necessarios,[65] manifeste docuit.

sed spiritualis, idest sancta oratio,

qua bona bene et cum perseverantia petuntur a Deo.

Invenit in templo vendentes et ementes. Est templum Domini veluti thesaurus quidam bonorum Dei, hinc legimus quod gloria Domini implevit templum Domini.[66] Gloria autem Domini quid est, nisi thesaurus omnium bonorum Dei? *Plenitudo universae terrae gloria eius.*[67] Hinc dicitur d o m u s D e i, nam Deus infinitus thesaurus est bonorum omnium: *Ostendam tibi omne bonum,* dixit Deus Moysi,[68] cum petiit ille videre gloriam Domini. Multo ditior Deus est bonis omnibus quam sol luce.

Templum Dei thesaurus est omnium bonorum,

55) Io 2, 15. 56) Ex Ovidio *Metamor.*, lib. 1, vr. 140. 57) Mt 19, 24; Mc 10, 25; Lc 18, 25. Vulg.: *Per foramen acus transire,* etc. 58) Lc 18, 24. 59) Mt 22, 20. 60) Ibid. 20, 22; Mc 10, 38. 61) Iac 4, 3. 62) Ibid. 1, 5-6. 63) Cf. Mt 15, 22-28. 64) Cf. Lc 18, 3-5. 65) Cf. ibid. 11, 5-8. 66) Cf. 3 Rg 8, 10-11. 67) Is 6, 3. Ex hebraico. 68) Ex 33, 19. Vulg.: *Omne bonum tibi.*

uti legitur de templo Ierusalem

Voluit Dominus templum in Ierusalem aedificari, non sine mysterio. Nam Ierusalem visio pacis, idest felicitatis, interpretatur. Templum autem erat in superiori parte Ierusalem, ad indicandum quod potior pars felicitatis reperitur in templo. Ibi iussit Dominus asservari magnum illud vas mannae: *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te!* [69] *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum!* [70] *Beati qui habitant in domo tua, Domine.* [71] Non in domo mea, licet rex sim - sicut regina Saba beatos dixit servos Salomonis, regis ditissimi, fortunatissimi, sapientissimi, [72] - sed: *Beati qui habitant in domo tua, Domine,* hinc: *Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini,* [73] quia domus Dei thesaurus est omnium bonorum. Hinc per Isaiam Dominus ait: *Laetificabo eos in domo orationis meae... quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus.* [74] Domus mea, inquit, domus est consolationis, ideo *laetificabo eos,* sed *in cunctis gentibus,* quoniam Deus Pater est omnium: *Qui solem suum oriri facit... et pluit* super omnes. [75]

et de tabernaculo Moysi.

Non tantum de templo legimus quod gloria Domini replevit illud, verum etiam de tabernaculo, in calce libri *Exodi.* [76] Fuit autem tabernaculum prima domus orationis et locus Dei, quod aedificatum fuit in deserto, ubi manna pluebat de caelo. [77] Cum primum legimus domum Dei, legimus etiam consolationem, nam in Bethel Deus consolatus fuit patriarcham Iacob, promittens ei divinam benedictionem et bonorum omnium abundantiam. [78]

Mirum quod hodie Christus mitissimus adeo irascatur,

VII. *Cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo.* [79] Videmus hodie Christum, qui natura mitissimus est - sicut de Moyse legimus, quod mitissimus erat omnium virorum, [80] - sic enim de seipso ait Dominus: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde,* [81] videmus, inquam, eum iratum hodie, sicut Moysen iratum legimus contra idololatras vituli aurei adoratores. [82] Sed illa quidem magna fuit indignationis et irae causa, quoniam idololatria maximum crimen est laesae Maiestatis divinae; in hodierno autem Evangelio vix aliquam videmus iustae irae causam. Nam mercatura quidem,

69) Ps 30, 20. 70) Ps 83, 2. 71) Ibid. vr. 5. 72) Cf. 3 Rg 10, 8; 2 Par 9, 7. 73) Ps 83, 3. 74) 56, 7. 75) Mt 5, 45. 76) Cf. 40, 31-33. 77) Cf. ibid. 16, 14 sqq. 78) Cf. Gn 28, 12-15. 79) Io 2, 15. 80) Cf. Nm 12, 3. 81) Mt 11, 29. 82) Ex 19, 28.

si recte fiat, suapte natura licita et honesta est, imo reipublicae utilis et necessaria, nec erat lege prohibitum ut in atrio templi fieri non posset. Unde ergo tanta in Domini pectore excitata ira? Si Dominus de caelo daemones eiecit, si Adam et Evam de paradiso relegavit, si mundum diluvio perdidit, si Pentapolim igne devastavit, si flagellavit Aegyptum, semper legimus peccatum in causa extitisse irae Dei. Hic autem nullum legimus peccatum.

Saepe in Sacrosanctis Divinisque Paginis iram Dei legimus, non quod in Deo sit animi perturbatio, cuius causa Stoici iram a Deo removebant, cum tamen gratiam affirment, in hoc, ut Lactantius Firmianus libro *De Ira Dei* docet, ab Epicureis differentes, quod Epicurei quidem, cum providentiam rerum humanarum a Deo removerent, nec gratiam concedebant erga bonos virtutis causa nec iram erga malos; Stoici autem gratiam quidem admittebant, non autem iram.[83] Sed divina philosophia utrumque affirmat, et gratiam et iram, quoniam divinam providentiam verissime agnoscit. Quod si Deus et virtutes et vitia, et bona et mala cognoscit, cum summa sit aequitas, necesse est ut bona quidem diligat bonisque faveat, mala autem oderit malisque refragetur. Ira autem in Deo non est nisi odium peccati efficaxque voluntas puniendi illud. Sic nunquam legimus iram Dei absque iusta causa, sine praecedenti peccato.

Hodie autem iram legimus, peccatum autem minime. Nam neque mercatura suapte natura mala est, nec lege vetitum erat ne illo in loco aut tempore fieret. Sed *recordati sunt*, inquit, *discipuli eius quia scriptum erat: Zelus domus tuae comedit me.*[84] Zelus honorem respicit, honor autem ad animum nobilem spectat et gratiosum. Animus autem nobilis nulla re magis laeditur quam vilipensione et contemptu; animus enim nobilis honoris avidissimus est. Videns igitur Dominus divina Deumque ipsum in domo sua contemni pecuniae causa, non potuit non irasci.

cum nullum legatur peccatum;

Numulariorum effudit aes et mensas subvertit. Haec praecipua causa est irae et indignationis divinae, quod homo existimat pecuniam sibi utiliorem ac iucundiorem esse Dei cultu ipsoque Deo, ita ut pecuniae tribuat vitae huius commoda et utilitates, quae tamen divina sunt beneficia, sicut et ipsa pecunia suapte natura Dei crea-

sed irascitur quia pecuniae causa Deus contemnebatur.

83) Cp. 4-5, (P. L. 7, 86-90). 84) Io 2, 17. Vulg.: *Scriptum est*, etc.

tura est. Quis enim aurum et argentum creavit? Saepe tamen Deum ipsum summum benefactorem ut ingratissimi suismet beneficiis per summam iniuriam offendimus.

Praeterea ostendit hodie Dominus quales sunt homines mundi huius. Nam si bruta animalia, si porci hic quidem videant auri et argenti gemmarumque immensos thesauros, illic vero sterquilinium, immundarum quisquiliarum locum et sordium, illa omnino non aspiciunt, sed ad sterquilinium statim avidissime accurrunt; non sic autem homines iudicio et prudentia praediti. Ita plane invenit hodie Dominus in templo homines non caelestes thesauros, sed terrena mundanaque bona curantes; terrena autem mundanaque bona a Paulo stercora appellantur.[85] Hinc Dominus homines hos tanquam porcos, qui stercoribus, luto et sordibus delectantur, a domo Dei eiecit, nam domus Dei, non animalium brutorum, sed Sanctorum Angelorum locus est. Hinc legimus in *Apocalypsi*: *Foras canes,* foras immundi.[86]

Mercaturae spirituali opera danda est.

Eiicit Dominus mercatores, sed politicos, non christianos, terrena non caelestia curantes. Nam est mercatura etiam spiritualium rerum, templum autem emporium est spiritualis divinaeque mercaturae. Salomon ait *Proverbiis* 23: *Veritatem eme et sapientiam noli vendere;*[87] et alibi: *Si quaesieris* sapientiam *quasi pecuniam et quasi thesauros effoderis eam, tunc invenies timorem Domini et scientiam Dei.*[88] Nam, ut Isaias ait 33: *Divitiae salutis sapientia et scientia, timor Domini ipse est thesaurus eius.*[89] O beatos viros qui divinae huius mercaturae operam dant!

Effudit aes et mensas subvertit. Saepe Dominus ad arguendam hominum vesaniam effundit aes mensasque subvertit: male partas opes ad nihilum redigit, domos a fundamentis evertit, ita ut, sicut dici solet de bonis male acquisitis, non gaudeat tertius heres. Opes per mercaturam acquisitae facile patiuntur naufragium.[90]

85) Cf. Phil 3, 8. 86) Ibid. 22, 15. Vulg.: *Foris.* 87) Vr. 23. Vulg: *Noli vendere sapientiam.* 88) Ibid. 2, 4. Vulg.: *Tunc intelliges timorem,* etc. 89) Vr. 6. 90) Aliquae lineae albae relinquuntur.

ALIA HOMILIA [1]

I. Habemus in hodierno Evangelio historiam et, quod in ea continetur, mysterium declaratum. Historia est repurgatio templi, mysterium est: *Solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud;* declaratio est: Hoc *autem dicebat de templo corporis sui.* [2] Quoad historiam ponitur factum, causa facti, potestas faciendi et tandem finis huius facti. Factum est purgatio templi. Sicut enim sol adveniens purgat nostrum hoc hemisphaerium a tenebris, ita Christus, *Sol iustitiae,* [3] a tenebris peccatorum: *Eratis aliquando tenebrae.* [4] Eiecit a caelo Angelos et a paradiso homines peccatores, a terra promissionis Chananaeos, sic hodie a templo Iudaeos. Sicut olim divisit lucem a tenebris, [5] ita hodie inter negotia spiritualia et saecularia. Habemus hodie historiam et mysterium.

Magnam hodie excitat Christus commotionem in templo in initio praedicationis suae, ad excitandos homines a gravi somno et sopore, quo veluti lethargo oppressi et obstupefacti iacebant, sicut Deus ad dandam legem venit magno cum rumore, strepitu et commotione ad excitandos animos Hebraeorum. [6] In hoc autem facto ostendit Dominus quantopere abominetur et execretur peccatum, cum propterea etiam occasionem peccati odio habeat. Sicut enim Abraham iussu Dei eiecit a domo sua ancillam et filium eius, [7] ita hodie Christus de templo avaritiam et negotiationem saecularem. Hoc facto ostendit Dominus peccatum quantopere execretur;

Ostenditur potestas: *Quod signum ostendis, quia haec facis?* [8] sicut alibi: *In qua potestate haec facis? et quis dedit tibi hanc potestatem?* [9] *Solvite templum hoc,* etc.; ea, inquit, potestate hoc facio, qua possum meipsum mortuum suscitare, hoc est divina; Deus autem, ut absolutus rerum omnium Dominus, omnia potest. Sic ad reformandam civitatem opus est auctoritate et potestate principis; non enim cuiuslibet est iudicare, pronunciare, punire, castigare, sed ad principem spectat et eos qui a principe auctoritatem habent. Hinc reperitur signum potestatis et auctoritatis. ostendit etiam divinam potestatem suam,

Ostenditur causa, quae movit Christus ad hoc opus, nempe zelus divini honoris: *Quia,* inquit, *scriptum est*: *Zelus domus tuae come-*

1) Atramento clariori exarata. 2) Io 2, 19. 21. 3) Mal 4, 2. 4) Eph 5, 8. 5) Cf. Gn 1, 4. 6) Cf. Ex 19, 16-19. 7) Cf. Gn 21, 9-14. 8) Io 2, 18. 9) Mt 21, 23.

causam quoque qua motus fuit ad eiiciendos mercatores

dit me,[10] consumpsit me, ita ut nihil curem quaecumque in mundo sunt, sive vitam, sive famam et honorem, sive quidquid aliud, propter ardens studium divini honoris. Zelum igni comparat et naturali calori in homine, qui totum consumit corpus et carnem comedit voratque. Huius rei causa multas Christus passus persecutiones est.

et finem huius facinoris.

Finis tandem huius facinoris est: *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.*[11] Requirit a nobis Deus religionem veram et puram, sicut ait quod Deus veros adoratores quaerit, qui adorent eum in spiritu et veritate.[12] Adorabant Iudaei Deum in veritate, quia verum Deum vera fide, vera religione colebant; sed non adorabant in spiritu, in caritate, nam reperit Christus in templo non caritatem, sed pecuniae cupiditatem, quae *radix* est *omnium malorum.*[13]

Christus templum non evertit, sed purgavit.

II. Vera religio, licet spiritualis sit, sicut Deus spiritus est, non renuit tamen materialia templa, sicut Manichaei, Messaliani et alii haeretici, dicentes quod Deus non in manufactis templis habitat,[14] quod ubique est, quod caelum et terram implet, quod caelum sedes Dei est. Christus tamen non evertit hodie templum, sed purgavit, sed arguit, flagellavit profanatores; non abstulit usum templi, sed abusum.

Deus templa habere voluit ad inhabitandum,

Deus, licet infinitus sit, voluit tamen habere templa materialia, tabernaculum Moysi, templum Salomonis ad habitandum in eis: *Faciant mihi sanctuarium et habitabo in medio eorum.*[15] Nec solum ad hoc, verum etiam ad reponendam in eis arcam testamenti;[16] ad hoc enim tabernaculum Moysi, ad hoc templum, sicut David ait *1 Paralipomenon* 17[17] et 28.[18] Item ad sacrificia, hinc in utroque fuit altare holocaustorum; ad orationes, nam in utroque fuit altare incensi, in utroque orabat sacerdos pro populo, hinc ait: *Domus mea domus orationis vocabitur.*[19] Praeterea ad praedicandum verbum Dei, nam Deus Ieremiam ad praedicandum misit in templum.[20] Ecclesiae autem in Novo Testamento aedificantur cum ut locus sint particularis habitationis Dei, tum ad servandum divinissimum Sa-

ad praedicandum verbum divinum.

10) Io 2, 17. 11) Ibid. vr. 16. 12) Cf. ibid. 4, 23. 13) 1 Tim 6, 10. 14) Cf. S. Rob. Bellarminus *Controversiae Christianae Fidei, De Ecclesia Triumphante,* lib. 3, cp. 1, col. 765-767. 15) Ex 25, 8. Vulg.: *Facientque,* etc. 16) Cf. ibid. 40, 3. 17) Cf. vr. 1. 18) Cf. vr. 2. 19) Mt 21, 13; Mc 11, 17. 20) Cf. Ier 7, 1-2.

cramentum, tum ad sacra facienda Missasque celebrandas - Missa enim est Novi Testamenti sacrificium, - tum ad preces et orationes, tum verbi Dei praedicationem, tum etiam tandem in honorem Sanctorum, ad servandas Sanctorum Reliquias, ad cultum sacrarum Imaginum.

Christus ipse praesentia sua, miraculis et praedicatione templum honoravit.

Neque enim odit Deus sacras Imagines; nam templum totum plenum erat sacris cherubim imaginibus,[21] hoc est Sanctorum Angelorum, qui cum Deo ab initio fuere in caelo. Non erant ibi imagines hominum, quoniam nondum erant sancti in caelo; nunc autem cum sint cum Christo Sancti, sicut tunc Angeli cum Deo, merito tenentur Sanctorum imagines in Ecclesiis et magna cum veneratione coluntur tamquam imagines Sanctorum Dei, non ut idola falsorum deorum, ut mentiuntur haeretici. Quoniam igitur templum materiale Deo vero sacratum dedicatumque erat, honoravit illud Christus praesentatione sua, honoravit prima sua manifestatione cum duodennis erat,[22] honoravit praedicatione,[23] honoravit miraculis,[24] honoravit purgatione, quoniam particulari quodam modo ibi habitabat Deus, sicut Iacob dixit: *Vere Dominus est in loco isto, hic domus Dei* est,[25] sicut Deus Moysi dixit: *Ne accedas huc, solve calceamenta de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est.*[26]

Triplici de causa iubet Dominus templum venerari.

III. Triplici de causa iubet Dominus venerari templum; prima quoniam domus Dei est: *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis;* secunda quia imago est sacrae humanitatis Christi: Hoc *autem dixit de templo corporis sui;*[27] honoratur autem imago principis a popularibus suis; tertia quoniam locus orationis est: *Domus mea domus orationis vocabitur.*

Pietas maxime Deo placet;

Nec solum veram religionem requirit Dominus, verum etiam puram, sanctam cum a vitiis: *Vos fecistis illam speluncam latronum,*[28] tum etiam a saecularibus negotiis: *Nolite facere... domum negotiationis,*[29] ut colatur Deus in spiritu et veritate. Ea nanque vera bonaque religio est quae Deo placet, qua delectatur Deus: *Dominum*

21) Cf. 3 Rg 6, 23-35. 22) Cf. Lc 2, 22-24. 42-47. 23) Cf. Mt 21, 23 sqq.; Mc 11, 27 sqq.; 12, 35 sqq.; Lc 19, 47; 20, 1 sqq. 24) Cf. Mt 21, 14. 25) Gn 28, 16-17. 26) Ex 3, 5. Vulg.: *Ne appropies*, etc. 27) Io 2, 21. 28) Mt 21, 13; Mc 11, 17. 29) Io 2, 16.

cupiditas autem est venenum christianae pietatis in Deum.

Deum tuum adorabis et illi soli servies;[30] *Non potestis Deo servire et mammonae;*[31] *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.*[32] Ille vere pius Dei cultor est, qui Deum diligit ex toto corde suo, ex tota anima, ex omnibus viribus.[33] Sed cupiditas est venenum christianae et verae pietatis in Deum, hinc avaritia *est idolorum servitus.*[34]

In templo orandum est summa devotione,

Quoniam templum domus Dei est domusque orationis, propterea sacerdos in templum oraturus intrabat. Deus vel semper nonnisi in templo responsa dabat. Anna mater Samuelis Dominum precatura templum adiit;[35] David coram arca oravit;[36] Salomon ad hoc templum aedificavit, Deus autem promisit ei se ibi semper habitaturum mansurumque, apertis oculis et intentis auribus super omnem ibi oraturum;[37] Ezechias rex oraturus ascendit in templum Domini.[38] In Novo Testamento Apostoli, post acceptum Spiritum Sanctum, perdurabant unanimiter in templo;[39] Petrus item et Ioannes *ascendebant in templum ad horam orationis nonam.*[40] Divus Augustinus libro 2 ad *Simplicianum*, Quaestione 4, ait quod David orabat ante arcam, quia ibi erat sacratior et commendatior Dei praesentia.[41] Sic propter specialem Dei praesentiam in orationis loco, nempe in Ecclesia, summa cum reverentia orandum est, maxime ubi etiam Christus praesens est in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, nam, ut Chrysostomus ait Homilia 36 in *1 ad Corinthios*, ubi Christus in Sacramento est, ibi non deest Angelorum frequentia.[42]

ibi enim Christus est et Angelorum frequentia.

Cum[43] *fecisset quasi flagellum*, etc. Heri Dominus ostendit se nobis tanquam piissimum patrem, hodie vero severissimum iudicem; nam et Moyses talem se praestitit Iudaeis nunc ut patrem atque nutritium amantissimum, nunc autem ut iudicem rigidum ac severissimum; ut pater pavit eos manna,[44] ut iudex punivit eos propter idololatriam.[45] Talis enim debet esse princeps, ut revera sit optimus.[46]

30) Mt 4, 10; Lc 4, 8. Ex Dt 10, 20. 31) Mt 6, 24; Lc 16, 13. 32) Mt 6, 21. 33) Cf. ibid. 22, 37; Mc 12, 30; Lc 10, 27. 34) Eph 5, 5. 35) Cf. 1 Rg 1, 7-11. 36) Cf. 2 Rg 6, 17-18. 37) Cf. 3 Rg 9, 1-3; 2 Par 7, 11-16. 38) Cf. 4 Rg 19, 1. 39) Cf. Act 2, 46. 40) Ibid. 3, 1. 41) P. L. 40, 144. 42) P. G. 61, 316. 43) Stylo latiori. 44) Cf. Ex 16, 13 sqq. 45) Cf. ibid. 32, 1 sqq. 46) Quattuor paginis albis relictis, transit ad diem sequentem.

FERIA TERTIA INFRA HEBDOMADAM QUARTAM QUADRAGESIMAE

Iam die festo mediante, ascendit Iesus in templum et docebat, et mirabantur Iudaei. [1]

I. Miratur hodie synagoga sapientiam Christi, sicut olim regina Saba sapientiam Salomonis: [2] *Mirabantur Iudaei*: *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* [3] Messias futurus erat plenus supernaturali sapientia, sicut Isaias ait: *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiae et intellectus;* [4] et item: *Ut sciat reprobare malum et eligere bonum.* [5] Hinc Ioannes Christum dixit *plenum gratiae et veritatis,* [6] idest sanctitatis et sapientiae; et Paulus: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* [7] Dei, sicut in arca ambae tabulae legis. [8]

Hodie Christus ostenditur plenus supernaturali sapientia.

Tantae autem plenitudinis scientiae in Christo ab Isaia non una tantum causa assignatur, sed nunc causam assignat, quia legislator et divinus doctor futurus erat: *Docebit nos vias suas... quia de Sion exibit lex et verbum Domini de Ierusalem* [9] - propterea Moyses repletus fuit divina sapientia, - nunc quia expulsurus erat tenebras ignorantiae: *Populus qui habitabat in tenebris vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis;* [10] sic ait: *Replebitur terra scientia Domini, sicut aquae maris operientes;* [11] et alibi: *Donec egrediatur ut splendor iustus eius et salvator eius ut lampas accendatur; et videbunt gentes iustum tuum,* [12] hebraice *iustitiam tuam*, nam venit *ad dandam scientiam salutis.* [13] Hoc

Messias enim futurus erat legislator et divinus doctor

1) Pericope huius diei Io 7, 14-31. Cf. Missale Rom. 2) Cf. 3 Rg 10, 1-9; 2 Par 9, 1-8. 3) Io 7, 15. 4) 11, 2. 5) Ibid. 7, 15. 6) 1, 14. 7) Col 2, 3. 8) Cf. Ex 40, 18; Dt 10, 1-5; 3 Rg 8, 9. 9) 2, 3. 10) Ibid. 9, 2. Vulg.: *Qui ambulabat in tenebris*, etc. 11) Ibid. 11, 9. Vulg.: *Repleta est terra*, etc. 12) Ibid. 62, 1-2. 13) Lc 1, 77.

et propheta ad praedicanda divina missus.

est quod alibi ait: *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me,* idest prophetam me constituit, sicut Elias unxit Eliseum,[14] et sicut requievit spiritus Eliae super Eliseum,[15] sic ait: *Spiritus Domini super me.* Sed ad quid? *Evangelizare pauperibus misit me... ut praedicarem annum Domini acceptum,* annum veri iubilaei, *et diem ultionis Deo nostro,*[16] bona et mala futurae vitae, bona paradisi, mala inferni. Ad praedicandum autem divina, opus est divinorum cognitione, sicut priusquam mitteret Isaiam ad praedicandam gloriam suam, ostendit utique ei gloriam suam;[17] Ezechieli similiter aperto caelo ostensa fuit gloria Domini datusque de caelo liber ad devorandum,[18] priusquam mitteretur ad praedicandum.

Iudex quoque iustus et rectus.

Aliam quoque causam idem V a t e s assignat: quoniam iudex futurus erat Christus. Hinc cum dixisset: *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiae et intellectus,* subiunxit: *Non secundum visionem oculorum iudicabit, neque secundum auditum aurium arguet,* idest non secundum apparentiam, *sed iudicabit in iustitia pauperes et arguet in aequitate pro mansuetis terrae; et percutiet terram virga oris sui et spiritu labiorum suorum interficiet impium; et erit iustitia cingulum lumborum eius et fides cinctorium renum eius,*[19] idest erit iudex iustus et rectus. Ad iudicandum autem magna opus est sapientia, nam ad hoc data fuit tanta sapientia Salomoni,[20] sicut ad praedicandam divinam legem supernaturalis sapientia Prophetis. Hinc Dominus hodie ait: *Nolite iudicare secundum faciem, sed rectum iudicium iudicate;*[21] neque enim de auro et gemmis secundum apparentiam iudicatur, sed summa cum diligentia exquiritur veritas.

Mirabantur Iudaei de superhumana doctrina Christi.

II. Quoniam vero sicut in gemmis reperiuntur quidem multae verae et optimae, sed tamen multo plures adulterinae, ita etiam in populo Dei multi Prophetae veri spiritu Dei afflati, sed multo plures falsi, sub vestimentis ovium lupi rapaces, quales erant prophetae Baal;[22] et hi quidem externa facie similes erant Prophetis veris, sicut vespae apibus, sicut adulterinae pecuniae et gemmae falsae

14) Cf. 3 Rg 19, 16 sqq. 15) Cf. 4 Rg 2, 9-15. 16) Lc 4, 18-19. Ex Isaia 61, 1-2. 17) Cf. Io 6, 1 sqq. 18) Cf. Ez 2, 1 sqq. 19) Is 11, 3-5. 20) Cf. 3 Rg 3, 5-12; 2 Par 1, 7-12. 21) Io 7, 24. 22) Cf. 3 Rg 18, 21-40.

veris, sicut magi Pharaonis Moysi;[23] utrique enim superhumano spiritu afflati loquebantur; sed veri Prophetae afflati Spiritu Divino. falsi autem spiritu satanico. Hinc hodie in Iudaeorum mentibus, audita Christi praedicatione, ortum est dubium an Christus verus esset propheta necne. Nam doctrina quidem ipsius superhumana procul dubio videbatur, hinc quaerunt: *Quomodo hic litteras scit cum non didicerit?*[24] Doctrina hominis huius non est humanitus acquisita, cum non didicerit, quomodo ergo litteras scit? Apud Marcum legimus 6, quod *multi audientes admirabantur in doctrina eius dicentes: Unde huic haec omnia et quae est sapientia quae data est illi?... Et scandalizabantur in eo.*[25] Ita hodie mirabantur Iudaei de doctrina Christi, sed ad deteriorem partem propendebant, hinc aiunt: *Daemonium habes, quis te quaerit interficere?*[26] Propterea Dominus hodie rationibus utitur ad probandum doctrinam suam supernaturalem et divinam esse, qualis fuit doctrina Moysi, Salomonis et Prophetarum, hinc ait: *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me,*[27] idest doctrina, quam praedico, non est humana sed divina, non humanitus acquisita sed divinitus infusa, sicut sapientia Ioseph, Ieremiae, Davidis, Danielis et aliorum Vatum. Sed sicut ad iudicandum de coloribus et luce, oculis opus est non caecutientibus, infirmis, coloratis, ad iudicandum de saporibus gustu non corrupto et male affecto, ita ad iudicandum de doctrina mea iudicio opus est puro, integro, affectibus turbidis minime depravato. Sicut enim aere nebulis obfuscato, nec ipse quidem sol in meridie cernitur, ita intellectu affectibus veluti obnubilato, nec clarissima veritas cerni potest. Hinc ait: *Si quis voluerit voluntatem eius facere,* qui misit me, hic *cognoscet de doctrina* mea, *utrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquar.*[28] Est, inquit, doctrina mea tota conformis divinae voluntati, contra vitia omnia, pro omnibus virtutibus. Ergo divina est, non humana.

sed ad deteriorem partem propendebant.

ideo ipse doctrinam suam divinam esse probat

primo, quia divinae voluntati prorsus conformis erat,

Praeterea: *Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quaerit; qui autem quaerit gloriam eius qui misit me, hic verax est et iniustitia in eo non est.*[29] Hoc est, inquit, discrimen inter veros et falsos prophetas, quod veri quidem Prophetae Divino Spiritu afflati, propriis commodis, vita etiam ipsa et honore pessumdatis et floccipen-

secundo, quia propriam gloriam et commoda non quaerebat,

23) Cf. Ex 7, 10-12. 24) Io 7, 15. 25) Vrr. 2-3. 26) Io 7, 20. 27) Ibid. vr. 16. 28) Ibid. vr. 17. 29) Ibid. vr. 18. Vulg.: *Qui misit eum,* etc.

sed veritatem praedicabat,

sis, nonnisi divinam gloriam quaerebant; falsi vero non Dei, sed propriae gloriae prospiciebant, propriis commodis et utilitatibus consulebant, invigilabant, hinc populum a Deo ad idola avocabant. Ego autem, inquit, non quaero gloriam meam, sed gloriam Dei. Ergo a Deo missus sum. Veri Prophetae Dei zelo moti populum acriter increpabant, hinc gravissimas persecutiones patiebantur; sic Christus: *Nonne Moyses dedit vobis legem, et nemo ex vobis facit legem? Cur me quaeritis interficere?* [30] Quam ob causam odio me prosequimini et persequimini, nisi quia non quaero gloriam meam, sed gloriam Dei? nisi quia veritatem dico vobis? Propter veritatem multa passi sunt Prophetae.

quam Iudaei ex depravata eorum voluntate recipere nolebant.

His autem verbis: *Nonne Moyses dedit vobis legem, et nemo ex vobis facit legem? Cur me quaeritis interficere?* ostendit Dominus causam cur divinum doctrinae suae splendorem clarissimamque veritatis lucem non viderent Iudaei, quoniam infirmis erant oculis ad videndum, depravato iudicio ad iudicandum. Nam dixerat: *Si quis voluerit voluntatem eius facere,* qui misit me, *cognoscet de doctrina* mea. Facere autem voluntatem Dei est divinam legem servare. Hinc ubi apud Matthaeum [31] et Marcum [32] legimus: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse meus frater,* etc., apud Lucam invenimus: *Mater mea et fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt et faciunt.* [33] Ad divinam autem legem servandam opus est bona voluntate, sicut in parabola seminatoris ostendit Dominus: *Aliud cecidit in terram bonam... qui in corde bono et optimo.* [34]

Non suscipiebant Iudaei doctrinam Christi, quia Deum se faciebat et miracula operabatur in sabbato;

III. Christi doctrinam duplici titulo non suscipiebant Iudaei a satana obcaecati, ut non effulgeret eis, ut Paulus ait, lux Evangelii: [35] altero quidem, ut Ioannes ait, quia *Patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo;* [36] altero autem, quoniam videbatur Christus mosaicae legi contrarius, quia solvebat sabbatum, miracula operabatur in sabbato. Hinc hodie ait: *Unum opus feci et omnes miramini,* idest scandalizamini, *quia totum hominem sanum feci in sabbato,* [37] alludit ad languidum in piscina curatum. [38] Ad hanc autem

30) Ibid. vrr. 19-20. 31) 12, 50. 32) 3, 35. 33) 8, 21. 34) Ibid. vrr. 8-15.
35) Cf. 2 Cor 4, 4. 36) 5, 18. 37) Ibid. 7, 21-23. 38) Cf. ibid. 5, 1-9.

obiectionem Dominus respondet sumpto a circumcisione, quae fiebat in sabbato,[39] argumento, sicut alibi a sacrificiis quae die sabbati fiebant in templo.[39a] Sic respondit doctrinam suam non repugnare legi Moysi.

Christus autem ostendit doctrinam suam divinae legi conformem et hominibus summe utilem esse.

In summa autem ostenditur in hodierno Evangelio doctrina Christi mirabilis, superhumana: *Docebat et mirabantur Iudaei.* Doctrina sacra, theologica, quoniam docebat in templo, doctrina supernaturalis, divina, divinitus infusa: *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me,* doctrina divinae voluntati divinaeque legi conformis: *Si quis voluerit voluntatem eius facere,* etc.; doctrina hominibus summe utilis: *De turba multi crediderunt in eum;*[40] doctrina dogmatica: *Moyses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex patribus;*[41] paraenetica: *Nolite iudicare secundum faciem, sed rectum iudicium iudicate;* doctrina critica: *Nonne Moyses dedit vobis legem, et nemo ex vobis facit legem? Quid me quaeritis interficere?* Hoc est quod Paulus *ad Timotheum* ait: *Omnis* doctrina, *scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iustitia;* dogmatica est, critica, paraenetica, *ad docendum, corrigendum, erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.*[42] Hinc monens eumdem Timotheum Paulus, ut opus Evangelistae ageret, ait: *Praedica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina;*[43] *argue,* scilicet convince rationibus in omni doctrina. Sic est doctrina sacra summe utilis.

Blasphemi ergo erant Pharisaei.

Principaliter ostenditur in hodierno Evangelio doctrinam Christi divinam esse, a Spiritu Sancto, non autem a spiritu maligno, ut Iudaei suspicabantur et blasphemabant. Pharisaei autem satanae tribuebant tum miracula tum doctrinam Christi,[44] sic erant obcaecati ut ponerent lucem in tenebras.[45]

IV. Quoniam vero satanas fidem et iustitiam quibus potest machinis impugnat, sicut iustitiam primorum parentum expugnavit,[46] et propterea nunc quoque mille ingerit scrupulos in simplicium chri-

39) Cf. ibid. 7, 23. 39a) Cf. Mt 12, 5. 40) Ibid. vr. 31. 41) Ibid. vr. 22. 42) 2 Tim 3, 16 sq. 43) Ibid. 4, 2. 44) Cf. Mt 9, 34; 12, 24; Lc 11, 15-18; Io 8, 48-52; 10, 20-21. 45) Cf. Is 5, 20. 46) Cf. Gn 3, 1-7.

stianorum mentes ad subvertendos animos in fide, usus opera nunc infidelium, nunc haereticorum, nunc etiam philosophorum et poetarum ac mille aliis machinis, quod quidem molestissimum est tentationis genus, operae pretium erit veritatem hanc claris rationum luminibus illustrare.

Dubitari omnino nequit de veritate divinitatis in mundo;

Naturalis ratio, quae media est inter fidem et infidelitatem ac perfidiam, dubitare potest de veritate christianae fidei et evangelicae doctrinae, sed non potest dubitare de veritate Divinitatis in mundo, nisi omni sapientiae lumine orbata fuerit, sicut insipiens, qui dixit *in corde suo*: *Non est Deus.*[47]

at fides christiana de Deo altissima sentit et praedicat;

Nunc dico iis qui huiuscemodi tentationibus fidei a satana infestantur: vel credunt esse Deum universi rectorem in mundo, sicut est anima in corpore, vel non credunt, sed casu omnia fieri in mundo. Si non est credendum invisibile Numen et Omnipotens Divinitas, certum est falsam fictamque esse omnem religionem, nec erit fides nisi inane figmentum futileque inventum hominum astutorum. Sed quis adeo desipiat, ut Deum mundi rectorem rerumque omnium procreatorem neget, ut sint in mundo effectus mirabiles sine causa? Sed si vere Deus in mundo est, ut eum omnis tum divina tum humana philosophia et ratio agnoscit, non potest christiana fides non verissima esse et Deo gratissima. Nam de Deo altissime sentit et nonnisi quae de Deo digna sunt praedicat et docet: Deum esse infinitam potentiam, sapientiam, bonitatem, sempiternam naturam, primam rerum causam, principium, a quo caelum dependet et natura universa.

verissima igitur et Deo conformis est.

V. *Mirabantur Iudaei*: *Quomodo hic litteras scit cum non didicerit?* Mirabilis est Christi doctrina, quia supernaturalis, superhumana. *Litteras scit cum non didicerit*, praeceptores non habuit, scholas non frequentavit, litteris nunquam operam dedit, nunquam studuit, nemo eum vel legere aut cognoscere prima litterarum elementa docuit: *Quomodo litteras scit?* Cum autem Christi doctrina non fuerit humano usu comparata, vel igitur a Deo est sicut doctrina Prophetarum, vel a daemone sicut doctrina magorum, qui malis artibus imbuti daemonum consortio delectantur. At doctrina Christi est contra satanam, contra omne genus vitiorum et peccatorum, etiam

Mirabilis est doctrina Christi quia superhumana;

non poterat autem a daemone esse,

47) Ps 13, 1; 52, 1.

mentalium, etiam minimorum; tota pro virtute, pro sanctitate, pro Deo est, ut Deus solus super omnia diligatur, honoretur, colatur ex toto corde, pro viribus. Non ergo a satana, sed a Deo est. Nam doctrina quae destruit, impugnat, expugnat doctrinam Aristotelis aut Platonis, non potest esse Aristotelis aut Platonis, sed philosophi alicuius aut theologi; sic doctrina quae est contra satanam, non potest esse a satana. Christi doctrina similis [est] doctrinae Prophetarum. Ergo a Deo.

ergo a Deo erat.

Docebat in templo *et mirabantur.* Doctrina et fides christiana tota pia, religiosa, sancta, nonnisi Deum habens pro scopo, pro obiecto, pro fine, Deum praedicat sine principio et fine, aeternum, infinitum, summae et infinitae potentiae, sapientiae et bonitatis; ipsum etiam esse mundi creatorem, servatorem, moderatorem, rerum omnium Patrem, Dominum, Regem; esse etiam omni amore, honore et cultu dignissimum. Et tandem iubet ipsum verum ac summum Deum, quem olim sancti Patriarchae atque Prophetae Divino Spiritu afflati coluere, iubet summa pietate et sanctissima religione in spiritu et veritate adorari et coli, super omnia diligi, summa cum vitae et conscientiae puritate ac sanctitate.

Ita etiam fides christiana, quae veram in Deum pietatem et vitae sanctitatem docet.

VI. *Mea doctrina non est mea.* Ostendit Dominus doctrinam suam superhumanam, humanitus minime comparatam, divinam esse, quia docet et iubet quae divinae placita sunt voluntati: *Si quis voluerit voluntatem eius facere* qui misit me, hic *cognoscet de doctrina* mea *utrum ex Deo sit*, sicut lex Moysi, quam semper veri Dei cultores in populo divinam agnovere et venerati sunt. Impii autem idololatrae non item.

Lex Moysi divina erat,

Nonne Moyses dedit vobis legem, et nemo ex vobis facit legem? Comparat Dominus doctrinam suam legi mosaicae, quoniam Messias promissus erat propheta similis Moysi, [48] quia, sicut Moyses, novam mundo legem daturus erat, sanctam, ad divinum cultum et religionem spectantem. Lex autem Moysi multis modis probata fuit vere divina. Primo quidem miraculis multis et magnis. - Deinde testimoniis Prophetarum, qui ad eam praedicandam a Deo mittebantur Spi-

sicut multis miraculis confirmata fuit;

48) Cf. Dt 18, 18.

ritu Sancto pleni; testimoniis etiam martyrum, nam multi pro illius observatione martyria subiere, multi Prophetae occisi, Daniel missus in lacum leonum,[49] tres iuvenes in fornacem,[50] Zacharias sacerdos lapidatus,[51] septem Machabaei fratres crudelissime extincti.[52] - Praeterea testimoniis virorum sanctissimorum et sapientissimorum, qui eam servavere, qualis David, qualis Salomon. - Insuper a sanctitate religionis, quia nonnisi verum Deum omnium conditorem pie sancteque colebat. - A sanctitate etiam vitae et morum, nam vitiis omnibus infensa erat, persequebatur minis et punitionibus, virtutibus autem maxime favebat. - Quia etiam divinitus in populo servata fuit usque ad Christum.

multo pluribus autem argumentis fides christiana comprobatur.

Fides autem christiana multo pluribus multoque illustrioribus argumentis divina comprobatur. Mitto miracula innumera, mitto prophetica oracula, mitto christianae fidei Sacramenta, religionem, sacerdotia. Id tantum considerabo quod in hodierno Evangelio dicitur, quod *multi crediderunt in eum.* In quem? In Christum hominem, humili loco natum, qui filius fabri et ipse faber putabatur.[53]

Et quid crediderunt? Quod esset verus Messias, Filius Dei, Dominus Angelorum, verus Deus conditor et moderator omnium rerum, contra sensum omnem, supra omnem captum rationis humanae.

Sed qua re moti hoc crediderunt? Praedicatione Christi, praedicatione Evangelii Christi, quod nudissima et simplicissima historia est vitae et actionum Christi.

Sed quinam? quod genus hominum hoc crediderunt de Christo sive crediderunt in Christum? Humiles tantum de plebe? Nobilissimi principes, reges, imperatores Christi fidem suscepere. Indocti, ineruditi? Doctissimi, eruditissimi philosophi, Dionysius Areopagita, Iustinus Martyr, Origenes, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Eusebius Caesariensis, Lactantius Firmianus, Augustinus aliique innumeri viri, omni disciplinarum genere ornatissimi, omni erudione clarissimi, Christi fidem suscepere et divinitatem ipsius testati sunt, quod doctrinae Moysi, licet divinae, non contigit. Nemo principum, nemo philosophorum eam suscepit.

49) Cf. Dn 6, 16; 14, 29-30. 50) Cf. ibid. 3, 19-22. 51) Cf. 2 Par 24, 20-22.
52) Cf. 2 Mach 7, 1 sqq. 53) Cf. Mt 13, 55; Mc 6, 3.

Et quomodo hi crediderunt in Christum? Leviter? ficte? consequendae utilitatis alicuius causa? Verissime, firmissime, ita ut tuendae veritatis huius causa fortunas, omnes facultates, honores, uxores, filios, vitam ipsam ex alto contempserint, nihili fecerint; hinc martyrum innumera multitudo, numerosissimi exercitus, multa millia millium.

Habuit etiam cultores sanctissimos, purissimos et purissimas virgines, sanctissimos confessores ducentes vitam caelibem, vitam ducentes caelestem, angelicam in terris: *Nostra autem conversatio in caelis est.*[54] Nam si iuxta canones et regulas christianae doctrinae vita instituatur, non potest non esse sanctissima, angelica, divina, absque omni penitus vitio, cum omni ornamento virtutum.

Non potest doctrina christiana a satana esse, quia conformis est voluntati Dei.

Sic multi crediderunt in eum, testati sunt doctrinam hanc caelestem divinamque esse: *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Si quis voluerit voluntatem eius facere, hic cognoscet.* Si doctrina Christi esset a satana, conformis esset voluntati satanae et contraria voluntati Dei, sicut doctrina quam serpens praedicavit parentibus nostris in paradiso. Sed doctrina Christi contraria est voluntati satanae et conformis voluntati Dei. Non ergo a satana, sed a Deo est. Sicque viri nobilissimi, sapientissimi, sanctissimi suis calculis comprobarunt.

VII. *Ascendit... in templum et docebat et mirabantur Iudaei.* Miraculum visum fuit Moysi, quod Deus locutus sit Hebraeis dans legem de medio ignis in monte Sinai, hinc ait: *Interroga de diebus antiquis, a die qua creavit Deus hominem super terram, a summo caelo usque ad summum eius, si facta est res huiuscemodi aliquando aut unquam cognitum est, ut audiret populus vocem* Domini *Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti et vidisti.*[55] Hodie autem idem ipse Dominus manifeste loquitur et docet in templo. Cum autem docet in templo, divina docet estque sicut arca Dei cum lege,[56] virga[57] et manna,[58] docet, terret, consolatur, arguit, obsecrat, increpat.

54) Phil 3, 20.
55) Dt 4, 32-33. Vulg.: *Vixisti. Vidisti* iuxta aliquas editiones.
56) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; Hebr 9, 4.
57) Cf. Nm 17, 10; Hebr 9, 4.
58) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4.

Non dogmata philosophorum Christus praedicabat, sed divinae legis, more Prophetarum.

Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? Non praedicabat Christus nisi Sacras Litteras, non dogmata philosophorum, sed divinae legis et Prophetarum, ipsorum Prophetarum more, qui doctrinam praedicabant non humanitus acquisitam, sed divinitus infusam. Sic enim Moysi, Prophetarum principi, dictum fuit: *Ego ero in ore tuo et docebo te quid loquaris;* [59] sic ad Ieremiam: *Ecce dedi verba mea in ore tuo;* [60] sic cum Ezechiel missus fuit ad praedicandum, prius iussus fuit librum caelitus sibi datum devorare; [61] nam ad docendum in templo caelesti opus doctrina est, Divino Spiritu. Erat autem Christi lingua sicut gladius acutus, nam legimus quod de ore eius gladius procedit ex utraque parte acutus; [62] *Vivus est* enim *sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti,* [63] et: *Gladium spiritus, quod est verbum Dei.* [64] De Christo legimus: *Diffusa est gratia in labiis tuis;* [65] de eo ait sponsa: *Labia eius stillantia myrrham optimam,* [66] *mel et lac sub lingua tua.* [67] In ore habet lac et mel et myrrham, dum docet, dum monet et consolatur, dum arguit et increpat.

Est hodie Christus in templo *lucerna ardens et lucens,* [68] sicut ipse de Ioanne ait, est aureum candelabrum multis luminibus doctrinae templum Domini illuminans. [69]

Duo proponuntur hodie: Christi sanctitas et doctrina.

VIII. *Ascendit* [70] *Iesus in templum et docebat.* In hodierno Evangelio duo singulariter proponuntur: Christi sanctitas et doctrina. Quoad sanctitatem dicitur quod ascendit in templum ad Patrem adorandum, et item: *Qui quaerit gloriam eius qui misit eum, hic verax est et iniustitia in eo non est.* Iudaei doctrinam quidem mirabantur, sed vitae sanctitatem non credebant, imo legis transgressorem existimabant: *Mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato?* quare falsum prophetam eum putabant. Falsi autem prophetae malo spiritu imbuti mira dicebant, sed male vivebant, non Dei gloriam, sed suam quaerebant. Christus autem futurus erat propheta similis Moysi, [71] mirabili vitae sanctitate mirabilique praeditus

59) Ex 4, 12. Vulg.: *Doceboque te.* 60) Ier 1, 9. 61) Cf. Ez 2, 7 sqq.; 3, 1-3. 62) Cf. Apc 1, 12-16; 19, 15. 63) Hebr 4, 12. 64) Eph 6, 17. 65) Ps 44, 3. 66) Ct 5, 13. Vulg.: *Myrrham primam.* 67) Ibid. 4, 11. 68) Io 5, 35. 69) Cf. Ex 25, 31-39; 40, 22-23. 70) Atramento clariori et stylo latiori. 71) Cf. Dt 18, 18.

doctrina, sicut magnus sacerdos supra pectus doctrinam et veritatem gestabat.[72]

Duo enim haec de Christo Divinae Litterae quam maxime praedicant: sanctitatem vitae et veritatem doctrinae: *Suscitabo David germen iustum et sapiens erit et faciet iudicium et iustitiam in terra;*[73] et apud Isaiam: *Docebit nos vias suas et ambulabimus in semitis eius, quia de Sion exibit lex et verbum Domini de Ierusalem;*[74] et: *Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum;*[75] praeterea: *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiae et intellectus... Spiritus scientiae et pietatis et replebit eum Spiritus timoris Domini,*[76] idest cultus Dei piaeque religionis. Hoc ipsum aliis verbis docuit Isaias dicens, quod *erit iustitia cingulum lumborum eius et fides, emunah, veritas, cinctorium renum eius,*[77] sanctitate et veritate praeditus erit. Sunt haec duo in Christo sicut in sole lux et calor, est enim ignis caelestis.

duo enim haec de Christo Divinae Litterae quam maxime praedicant,

Coniunxit autem haec duo Deus in Christo nostri causa, propter fidem et propter iustitiam. Nam haec duo praedicavit Christus in mundo: fidem et iustitiam. Ut fides adhibeatur alicui, cum veluti incredibilia dicere videtur, duo sunt quam maxime necessaria: ut dicentis auctoritas sit irrefragabilis, qualis erat Pythagorae auctoritas apud discipulos: «Ipse dixit»;[78] sunt autem haec: vitae probitas, optima animi voluntas, ut certo sciamus revera eum nos minime velle decipere nec mentiri; alterum est certa scientia reique quam asserit vera et indubitata cognitio, ut cum testis oculatus loquitur. Hinc Deus Prophetas mittens ad divina hominibus praedicanda, eos singulari ac mirabili vitae sanctitate doctrinaque supernaturali donabat. Ita egit cum Moyse, ita cum Ieremia, ita cum Elia, ita cum Ioanne Baptista, ita cum Apostolis, ita cum Christo. Habemus haec fidei nostrae firma stabiliaque fundamenta: sanctitas Christi, divina et mirabilis ac supernaturalis doctrina, illa ut non posset decipere, haec ne posset ipse decipi. Sic revera irrefragabilis est Christi auctoritas.

quia summe necessaria erant ad divina hominibus persuadenda;

sanctitas, ne posset decipere, doctrina, ne posset decipi.

72) Cf. Ex 28, 29-30. 73) Ier 23, 5. 74) Is 2, 3. 75) Ibid. 7, 15. 76) Ibid. 11, 2-3. 77) Ibid. vr. 5. 78) Cf. Diogenes Laertius *De Vita et Moribus Philos.*, lib. 8, pag. 344.

Duo haec quoad iustitiam, pro duplici parte iustitiae, nobis frena sunt et calcaria, frena a malo, calcaria ad bonum. Nam cum paterfamilias et dominus domus optimus vir est, cui tantopere displicet male facta et item virtutibus ac benefactis summopere delectatur, est etiam vir prudentissimus, qui summa utitur diligentia, ut sciat quaecumque domi agantur, duo haec universae familiae et frena essent a malo et calcaria acuta ad bonum, frena ne displicerent, calcaria ut placerent et morem gererent.

ALIA HOMILIA [1]

Ascendit Iesus in templum et docebat, et mirabantur Iudaei. [2]

Proponitur hodie Christus in habitu doctoris

I. Sicut in Veteri Testamento Deus variis modis apparuit sanctis Patriarchis et Prophetis, ut per divinas theophanias divinam utcumque agnosceremus naturam, ita in Novo Testamento Christus Dominus noster saepe in vario habitu nobis ostenditur, nunc regis, nunc pastoris, nunc principis filii summi Regis Dei, nunc sponsi Ecclesiae. Hodie autem proponitur in habitu doctoris. In hodierno nanque Evangelio proponuntur variae qualitates doctoris huius et doctrinae ipsius, ostenduntur, inquam, qualitates personae divini huius doctoris, et qualitates doctrinae, sicut de Moyse, de Salomone et aliis. Haec duo in Sacris Litteris quam maxime traduntur et indicantur.

et ostenduntur huius doctoris qualitates,

Ostenduntur qualitates doctoris. Primum quod homo sit religiosus, pius, nam: *Ascendit in templum*, in domum Dei, in domum orationis, ubi colebatur et adorabatur Deus; item quod homo missus a Deo, sicut mittebantur Prophetae: *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me;* [3] *Est verus qui misit me*, idest verax, fidelis; *ab ipso sum et ipse me misit;* [4] homo sanctus: *Hic verax est et iniustitia in eo non est;* [5] homo similis Moysi: *Nonne Moyses dedit vobis legem et nemo ex vobis facit legem? Quid ergo me quaeritis interficere* [6] tanquam legis transgressorem, cum nec vos ipsi legem servetis? Moyses non mihi sed vobis dedit legem; non sum ego subiectus legi Moysi, sed vos; ego maior sum Moyse; homo mirabilis: *Unum*

1) Stylo strictiori exarata. 2) Io 7, 14-15. 3) Ibid. vr. 16. 4) Ibid. vrr. 28-29. 5) Ibid. vr. 18. 6) Ibid. vrr. 19-20.

opus feci et omnes miramini; Totum hominem sanum feci in sabbato; [7] *Christus cum venerit nunquid plura signa faciet,* hoc est facere poterit, *quam quae hic facit?* [8] Non poterit, inquiunt, Christus, qui venturus expectatur, facere maiora miracula, talia sunt tantaque quae hic facit. Ergo, inquiunt, non potest hic non esse verus Messias. Propterea *crediderunt in eum;* [9] non enim maioribus argumentis Messias, qui speratur et expectatur, probare poterit se verum esse Messiam, quam ea sunt quibus hic se Messiam esse probat. Ipse ergo credendus est verus Messias. quibus credendus est verus Messias

Ostenditur etiam homo intrepidus, impavidus, qui praedicandae veritatis gratia nec mortem timeat: *Nonne hic est quem quaerunt Iudaei interficere? Ecce palam loquitur et nihil ei dicunt. Nunquid vere cognoverunt principes quia hic est Christus?* [10] Tandem homo vere divinus: *Novi eum quia ab ipso sum et ipse me misit;* [11] *ab ipso sum* secundum divinitatem; *ipse me misit* secundum humanitatem: *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me.* [12] Sic verus Messias Deus et homo. verusque Deus et homo.

II. Ostenduntur etiam qualitates doctrinae. Prima quidem quod Christi sapientia ineffabilis est, nam ait quod docebat, nec dicit quidnam docebat, et tamen nonnisi divina docebat ad Dei gloriam et quae ad humanam salutem utilia et necessaria erant. Cumque doctrinam suam miraculis confirmasset, unde *multi crediderunt in eum* dicentes: *Christus cum venerit, nunquid plura signa faciet quam quae hic facit?* et tamen Evangelista nec doctrinam hodie a Christo traditam descripsit, nec miracula edita ad eam confirmandam. Ostenduntur etiam qualitates doctrinae:

Quomodo ergo verum est quod novatores dicunt, omnia esse quae Christus egit et docuit Sacris Litteris consignata? Sed ut indicaret Ioannes esse Christi doctrinam ineffabilem, dixit quod docebat, non autem quid doceret, sicut Deus Moysi dixit: *Ego sum qui sum,* [13] et non dixit quid esset, quoniam ineffabilis et inexplicabilis omnino est divina essentia. Deinde ostenditur doctrina Christi mirabilis: *Mirabantur Iudaei.* [14] ineffabilis est et mirabilis,

7) Ibid. vrr. 21. 23. 8) Ibid. vr. 31. 93) Ibid. vrr. 25-26. 10) Ibid. vrr. 25-26. 11) Ibid. vr. 29. Vulg.: *Scio eum,* etc. 12) Lc 4, 18. Ex Is 61, 1. 13) Ex 3, 14. 14) Io 7, 15.

divina, quoad originem,

Adhuc ostenditur divina quoad originem: *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.*[15] Non est, inquit, humanitus acquisita, sed divinitus mihi tradita: *Hic cognoscet de doctrina* mea *utrum ex Deo sit, an ego a meipso loquar,*[16] fingens tamen me missum a Deo, sicut falsi prophetae faciebant. Ostenditur doctrina haec valde acuta ratiocinatione vera: *Qui a semetipso loquitur,* fingens utique prophetam se esse a Deo missum, cum non sit, *gloriam propriam quaerit,*[17] nempe ut auditoribus habeatur in pretio ab illisque laudem, honorem et commoda consequatur - ad hoc enim fingit, - tunc subintelligendum reliquit: *Ego non quaero gloriam meam,*[18] cum omnia quae in mundo sunt nihili faciam et nonnisi tragoedias, persecutionum turbasque contra me praedicando excitem. Loquitur, ut dialectici dicunt, ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis. Est homo, ergo animal; non est animal, ergo non est homo. Item alia hoc ipsum ratione probat: *Qui quaerit gloriam* Dei et non suam, sicut Prophetae sancti, *hic verax est et iniustitia in illo non est.* Hanc enim ob causam doctrina sanctorum Prophetarum vera divinaque, et merito, habetur, quoniam nonnisi divinam gloriam quaerebant, hinc propter divinae veritatis praedicationem multas passi sunt persecutiones. Ego autem gloriam Dei tantum quaero. Ergo mea doctrina vera est, nulla in ea est fraus, nullus dolus.

ideo verissima

et sancta,

Ostenditur doctrina sancta, amica boni, inimica mali: *Nonne Moyses dedit vobis legem et nemo ex vobis facit legem? Quid me quaeritis interficere?* Sic arguit omnia vitia atque peccata. Docet quod licet etiam die sabbati bene facere, quia bonum opus ad Dei gloriam et proximi utilitatem non solvit, non violat sabbatum, sicut nec circumcisio facta in sabbato, licet non sit lege expressum ut fiat circumcisio in sabbato. Sic non male fecit Christus totum hominem sanum faciendo in sabbato. Hoc est quod ait: *Si circumcisionem accipit homo in sabbato ut non solvatur,* hoc est si potest homo accipere circumcisionem in sabbato, ita ut eo opere non violetur nec solvatur *lex Moysi* de sanctificatione sabbati, *mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato?*[19] Divinum opus non violat sabbatum.

15) Ibid. vr. 16. 16) Ibid. vr. 17. 17) Ibid. vr. 18. 18) Ibid. 8, 50.
19) Ibid. 7, 23.

Est item doctrina haec paraenetica et moralis: *Nolite iudicare secundum faciem, sed rectum iudicium iudicate,*[20] idest non personarum respectu, sed pro meritis et aequitate causae iudicate an sit transgressio legis solo verbo totum sanare hominem in sabbato, cum non sit transgressio ipsum circumcidere. Si non est Moyses violator sabbati hominem circumcidendo, cur ego censendus sum violator hominem sanando? Sed quam necessarium est divinum hoc Christi servare documentum: *Nolite iudicare secundum faciem, sed rectum iudicium iudicate!* paraenetica et moralis,

Est item doctrina valde efficax, nam: *Multi crediderunt in eum,* audita hac doctrina, quoniam doctrina est rationibus et miraculis confirmata. Sic enim hodie Christus prius rationibus egit ad doctrinam suam confirmandam, postea miraculis. Et item sicut aurum in fornace, doctrina haec multis persecutionum tentationibus probata est. Christi enim doctrina ab initio semper multos habuit contradictores, sicut hodie: *Nunquid vere cognoverunt quia hic est Christus? Sed hunc scimus unde sit; Christus cum venerit, nemo scit unde sit.*[21] Quibus Christus statim respondit clamans et docens in templo dicens: *Et me scitis et unde sim scitis... sed est verus qui misit me, quem vos nescitis.*[22] Bene, inquit, me nostis secundum carnem, sed non propterea, ut par est, bene me nostis, cum nesciatis quia a Deo sum et ipse me misit. Sic fides christiana respondit semper contradictionibus Iudaeorum, Gentilium, maxime philosophorum et haereticorum, semperque mansit invicta, nam: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam.*[23] rationibus et miraculis confirmata et multis persecutionibus probata.

Ostenditur etiam schola et gymnasium huius doctoris: *Ascendit in templum et docebat* et clamabat in templo docens; sic alibi: *Quotidie apud vos eram in templo docens,*[24] et: *Ego palam locutus sum in templo, ubi omnes Iudaei conveniunt.*[25] Sic postea Apostoli in templo Christi doctrinam fidemque praedicabant, sic publice per universum praedicata est Christi doctrina.

Tandem ostenduntur discipuli huius doctoris mirabilis et divini magistri. Sed discipuli hi quidem boni: *Multi crediderunt in eum*: *Si quis voluerit voluntatem eius facere,* qui misit me, hic *cognoscet* Tandem ostenduntur doctoris huius discipuli,

20) Ibid. vr. 24. 21) Ibid. vrr. 26-27. 22) Ibid. vr. 28. 23) Mt 16, 18.
24) Mc 14, 49. 25) Io 18, 20. Vulg.: *Quo omnes,* etc.

alii quidem boni, alii autem mali.

de doctrina mea utrum ex Deo sit.[26] Magistri in suis discipulis vel maximum bonum ingenium requirunt, Christus vero bonum animum et bonam voluntatem, ut velint voluntatem Dei facere. Hi igitur boni sunt Christi discipuli. Mali vero sunt quibus ait: *Nonne Moyses dedit vobis legem et nemo ex vobis facit legem?* Item qui aiunt: *Christus cum venerit, nemo scit unde sit, hunc autem scimus unde sit.* Mali Christi discipuli sunt haeretici, qui non intelligentes Scripturas, ex uno loco Scripturae arguunt contra alium; sic contra fidem, contra Christum. Mali item Christi discipuli sunt mali catholici, qui cum bene credant, male vivunt: *Nonne Moyses dedit vobis legem et nemo ex vobis facit legem?* Discipulos vult factores legis.[27]

26) Ibid. 7, 17. 27) Tribus paginis albis relictis, transit ad feriam sequentem.

FERIA QUARTA INFRA HEBDOMADAM QUARTAM QUADRAGESIMAE

Praeteriens Iesus vidit hominem caecum a nativitate, et interrogaverunt eum.[1]

Habemus hodie lucem divinae sapientiae et tenebras humanae ignorantiae,

I. Sicut in sua cosmopoeia Divinus Moyses de luce et tenebris locutus fuit ac multa disseruit cum Deus mundum in tenebris natum illuminavit: *Tenebrae erant super faciem abyssi, et dixit Deus: Fiat lux. Et facta est lux; et vidit Deus lucem quod esset bona,*[2] ita in hodierno Evangelio habemus lucem et tenebras, lucem divinam, tenebras humanas, Christum videntem, hominem a nativitate caecum, lumen divinae sapientiae, tenebras humanae ignorantiae: *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi;*[3] *Erat lux vera quae illuminat omnem hominem;*[4] *Vita erat et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet.*[5] Et recte quidem *lux in tenebris lucet*, nam mundus hic Aegyptus est palpabilibus tenebris circumfusus, caeca nocte sepultus.[6] Haec enim praecipua fuit Aegypti plaga.

de quibus saepe S. Scriptura loquitur;

Saepe Ioannes de luce et tenebris philosophatur: *Lux in tenebris lucet; Vita erat lux hominum; Erat lux vera quae illuminat omnem hominem; Lux venit in mundum et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem;*[7] *Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae,* quoniam *ego sum lux mundi;*[8] *Ambulate dum lucem habetis, ut non tenebrae vos comprehendant,*[9] et alibi saepe.[10] Sic etiam Isaias: *Populus qui habitabat in tenebris vidit lucem magnam;*[11] et Paulus: *Abiiciamus opera tene-*

1) Pericope huius diei Io 9, 1-38. Cf. Missale Rom. 2) Gn 1, 2-4. 3) Io 9, 5. 4) Ibid. 1, 9. 5) Ibid. vrr. 4-5. 6) Cf. Ex 10, 21-23. 7) Ibid. 3, 19. 8) Ibid. 8, 12. Affert ordine inverso 9) Ibid. 12, 35. 10) Cf. ibid. 3, 20-21; 12, 36. 11) 9, 2.

brarum et induamur arma lucis;[12] et iterum: *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino.*[13] Sed profecto de luce et tenebris spiritualibus divina loquitur philosophia, sic ait: *Deus lux est et tenebrae in eo non sunt ullae;*[14] sic Petrus: *De tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum;*[15] sic Paulus: Tenebris *obscuratum habentes intellectum;*[16] sic: *Obscuratum est insipiens cor eorum.*[17]

sic hodie pluries mentio fit de scientia et ignorantia.

In hodierno Evangelio de scientia et ignorantia pluries fit mentio: *Nos scimus quia hic homo peccator est. Si peccator est nescio, unum scio quod, cum essem caecus, modo video;*[18] *Scimus autem quia peccatores Deus non exaudit;*[19] *Nos scimus quia Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus unde sit;*[20] *Nos scimus quia hic est filius noster et quia caecus natus est; quomodo autem nunc videat, nos nescimus.*[21]

de scientia in fidelibus Christi, de ignorantia in Pharisaeis.

Agitur ergo in hodierno Evangelio de luce et tenebris, de scientia et ignorantia, de luce divinae sapientiae et tenebris humanae ignorantiae. Itemque ostenditur in humana sapientia quanta sit ignorantia in Pharisaeis, quam docta sit fidelium Christi ignorantia in caeco illuminato et quam indocta hominum mundi huius sapientia in Iudaeis. Sic enim in Aegypto Hebraei splendida luce fruebantur, Aegyptii autem sepulti in tenebris erant. Sic: *Lux in tenebris lucet et tenebrae eam,* etc.; *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.*

Saepe Christus lux appellatus est

II. Saepe Christus in Sacris Litteris lux est appellatus: *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam; Dedi te in lucem gentium.*[22] Ioannes, cum initio Evangelii sui multa de Christi divinitate docuisset, lucem appellavit, nec tantum lucem, verum lucem veram et magnam, illuminantem omnes homines, lucem solarem; non quod [Christus] lux sit corporea, ut stolidi Manichaei sentiebant,[23] lux vera dicitur, sed quia vere operatur in oculis mentalibus quod lux corporea in carnalibus, sicut dicitur etiam vitis vera,[24] panis verus.[25] Nec solum mundi lux dictus est Christus, verum etiam sol; at quoniam sol spiritualis, appellatus est sol iusti-

12) Rom 13, 12. 13) Eph 5, 8. 14) 1 Io 1, 5. 15) 1 Pet 2, 9. 16) Eph 4, 18. 17) Rom 1, 21. 18) Io 9, 24-25. 19) Ibid. vr. 31. Vulg.: *Non audit.* 20) Ibid. vr. 29-31. 21) Ibid. vrr. 20-21. 22) Is 49, 6. 23) Cf. S. Augustinus *In Ioannem,* tract. 34, (P. L. 35, 1652). 24) Cf. Io 15, 1. 25) Cf. Ibid. 6, 51.

tiae: *Vobis timentibus nomen meum orietur Sol iustitiae.*[26] In *Apocalypsi* etiam dictus est Christus sol et lux Paradisi,[27] sic illuminans Angelos animasque beatas, sicut sol iste homines. **et sol.**

Vidit hominem caecum a nativitate. Extra templum erat caecus iste: hominem designat gentilem, infidelem, ut sentiunt Cyrillus[28] et Rupertus,[29] nam templum synagogam designabat. Gentilis populus a nativitate caecus erat, quoniam a maioribus nullam accepit veram Dei cognitionem, nullum verae fidei lumen. Hic videre licet humanae ignorantiae tenebras. Christus in hodierno Evangelio non solum mundi lux, verum etiam Deus est appellatus et Filius Dei: *Ut manifestentur opera Dei in illo;*[30] *Tu credis in Filium Dei?*[31] Talis erat homo ad cognoscendum Deum qualis caecus hic ad videndum Christum. Qui caelum et caelestia videre potest, caecus non est; qui autem caecus est, nec elementa mundi huius videt ex quibus constat, nec caelum, nec sidera, nec solem. Ita qui mente caecus est, spiritale nil videt: *Animalis homo non percipit quae sunt spiritus Dei.*[32]

Caecus iste hominem infidelem designat, qui spiritale nil videt.

III. Tria sunt cognitu dignissima: mundus parvus, mundus magnus et mundus maximus; homo, mundus, Deus. Hominis pars principalis anima est, non corpus; mundi etiam princeps pars caelum est invisibile, mundus spiritualis, ut loquuntur Platonici. In Deo autem natura est invisibilis, virtus quoque sempiterna et divinitas. In gentilesimo autem, etiam apud ipsos philosophos, qui sapientiam et omnium rerum scientiam profitebantur, regnabant errores pene infiniti tum de homine, maxime autem de anima rationali et de fine hominis, tum de mundo, tum etiam et maxime de Deo, ita ut Athenis esset ara ignoto Deo dicata.[33] Sic Deus mundo ignotus erat, pro vero Deo idola, daemonum simulacra, colebat; deos sibi pro libito et arbitratu suo finxerat mundus, quales cupiebat, vitiosissimos, pessimos. Tales enim deos cupiebat mundus.

Tria cognitu necessaria homines ignorabant: Deum, mundum, hominem,

Divinarum rerum in mundo duplex ignorantia regnabat: tum illa, quam dicunt purae negationis, qualis est hodie Apostolorum,

26) Mal 4, 2. 27) Cf. 21, 23; 22, 5. 28) *In Ioannis Evangelium*, lib. 6, (P. G. 73, 939. 1011). 29) *Comment. in Evang. Ioannis*, lib. 9, (P. L. 169, 587). 30) Io 9, 3. 31) Ibid. vr. 35. 32) 1 Cor 2, 14. 33) Cf. Act 17, 23.

ex duplici ignorantia purae negationis et pravae dispositionis.

qui quaerunt a Domino: *Quis peccavit, hic aut parentes eius, ut caecus nasceretur?*[34] Haec est ignoratio secretorum Dei, mysteriorum divinae providentiae; altera vero est, quam dicunt pravae dispositionis, quae cum odio veritatis coniuncta est et erroris amore, qualis est Iudaeorum, qui odio Christi obcaecati, nullum non movent lapidem ad occultandam veritatem hodierni miraculi, ad obfuscandam gloriam Christi. Corruptus autem affectus magnus est artifex et magister errorum.

Iudaei Christum eiusque fidem non recipiebant ex pravo affectu,

In hodierno Evangelio videre licet quod duo vel maxime impediebant Iudaeos ne Christum agnoscerent fidemque et doctrinam eius susciperent: alterum quidem, odium quod contra eum conceperant: *Non est hic homo a Deo;*[35] *Nos scimus quia hic homo peccator est;*[36] alterum nimia affectio erga Moysen: *Nos Moysi discipuli sumus; Nos scimus quia Moysi locutus est Deus; hunc autem nescimus unde sit.*[37] Affectus autem omnis impedimento est ne animus cernat verum, sicut colorata conspicilia oculis. Sic multis amica magis est magistri qualiscumque sententia sit, quam ipsa veritas; patet vel maxime in sectis philosophorum, in scholis Platonis et Aristotelis. Sic Iudaei existimantes Christi doctrinam alienam esse a doctrina Moysi, cui erant quam maxime affecti, in Christum credere noluerunt, quasi fides Christi iniuriam inferret Moysi.

quo etiam manifestissimum miraculum ab eo patratum negabant,

Ex depravato autem affectu oriuntur monstra sententiarum, opinionum, errorum: *Non est hic homo a Deo qui sabbatum non custodit,* quia Dominus in sabbato lutum ex sputo fecerat.[38] Quis non hic videat mentis insaniam et horrendam caecitatem? Duo illis proponebantur: alterum illuminatio caeci a nativitate, opus plane divinissimum supra omnes naturae vires, quod soli Deo possibile erat: *Dominus illuminat caecos;*[39] quare manifestissime Dei omnipotentiam testabatur in Christo, vel saltem divinum quemdam sanctitatis splendorem, unde caecus illuminatus eum prophetam existimavit Deique cultorem, qui suis precibus a Deo lucis beneficium obtinuerit;[40] alterum vero erat confectio tantilli luti ex sputo et pulvere tenuissimo, extrema indicis digiti parte adhibita ad illud conficiendum, sed in die sabbati. Duo haec opera appendunt in bilance ra-

34) Io 9, 2. 35) Ibid. vr. 16. 36) Ibid. vr. 24. 37) Ibid. vrr. 28. 29.
38) Cf. ibid. vr. 14. 39) Ps 145, 8. 40) Cf. Io 9, 17. 31.

tionis. Quidnam horum operum maioris est ponderis, maioris momenti? Illud ad ostendendam divinam Christi sanctitatem, an hoc ad concludendam divinae legis transgressionem? Iniustissima plane statera, in qua praeponderat quadrans aureo, imo librae aut talento auri.

Similes sunt plane caecis, qui umbras quasdam videre se dicunt, lucem autem solis, caeli ornatum et mundi pulcritudinem non vident. Simile iudicium Iudaeorum legimus in languido sanato in piscina. Ait ille: *Qui me sanum fecit*, etc. *Quis est ille homo qui dixit tibi: tolle grabatum tuum?* [41] Similes sunt stulto, qui diceret lunam non esse opus Dei, quia videtur habere maculas, nec Deum esse Deum, quia in sabbato operatur sicut in aliis diebus naturae universalis opera. Sic Iudaei Christum accusabant, quia miracula faciebat sabbatis.

immo ob ipsa miracula quae patrabat eum accusabant.

IV. Saepe Divinae Litterae de hominum caecitate loquuntur. Isaias ait 59: *Palpavimus quasi caeci parietem et quasi absque oculis attrectavimus*, quasi caeci in meridie; [42] et Sophonias: *Ambulabunt ut caeci, quia Domino peccaverunt.* [43] Saepe etiam testantur quod ad hoc venturus erat Messias, ut caecos illuminaret; sic legimus Isaiae 29 [44] et 35 [45] itemque 42 [46] et 43. [47] Hinc Dominus multos caecos illuminavit. [48]

Ad caecum hunc illuminandum multis usus est Dominus: oculis, manibus, lingua, luto ex sputo, aquis Siloe; et cum illuminasset corpore, illuminavit etiam spiritu perfectae fidei lumine: *Tu credis in Filium Dei? Credo, Domine. Et procidens adoravit eum,* [49] ad insinuandum quod corporalis illa illuminatio spiritualis fuit symbolum et imago et quod ad hominem spiritu illuminandum multis opus est. Spiritualis illuminatio in fide consistit: *Tu credis in Filium Dei?* Fides nanque dat homini veram cognitionem tum Dei tum etiam mundi huius, nec non et suiipsius, quae sunt tria illa cognitu dignissima. Fides autem donum Dei est, ut ait Apostolus. [50] Hinc Iudaei, viso hodie tam manifesto miraculo cum multis aliis, in Chri-

Corporalis illuminatio huius caeci spiritualem illuminationem per fidem designat.

41) Ibid. 5, 11-12. 42) Vr. 10. 43) 1, 17. 44) Cf. vr. 18. 45) Cf. vr. 5. Ms.: *Cp. 31.* 46) Cf. vrr. 7. 16. 47) Cf. vr. 8. 48) Cf. Mt 9, 27-30; 11, 5; 12, 22; 20, 30 sqq.; 21, 14; Mc 8, 22-25; 10, 46 sqq. 49) Io 9, 35. 38. 50) Cf. Eph 2, 8.

stum minime crediderunt, sicut nec patres eorum in deserto acceptis maximis beneficiis, nec Aegyptii multis plagis percussi Deum verum agnoverunt. Quare absque speciali Dei munere nec flagella, nec beneficia, nec miracula fidem et veram Dei cognitionem animis pariunt, sed Dei munere fides vera ingeneratur.

Hoc miraculum evidenter demonstrat Christi divinitatem.

Fides autem vera est qua *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem,*[51] qualis fuit fides caeci nati, cuius causa multa etiam passus fuit a scribis et Pharisaeis inimicis Christi, cum non sola confessione fidem suam testificatus fuisset, sed rationibus etiam comprobasset: *In hoc enim mirabile est, quod aperuit oculos meos et nescitis unde sit; scimus autem quoniam peccatores,* etc.[52]

Hodiernum hoc miraculum evidens est divinitatis Christi demonstratio, nam, ad probandum, dictum illud adhibitum est: *Antequam Abraham fieret ego sum.*[53] Hinc Dominus miraculum hoc opera Dei appellat: *Ut manifestentur opera Dei in illo; me oportet operari opera eius qui misit me.*[54]

In caeco isto tria mystice designantur: fidei lumen, eiusque probatio et praemium.

V. Caecus autem iste illuminatus veluti idea quaedam est hominis christiani, ubi tria designantur: lumen fidei mirabile, probatio ipsius fidei ac tandem praemium et corona fidei probatae; quae tria Petrus, fidei petra et Apostolorum Coryphaeus, docuit: *De tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum,*[55] hoc primum est; *ut probatio vestrae fidei multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inveniatur,*[56] hoc secundum; *reportantes finem fidei vestrae salutem animarum* vestrarum,[57] hoc tertium. Sic hodie Dominus vocavit caecum hunc de tenebris in admirabile lumen, quod ad aquas Siloe recepit; deinde multis modis probata tentataque[58] fuit fides caeci huius iam illuminati ab inimicis Christi; tandem mercedem recepit a Christo: invenit eum Iesus et seipsum manifestavit. *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te Deum vivum et quem misisti Iesum Christum.*[59]

Quoad primum, christianus homo ante Baptismum caecus est, qualis erat mundus, priusquam Christi lumine illustraretur: *Quam-*

51) Rom 10. 10. 52) Io 9, 30-31. 53) Ibid. 8, 58. 54) Ibid. 9, 3-4. 55) 1 Petr 2, 9. 56) Ibid. 1, 7. 57) Ibid. vr. 9. *Vestrarum* lec. cod. Cf. *Biblia Lovaniensis.* 58) Ms.: *Tentaque.* 59) Io 17, 3. Vulg.: *Deum verum.*

diu sum in mundo, lux sum mundi. Caecus plane ac supra modum caecus, qui nec Deum nec seipsum cognoscebat, sed pecudum more vivebat. Non caecum creavit Deus hominem, sed corpore et anima, sensu et mente undequaque perfectum, supernaturali etiam cognitione praeditum. Nam habuit Adam spiritum prophetiae quo futura praedixit; visa Eva divinitus formata: *Hoc nunc os de ossibus meis et caro de carne mea: haec vocabitur virago, quia de viro sumpta est. Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una.* [60] Divino Spiritu afflatus de praeteritis et futuris vaticinatus fuit et praesentia etiam agnovit, quod rarum in Prophetis est. Moyses de praeteritis et futuris prophetavit, Elisabeth autem in Novo Testamento, afflata Spiritu Sancto, etiam de praesentibus: *Unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me? Beata quae credidisti, quoniam perficientur,* etc. [61] Hoc summum prophetiae genus in Adam fuit; quare divinitus illustratus fuit omni genere sapientiae et scientiae rerum cum naturalium tum etiam supernaturalium, sicut Salomon, sicut Prophetae, qui olim propterea dicebantur *Videntes.* [61a]

Ante Baptismum homo mente caecus est, caecitas autem haec non a Deo,

Non igitur a Deo est caecitas haec, sed a satana, ut Paulus ait, quod Deus huius saeculi, idest princeps mundi huius, excaecavit mentes infidelium, ut non effulgeat illis evangelium, illuminatio gloriae Dei. [62] Sic homo mente caecus, tenebris infidelitatis obfuscatum habens intellectum, nec Deum, nec mundum, nec seipsum, nec finem ad quem conditus est, agnoscebat. Caeci nascimur, absque omni lumine scientiae naturalis aut fidei.

sed a satana fuit.

Sed caecus iste inunctus fuit priusquam ad aquas Siloe lumen reciperet. Luto inunguntur caeci dum instruuntur et cathechizantur cathecumeni venientes ad Baptismum, dum mysterium Incarnationis credendum eis proponitur, sicut egit Philippus cum eunucho Candacis reginae Aethiopum; cum enim instruxisset eum de mysteriis fidei, baptizavit eum credentem. Nam cum ille Baptismum petiisset: *Si credis,* inquit, *ex toto corde* in Christum, *licet.* [63] Imo Christus ipse hoc ipsum egit cum Paulo, nam dum excaecavit eum, veluti lutum posuit super oculos ipsius, apparens et dicens ei: *Saule,*

Lutum, quo caecus inunctus fuit, significat instructionem cathecumenorum.

60) Gn 2. 23-24. Vulg.: *Quam ob rem relinquet,* etc. 61) Lc 1, 43. 45. 61a) 1 Rg 9, 9. 11. 18-19; 2 Rg 15, 27; 4 Rg 17, 13. 62) Cf. 2 Cor 4, 4. 63) Act 8, 37.

cur me persequeris? Ego sum Iesus Nazarenus *quem tu persequeris.*[64] Postea misit ad eum Ananiam ut baptizaret eum.[65] Sic in Baptismo Paulus lumen utrumque recepit et Spiritu Sancto repletus fuit. Quoniam in Baptismo datur lumen fidei, ibi illuminantur oculi, hinc a Sanctis Patribus Baptismum dictus est Photismus,[66] idest illuminatio.

Lumen fidei magnum Dei donum est,

VI. Ostenditur in hodierno Evangelio quod lumen fidei magnum Dei donum est, magnum beneficium, sicut divinum plane munus fuit caeco huic lumen oculorum magno miraculo datum ei a Christo, gratia quam caecus supra modum optabat. Quid enim carius luce oculorum?

sicut caecus ipse agnovit, qui pro fide strenue pugnavit

Caecus autem hic divinum lucis beneficium divinitus acceptum tanquam divinum munus agnovit ipsumque benefactorem grato animo recognovit, Christi nanque factum et ex facto conceptam fidem mirabiliter defendit. Christi nanque fidem caecus hic mirabiliter illuminatus inter persecutionum procellas, tanquam peritus nauta navim, servavit incolumen. Nec tantum ab impugnatoribus, ab expugnatione tutatus fuit arcem hanc, verum etiam rationibus communivit: *Si peccator est, nescio; unum scio, quod cum caecus essem, modo video; Scimus autem quoniam peccatores Deus non audit, sed si quis cultor Dei est, hunc exaudit. A saeculo non est auditum quod aperuerit quis oculos caeci nati.*[67] Sic fortis in fide fuit caecus illuminatus scutoque fidei omnia tela nequissimi ignea extinxit et gladio spiritus armatus[68] pro fide pugnavit et gloriosam victoriam reportavit, sicut David de gigante Golia.[69]

eamque servavit et auxit.

Nescivit Adam divinae sapientiae lumen divinitus acceptum servare ab impugnatione satanae; caecus autem illuminatus mirabiliter servavit et, quod maius est, auxit. Hinc tandem meruit Christum manifeste cognoscere, in quo vita aeterna consistit.[70]

64) Ibid. 9, 4-5. 65) Cf. ibid. vrr. 7-19. 66) Cf. S. Clemens PP. *Constitutiones Apostolicae*, lib. 8, cp. 7, (P. G. 1, 1081-1082); cp. 2, ibid. 3, 391-394; Clemens Alex. *Paedagogus*, lib. 1. cp. 6, ibid. 8, 281-286; S. Gregorius Naz. orat. 40 *In S. Baptisma*, ibid. 36, 362-363; S. Io. Chrysostomus *Ad illuminandos catechesis*, ibid. 49, 225. 67) Io 9, 25. 31-32. Vulg.: *Quia quis aperuit oculos*, etc. 68) Cf. Eph 6, 16. 69) Cf. 1 Rg 17, 41-54. 70) Cf. Io 17, 3.

VII. *Vidit hominem caecum a nativitate.* Tertullianus in *Apologetico* ait duplicem esse caecitatem: et non videre quae sunt, et videre quae non sunt.[71] Nam homo caecutiens videre se existimat quae minime videt et, cum nihil videat, multa se videre existimat. Sic homo mente caecus, in infidelitate constitutus, non agnoscit verum Deum et divina. Adorabat autem mundus, cum verum Deum ignoraret, idola, quae nihil sunt, inanes fictosque deos. Ex hac mentis caecitate oritur ut homines, sicut Isaias ait, dicant bonum malum, malum bonum, lucem tenebras et tenebras lucem,[72] vitia virtutes et virtutes vitia. Hinc oritur ut saepe falsa sint veris probabiliora. Nam accusatio Ioseph falsa fuit, quod dominam suam voluerit vi comprimere, cum tamen ipse a domina vim pateretur; et tamen falsum visum fuit vero multo probabilius.[73] Hinc oritur ut homines vitia magis quam virtutes sequantur, ut temporalia bona praeferant aeternis, corporalia spiritualibus, mundana divinis, sicut Hebraei[74] carnes Aegypti mannae caelesti in deserto[75] et sicut Rubenitae praetulerunt terram Galaad terrae promissionis.[76]

Duplex datur caecitas: non videre quae sunt et videre quae non sunt;

hinc homines temporalia aeternis, vitia virtutibus praeferunt,

Vidit hominem caecum a nativitate. Erat humana mens ante peccatum sicut aqua pura et clara instar crystalli; per peccatum autem veluti atramentum in hanc aquam infusum est. Sicut autem homo, licet natura magno iudicio praeditus et insuper multa eruditione et sapientia, si phrenesi laboret aliquando aut libera ebrietate, vino mentem alienante, de rebus perperam iudicabit, ita plane peccato perversum ac praeposterum factum est humanum iudicium, nam, sicut ille ait quod impedit ira animum ne possit discernere verum,[77] ita affectus perturbant rationis iudicium, ut umbrae bonorum ipsis veris bonis praeferantur.

hoc autem ex peccato originali quod humanum iudicium pervertit.

Credo, Domine. Et procidens adoravit eum. Paucissimis verbis Ioannes christiani hominis vitam moresque complexus est: *Credo Domine*: non sufficit, *fides sine operibus mortua est*;[78] *procidens adoravit eum*: sic Magi cum ductu stellae caelestis Christum invenissent et in eum vere credidissent, *procidentes adoraverunt eum.*[79] Sic de senioribus scribit Ioannes in *Apocalypsi*, quod

Scopus fidei est Christum vere colere.

71) Cp. 0, (P. L. 1, 327). 72) Cf. 5, 20. 73) Cf. Gn 39, 7-20. 74) Ms.: *Hebraeus.* 75) Cf. Nm 11, 4-6. 76) Cf. Ios 13, 4-6. 77) Dionysius Cato. *Dystica de Moribus*, lib. 2, vr. 98. 78) Iac 2, 20. 26. 79) Mt 2, 11.

mittentes coronas suas, procidentes Christum adorant.[80] Scopus fidei et cognitionis Christi est, ut vere adoretur et colatur: *Credo, Domine. Et procidens adoravit,* Christi pedibus se proiecit, totum se Christo subiecit, caput suum pedibus Christi supposuit. *Credo, Domine.* Fides viva et vera arbor fructifera est; *Procidens adoravit*: hi sunt fructus arboris.

Illuminatio corporalis mystice designat illuminationem spiritualem.

VIII. *Praeteriens*[81] *Iesus vidit hominem caecum,* etc. In hodierno Evangelio habemus historiam et mysterium illuminationis caeci nati. Historia quoad factum illuminationis corporalis, mysterium quoad opus illuminationis spiritualis; eum enim Dominus prius corpore, deinde spiritu illuminavit: *Tu credis in Filium Dei? Credo, Domine. Et procidens adoravit eum.* Imo quod, sicut Deus prius corpus et postea animam creavit et propter animam corpus, ut animae deserviret essentque in eo sensoria sensuumque omnium instrumenta ac veluti quaedam imagines virtutum et facultatum internarum animae - nam oculus in corpore est veluti imago intellectus in anima, - ita corporalem illuminationem praemisit Dominus ut esset spiritualis viva imago. Sicut hunc Dominus vere illuminavit in corpore, ita vere etiam illuminavit in anima.

Quoad historiam hoc miraculum demonstratio est divinitatis Christi,

Hodiernum miraculum, quoad historiam, vera est demonstratio divinitatis Christi, propterea nanque Dominus, priusquam operaretur divinum hoc miraculum, verba fecit de sua divinitate: *Ut manifestentur opera Dei in illo; Me oportet operari opera eius qui misit me.*[82] Cum me tanquam blasphemum lapidare voluerint Iudaei in templo, eo quod dixi: *Priusquam Abraham fieret ego sum,*[83] oportet me divinis facinoribus, quae soli Deo possibilia sunt, hanc veritatem luce clarius demonstrare, ut sciant homines quod vere lux sum mundi, verus redemptor et Salvator mundi.

qui in mundum a Patre missus fuit ad opus redemptionis;

Ubi etiam ostendit Dominus praeceptum sibi esse a Patre tempus operandi opera redemptionis et salutis; hinc ait: *Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est,*[84] idest usque ad finem vitae meae. Nam licet etiam in caelo multa operatur cum Patre, non tamen operatur opera redemptionis quae explevit in carne, unde

80) Cf. 4. 9 sqq. 81) Quae sequuntur atramento clariori et stylo latiori exarata sunt. 82) Io 9, 3-4. 83) Ibid. 8, 58. 84) Ibid. 9, 4.

ait: *Consummatum est.*[85] Sicut enim Deus cuique homini concessit tempus vitae ad operandum salutis suae opera, tempus merendi, ut aiunt theologi, nam post mortem nullum reliquum est meriti tempus, ita Christo[86] praescripsit tempus operandi redemptionis opera, praedicando Evangelium, instituendo Sacramenta, operando miracula, multa patiendo. Hoc est quod ait: *Me oportet operari donec dies est. Venit nox quando nemo potest operari; Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi,* idest sol, qui quamdiu manet supra nostrum hemisphaerium, mundum salvat a tenebris; ita Christus quamdiu mansit in mundo, redemptionis opus operatus est.

quoad mysterium caecus illuminatus designat hominem ab infidelitate conversum

Quoad mysterium vero, caecus hic illuminatus naturalis et viva imago est hominis vere christiani ab infidelitate ad veram fidem et religionem conversi: *Credo, Domine. Et procidens adoravit eum.* Infidelis omnis caecus est, quoniam lumine fidei in intellectu caret; caecus natus, quoniam in infidelitate natus est. Sed si adulta aetate est, cathechizandus est, instruendus est, sicut Philippus egit cum eunucho, sicut Dominus egit cum Paulo, postea baptizandus. Natatoria Siloe figura et imago Baptismi est: hic verum lumen fidei accipitur. Hinc a Paulo dicitur *lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti;*[87] hinc Ananias dixit Paulo: Ut baptizeris et *implearis Spiritu Sancto,* et dum baptizaretur, *ceciderunt ab oculis eius tanquam squamae et visum recepit;*[88] dum baptizaretur illuminatus fuit, quoniam in Baptismo datur caelitus verum lumen fidei et caelestis gratiae. Hinc baptizatis Paulus ait: *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino; ut filii lucis ambulate.*

per verum lumen fidei et caelestis gratiae.

Fidem susceptam defendere oportet

Veri christiani est fidem et honorem Christi tueri, etiamsi propterea necesse sit graves persecutiones pati, nam: *Omnes qui volunt pie vivere in Christo, persecutiones patientur.*[89] Non fuit chelidonius[89a] sicut semen quod cecidit super petram, quod *natum aruit eo quod non habebat humorem,* idest sicut illi qui *cum gaudio suscipiunt verbum* Dei, fidem Christi, sed, *orta persecutione, scandalizantur, qui ad tempus credunt et in tempore tentationis recedunt;*[90] sed defendit Christi honorem nihil curans minas, maledicta, persecutiones Iudaeorum, sed sicut aurum in fornace probatus, fidelis in-

85) Ibid. 19, 30. 86) Ms.: *Christi.* 87) Tit 3, 5. 88) Act 9, 17-18. 89) 2 Tim 3, 12. 89a) Ms.: *Caelidonius.* 90) Mc 4, 17; Lc. 8, 6. 13.

ventus fuit. Hinc Petrus: *Ut probatio vestrae fidei multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inveniatur in laudem et gloriam et honorem.* [91]

eamque exterius manifestare.

Tandem verus christianus est qui fidem habet cum religione et pietate coniunctam: *Credo, Domine. Et procidens adoravit eum,* sicut Magi procidentes adoraverunt Christum natum; animo et corpore, Christo agnito, exhibuit reverentiam. Sic corpore et animo serviendum est Deo, quoniam etiam corpus creatura Dei est sicut spiritus. Hinc Paulus virginem requirit sanctam et corpore et spiritu.[92] Vera religio actus habet et interiores et exteriores, et spirituales et corporales, sicut homo anima et corpore constat. Sic Stephanus positis genibus orabat,[93] sic Paulus flectebat genua ad Patrem Domini nostri Iesu Christi,[94] sic Christus ipse positis genibus orabat ad Patrem.[95]

ALIA HOMILIA [1]

Duo videnda sunt in hoc miraculo: historia et mysterium.

I. In hodierno Evangelio duo videnda sunt nobis: historia miraculi huius et mysterium. Divina enim Scriptura occultos habet sensus; est sicut corpus humanum, in quo latet anima, sicut caelum, in quo latent Angeli, sicut Christi humanitas, in qua latebat divinitas, sicut fiscella scirpea, in qua Moyses fuit reclusus,[2] sicut velum quod tegebat splendentem Moysi faciem,[3] sicut arca, in qua repositae fuerunt tabulae legis.[4] Ita in Sacris Litteris semper sobrie et pie divina nobis sunt requirenda mysteria, quae sub littera latent.

In apparatu miraculi ponitur disputatio de providentia circa malorum causas,

II. In hodierno Evangelio quoad historiam miraculi tria ostenduntur: apparatus miraculi, magnitudo miraculi, et veritas miraculi. Apparatus est: *Praeteriens vidit hominem caecum a nativitate,* [5] ubi etiam causa caecitatis huius investigatur: *Quis peccavit, hic aut parentes eius, ut caecus nasceretur?* [6] Oritur haec quaestio ex fide di-

91) 1 Petr 1, 7. 92) Cf. 1 Cor 7, 34. 93) Cf. Act 7, 59. 94) Cf. Eph 3, 14. 95) Cf. Mt 26, 39; Mc 14, 35; Lc 22, 41.

1) Stylo strictiori exarata. 2) Cf. Ex 2, 2-3. 3) Cf. ibid. 34, 33 sqq. 4) Cf. ibid. 25, 10-21; 40, 18-19. 5) Io 9, 1. 6) Ibid. vr. 2.

vinae providentiae, quod Deus sua providentia mundum regat, quod iustus sit iudex, quod nemini iniuriam faciat, quod absque culpa non infert poenam. Non autem quod crederent Apostoli pythagoricam palingenesiam, transmigrationem animarum, ut quaerant an anima huius caeci, prius quam in corpus ipsius intraverit, commiserit peccatum aliquod, in cuius poenam Deus corpus caecum dederit; sed non bene intelligebant adhuc mysterium divinae providentiae, quasi nonnisi in poenam peccati possit Deus inferre calamitates et mala. Hinc respondet Christus: *Neque hic peccavit neque parentes eius, sed ut manifestentur opera Dei in illo,*[7] hoc est ex speciali providentia Dei homo hic, absque propria aut parentum actuali culpa caecus natus est. Habet enim divina providentia leges generales, habet etiam particulares; secundum illas non infert publicas calamitates absque culpis: *Non est malum in civitatem, quod non fecerit Dominus;*[8] at vero secundum leges particulares ad probationem virtutis, ad augmentum meritorum in occasionem salutis spiritualis, pro speciali gloria Dei potest immittere particulares calamitates. Talis fuit haec caecitas absque ulla iniuria, quoniam visus, sicut et vita, est donum Dei, nemini Deus quidquam debet. Caecitas autem corporalis huic caeco fuit occasio illuminationis spiritualis et salutis animae.

Ostenditur divinitas Christi miraculorum operatrix.

Fuit etiam occasio gloriae et manifestationis divinitatis Christi. Hinc ait: *Ut manifestentur opera Dei in illo. Me oportet operari opera eius, qui misit me.* Sic disserit de sua divinitate Christus antequam miraculum hoc operetur, quoniam ad probandam veritatem divinitatis suae ipsum edidit. Cum enim dixisset: *Ut manifestentur opera Dei in illo,* subiunxit: *Me oportet operari opera eius qui misit me,*[9] idest edere opera quae solus Deus potest. Sic in apparatu huius miraculi ponitur disputatio[10] de providentia Dei circa causas malorum ostenditurque Christi vera divinitas miraculorum operatrix.

Ipsius miraculi magnitudo.

Quoad secundum, magnitudo miraculi ostenditur verbis et causis. Verbis quidem, nam appellatur plurali numero *opera Dei,* et postea: *Quomodo potest homo peccator haec signa facere? A saeculo non est auditum quia aperuit quis oculos caeci nati;*[11] item

7) Ibid. vr. 3. 8) Am 3, 6. Vulg.: *Si est malum ... quod Dominus non fecerit.*
9) Io 9, 4. 10) Ms.: *Disputio.* 11) Io 9, 16. 32.

etiam causis, nam ostenditur magnitudo efficientis, dum Christus appellatur homo propheta, Filius Dei, lux mundi, verus Deus. Nec tantum ab efficiente, verum etiam a materiali, nam illuminatur caecus a nativitate. Item a formali, a modo, quia luto illum illuminavit, contrario plane collyrio. Tandem a finali, quoniam ad probandam divinitatem Christi, qua nihil maius excogitari potest. Et ita caecus credidit et adoravit Christum tanquam Filium Dei, non quidem adoptivum,[12] sicut omnes Sancti dicuntur filii Dei; nam caecus audivit et credidit ipsum esse Filium Dei: *Procidens adoravit eum*, tanquam verum et naturalem Filium Dei: *Credo, Domine. Et procidens adoravit eum.*[13]

veritas

Veritas item ostenditur huius miraculi, nam non statim creditum fuit, sed quam diligentissime examinatum, sicut aurum in incude probatur et in fornace. Nam primum quidem diligenter examinatum fuit a Iudaeis, postea vero summa cum diligentia et inquisitione; sed aurum verum inventum est.

et effectus.

His tribus addi potest fructus et effectus miraculi, nempe fides et religio caeci illuminati: *Credo, Domine. Et procidens adoravit eum.* Ad hoc enim fiebant miracula a Christo.

Quoad mysterium significatur Baptismi sacramentum eiusdemque effectus.

III. Sed quoad mysterium, significatur in hoc miraculo facto ad aquas Siloe effectus Baptismi, nam per has aquas, sicut etiam per aquas maris Rubri et per aquas Iordanis, per aquas etiam Piscinae, sacramentum Baptismi designatur. Sicut autem in hodierno Evangelio veritas quam maxime illuminationis demonstratur, quod vere et non ficte ad aquas Siloe caecus sit illuminatus, ita revera in Baptismo non ficte, ut haeretici false et impie nugantur, iustificatur anima;[13a] in Baptismo nanque vere datur Spiritus Sanctus, vera gratia quae animam a peccatis emundat atque sanctificat. Sicut enim vere in mari Rubro perierunt omnes Aegyptii et salvati sunt Hebraei,[14] sicut vere Naaman syrus in aquis Iordanis mundatus fuit a lepra,[15] sicut in piscina vere sanabatur a quacumque infirmitate tenebatur quisquis prior descendisset post motionem aquae,[16] ita in Baptismo vere deletur peccatum et datur gratia Spiritus Sancti: *Effundam super vos*

12) Ms.: *Adoptivi.* 13) Io 9, 38. 13a) Cf. S. Robertus Bellarminus *Controversiae, De Sacramento Baptismi*, lib. 1, cp. 13, col. 260. 14) Cf. Ex 14, 27 sqq. 15) Cf. 4 Rg 5, 9-14. 16) Cf. Io 5, 2-4.

aquam mundam et mundabimini;[17] *Lavamini, mundi estote; Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, sicut nix dealbabuntur,*[18] sumpta metaphora a panno tincto in lana, qui acceptum colorem dimittere, ut videtur, nullo modo potest. Sed apud Deum omnia possibilia sunt. Hinc etiam Regius Vates: *Asperges me,* Domine, *hyssopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor;*[19] cum tamen ipsemet seipsum in lana tinctum esse dixerit: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum et in peccatis concepit me,* etc.,[20] attamen: *Super nivem dealbabor.*

Gratia Christi potentior fuit ad salvandum quam Adae peccatum ad perdendum.

Neque enim potentior fuit Adam satanae opera ad perdendum genus humanum, quam Christus Divini Spiritus virtute ad salvandum, nam, ut Paulus *ad Romanos* ait, multo maius est bonum quod per Christum accepimus quam quod per Adam amisimus.[21] Quomodo ergo, cum per Adam verum peccatum acceperimus, per Christum nonnisi fictam iustitiam consecuti sumus? Quomodo Christus appellatus est *Sol iustitiae*[22] et hodie *lux mundi,*[23] si non revera fugat et expellit tenebras? Quomodo dictum est: *Salvabit populum suum a peccatis eorum?*[23a] Quomodo: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi?*[24]

Concupiscentia non est peccatum, sed effectus et poena peccati;

Sed, inquiunt, Paulus *ad Romanos* concupiscentiam appellavit peccatum.[25] Sed Iacobus dixit causam esse peccati: *Concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum.*[26] Non est ipsa peccatum, sed veluti radix peccati, mala arbor, quae facit malos fructus.[27] Vitium est non peccatum, ut Augustinus saepe ait, infirmitas non iniquitas.[28] Paulus autem peccatum eam appellat, sicut aliquando scriptura dicitur manus talis scriptoris et pictura manus talis pictoris; causa ponitur pro effectu, sicut ignis aliquando appellatur lumen: sedebat Petrus ad lumen,[29] quia ignis est causa luminis, sic sol dicitur lumen mundi, sic *Deuteronomii* 9 capite vitulus aureus appellatur pec-

17) Ez 36, 25. 18) Is 1, 16. 18. 19) Ps 50, 9. 20) Ibid. vr. 7. 21) Cf. 5, 15 sqq. 22) Mal 4, 2. 23) Io 9, 5 23a) Mt 1, 21. 24) Io 1, 29. Vulg.: *Peccatum mundi. Peccata* lect. cod. 25) Cf. 7, 14 sqq. 26) 1, 15. 27) De hac Lutheri et Calvini haeretica sententia cf. S. Laurentius a Br. *Hypotyposis*, part. 2, pag. 292; S. Bellarminus *Controversiae*, t. 4, *De Amissione Gratiae*, lib. 5, cp. 7, col. 282-283. 28) Cf. *De Natura et Gratia*, cp. 43, (P. L. 44, 271); cp. 52, ibid. col. 276; cp. 53, ibid. col. 277; cp. 54, ibid. col. 278; *Contra Iulianum*, lib. 6, cp. 18, ibid. col. 855-856; *Contra Iulianum, opus imperfectum*, lib. 3, ibid. 45, 1325. 1453. 29) Cf. Lc 22, 56.

catum,[30] sic sanguis appellatur in Scripturis anima et vita animalis, quoniam causa vitae est.[31]

hoc sensu D. Paulus concupiscentiam peccatum appellat.

Sicut autem miracula quae Christus circa corpora operatus est sanando infirmos, illuminando caecos, suscitando mortuos, vera, non ficta, fuere miracula, ita et quae circa animas; nam ad salvandas animas venit non corpora, quoniam morale est in Sacris Litteris ut causa aliqua ab effectu denominetur, sicut: *Mors* est *in olla, Regum 4,*[32] hoc est mortiferum quid; sic: *In illo vita erat et vita erat lux hominum;*[33] sic: *Ego sum resurrectio et vita,*[34] hoc est causa resurrectionis et vitae. Propterea P a u l u s *ad Romanos* concupiscentiam, malorum omnium radicem, peccatum appellavit. I o a n n e s Lazari resurrectionem appellavit gloriam Dei: *Si credideris, videbis gloriam Dei,*[35] quoniam in causa fuit ut glorificaretur Deus, sicut ait: *Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.*[36]

30) Cf. vr. 21. 31) Cf. Gn 9, 5; Dt 12, 23; Ez 33, 5; Dn 13, 62. 32) 4, 40.
33) Io 1, 4. Vulg.: *In ipso.* 34) Ibid. 11, 25. 35) Ibid. vr. 40. 36) Ibid. vr. 4.
Quattuor paginis albis relictis, transit ad feriam sequentem.

FERIA QUINTA INFRA HEBDOMADAM QUARTAM QUADRAGESIMAE

Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suae et haec vidua erat. [1]

I. Occurrunt sibi hodie mors et vita, sicut in aurora lux et tenebrae occurrunt sibi, magna mundi miseria et infinita Dei misericordia: *Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus* [2] est. Mors magna est mundi miseria, nam mundus iste videtur sicut terra Chanaan, quae optima videbatur, sed devorabat habitatores suos. [3]

Ostenditur hodie magna mundi miseria, mors,

Una autem cum magna miseria ostenditur magna misericordia. Hinc enim Christus hodie dicitur propheta magnus: *Magnificabant Deum dicentes: quia propheta magnus surrexit in nobis et quia Deus visitavit plebem suam.* [4] Magnus Christus, quia magnus Deus: *Magnus Dominus et laudabilis nimis;* [5] *Magnus Dominus et magnitudinis eius non est finis;* [6] *Magnus Dominus et magna virtus eius;* [7] *Laudate eum, secundum multitudinem magnitudinis eius.* [8] Nam magnus in omnibus; non sicut homines. Abraham magnus fuit pietate erga Deum, Ioseph magnus princeps, Moyses magnus propheta, David magnus rex, Samson magnus fortitudine, Salomon sapientia, Elias sanctitate; Deus magnus in omnibus; Christus autem verus Deus.

et simul magna Dei misericordia, Christus.

Ad superandum magnum frigus requiritur magnus calor, ad eliminandam magnam obscuritatem magna opus est luce, ad vincendum mortiferum venenum adhibere oportet efficacissimum antidotum, ad superandum fortem athletam opus est fortiore. Quia autem mors magna est miseria, magna opus fuit virtute, magna misericordia.

1) Pericope huius diei Lc 7, 11-16. Cf. Missale Rom. 2) Lc 7, 13. 3) Cf. Nm 13, 33. 4) Lc 7, 16. 5) Ps 47, 2. 6) Ps 144, 3. 7) Ps 146, 5. 8) Ps 150, 2.

II. *Ecce defunctus*, adolescens. Ponitur adolescentis huius mors et non vita, nulla fit vitae mentio, quia homo Dei et naturae sententia prius est ad mortem damnatus, quam natus, quoniam vita brevissima est, ut sapiens ille ait: « Umbrae somnium », [9] non umbram dixit aut somnium, sed: « Umbrae somnium ». Hinc multa in Sacris Litteris legimus de brevitate vitae: *Vapor est ad modicum parens;* [10] *Priusquam ordirer succidit me;* [11] Dimitte me paululum, *ut glutiam salivam meam.* [12] Num multo tempore opus est ad salivam glutiendam? Sed vitae tempus multo brevius videtur.

Multa legimus in Scripturis de brevitate vitae.

Ecce defunctus. Non ponitur quot annis adolescens hic vixerit, quia apud Deum nulla habetur ratio temporis quod in vanitate sensus, non autem in cultu Dei et in operibus bonis expertum est. Hinc cum Saul multis regnasset annis, legimus quod duobus tantum regnavit annis. [13] Hinc quo tempore Hebraei coeperunt Deum colere, iussi sunt menses numerare: *Mensis iste principium mensium erit, primus in mensibus anni.* [14] Hinc legimus: *Novit Dominus dies immaculatorum.* [15] An non novit dies omnium hominum? *Numerus mensium eius apud te est;* [16] sed dies immaculatorum nosse dicitur, quia eorum tantum rationem habet, omne aliud tempus protritum est.

Apud Deum non computatur tempus in vanitate sensus protritum.

Ecce defunctus adolescens. Proponitur mors in adolescentia, quae quidem videtur esse venenum virtutis; hinc filius prodigus adolescens discessit a patre *et dissipavit* omnem *substantiam suam vivendo luxuriose.* [17] Mors autem antidotum est. Adolescentia veluti navis in mari est mundi et ventis exposita, sed mors veluti pondus et saburra ipsius est. Imo videtur mihi adolescentia sicut horologium, quod sine iustis ponderibus iustas horas minime pulsat aut indicat. Adolescentia est instar conspiciliorum coloratorum et absque iusta proportione; mors autem est sicut naturalis oculus aut ocularia materialia. Adolescentia est sicut bilanx absque iustis ponderibus, qua nihil iuste ponderari potest.

Mors non venenum, sed antidotum virtutis est.

III. *Ibat Iesus in civitatem.* Hodie Christus [iter habet] ad suscitandum filium viduae naimitis, sicut Eliseus iter habuit ad suscitan-

9) Pindarus in *Pythiis*, hymno 8. Cf. Dom. Nanus, *Polyanthea*, sub voce: *Vita*. 10) Iac 4, 15. 11) Is 38, 12. Vulg.: *Dum adhuc ordirer*, etc. 12) Iob 7, 19. 13) Cf. 1 Rg 13, 1. 14) Ex 12, 2. 15) Ps 30, 18. 16) Iob 14, 5. 17) Lc 15, 13.

dum filium mulieris sunamitidis.[18] Magnus propheta fuit Eliseus, magnus propheta Christus hodie dicitur. Ad hoc autem venisse in hunc mundum Christus dicitur, ut hominem a morte liberaret: *Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant;*[19] *Ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam;*[20] *Ego sum panis vivus qui de caelo descendi; qui manducat hunc panem vivit in aeternum;*[21] *Qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum.*[22] Omnes homines debitores erant mortis ratione peccati, nam *per peccatum mors et sic in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*[23] Ad solvendum autem Deo nostra debita Christus veluti fideiussor noster, mortem suam obtulit, veluti si multi debitores creditori alicui debeant multa millia aureorum, eorum autem fideiussor creditori offerat gemmam pretiosissimam, quae multo pluris aestimatur, satisfaciet sane pro omnibus. Ita actum nobiscum est. Christus hodie accessit et tetigit loculum, lignum mortis, quia pro nobis moriturus erat, sic mortuum suscitavit.

Christus venit ut morte sua homines a morte liberaret;

Sed quomodo Christus mortem destruxit, cum adhuc regnet mors in mundo, sicut ante Christi adventum? Christus in die iudicii mortem penitus destructurus erat, sicut Paulus ait: *Novissime inimica destruetur mors,* cum *sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur;*[24] nam si nunc per fidem Christi mors penitus esset sublata, fides sine merito esset omnesque fidem suscepissent, non spiritu ducti, sed sensu carnis. Per spiritum autem suum tulit horrorem mortis, sicut tulit gravitatem legis, hinc mors facta est desiderabilis: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius;*[25] *Cupio dissolvi et esse cum Christo;*[26] *Beati mortui qui in Domino moriuntur... ut requiescant a laboribus suis.*[27] Hinc veri Christi fideles in morte consolationem reperiunt, sicut Samson favum mellis in ore occisi leonis;[28] his enim mors non poena est, sed transitus ad quietem, portus securissimus salutis, porta paradisi, imo nativitas quaedam est ad vitam sempiternam in caelo.

sed solum in die iudicii eam penitus destruet;

nunc tamen horrorem mortis aufert.

18) Cf. 4 Rg 4, 29-36. 19) Io 10, 10. 20) Ibid. 3, 15. 21) Ibid. 6, 51. 59. Vulg.: *Vivet in aeternum.* 22) Ibid. 11, 26. 23) Rom 5, 12. 24) 1 Cor 15, 22. 27. Affert ordine inverso. 25) Ps 115, 15. 26) Phil 1, 23. Vulg.: *Desiderium habens dissolvi,* etc. 27) Apc 14, 13. 28) Cf. Idc 14, 5-8.

Sicut in utero matris paramur vitae corporis in mundo.

IV. Nam cum homo triplici vita sit praeditus, plantae, animalis et Angeli, in matris utero vivit vita plantae perfecta, nam nutritur et crescit, sed vita sensus quam imperfectissime, nam licet habeat sensus, nullo tamen utitur; egressus autem ex matris utero, utitur sensibus. Manifestum est autem quod in matris utero, quandiu manet perpetuo, disponitur ad perfectam vitam sensus in mundo, priusquam genitus homo in lucem hanc edatur, quia more plantae vivit nullisque sensibus utitur. Sufficit ei angustia uteri, loculus ille ac exigua domuncula, nam casula illa abunde sufficit generi vitae huius. Ad perfectam autem vitam sensus non item; quapropter egressus ex utero et novum genus vitae acturus sensibusque omnibus usurus, prodit in amplitudinem hanc sensuum officiis necessariam et convenientem.

sic in mundo paramur vitae perpetuae spiritus in caelo;

Qualis autem est vita uteri vitae mundi huius comparata, talis item temporalis haec aeternae vitae in caelo collata. In utero perfecta est vita plantae, sed animalis imperfecta. In hoc autem mundo perfecta est vita sensus, intellectus autem imperfectissima, nam cum intellectus capax sit omnium scientiarum, proculdubio maxima pars eorum quae scimus minima est eorum quae ignoramus et, ut Socrates aiebat, dicere quisque potest: « Hoc unum scio, quod nihil scio ». [29] In caelo perfecta erit vita intellectus, sicut hic vita sensus. Itaque sicut in utero paramur vitae corporis, ita quandiu manemus [30] in corpore, paramur vitae spiritus et mentis in caelo.

et ita in morte, quae finis est vitae praesentis, renascimur vitae aeternae.

Ex modo autem nascendi in hac mortalitate intelligi utcumque potest modus quo in morte renascimur in aeternitate. In matris utero formatur homo huic luci; hic autem formatur et pingitur aeternae luci. Itaque in morte, quae finis est vitae praesentis, parimur et renascimur vitae aeternae. Finis huius principium illius est, sicut finis vitae in utero principium est vitae in hoc mundo. Dum nascitur homo, moritur vitae in utero pereuntque integumenta et involucra illa, quibus infans in utero involutus erat; ita dum moritur homo, nascitur novae luci, perit autem corporis tegumentum. Exhorret infans exitum ex utero in hanc lucem, displicet sedem illam relinquere, hinc vagit et plangit, cum tamen ad multo meliorem vitam trans-

29) Diogenes Laertius *De Vita et Moribus Philos.*, lib. 2, pag. 72. 30) Ms.: *Manemur.*

eat. Sed dolet quia meliorem hanc minime novit; si nosset, gauderet, non doleret; ita homo exhorret vitae huius exitum, quia meliorem vitam non novit. Si homo in matris utero perfectus esset, non esset opus ut nasceretur; sed quia sensibus, quibus est natura praeditus, uti ibi non valet, egreditur in lucem hanc spatiosam et amplam. Ita si in hoc mundo omnibus esset [in] partibus suis perfectus, omnibus numeris absolutus. Sed quia talis in hoc mundo est vita mentis et intellectus qualis in utero erat vita sensus, propterea in morte transivit ex hoc in alterum mundum, sicut in ortu transivit ex utero in hunc mundum. Tanto autem amplior est praesenti hoc alter ille mundus, quanto hic spatiosior est modico gurgustiolo materni uteri. Dolor mortis eiusque timor ex imperfectione oritur, sicut in infante dum ex utero nascitur. Magnam esse cognationem et similitudinem inter nativitatem hominis et mortem fidelium - praeterquam quod quae celebrantur Sanctorum passiones et mortes natalitia dicuntur - etiam Dominus docuit dum ait: *Mulier, cum parit, tristitiam habet... cum autem pepererit filium, non meminit pressurae propter gaudium, quia natus est homo in mundum,* etc.[31]

V. *Ecce defunctus.* Mors in corpore imago quaedam peccati in anima est; cum enim mors soboles et propago peccati sit, et quidem infaustissima, supra modum horrenda, refert peccati imaginem, sicut filii parentum referre imaginem solent. Sicut enim mors divisio est animae a corpore, ita peccatum divisio ac separatio animae a Deo. Nam sicut homo exterior vivit anima, ita homo interior vivit spiritu Dei; sicut etiam mors spoliat corpus bonis omnibus, ita peccatum animam gratia Dei, caritate, meritis omnibus virtutum et bonorum operum. Mors reddit corpus, antea pulcherrimum et amatissimum, dilectissimum, sive filii sive sponsi aut uxoris, maxime deforme atque horribile, hinc quantocius sepulturae traditur et sub terra absconditur; talem etiam reddit animam nostram peccatum in oculis Dei, propterea in inferni sepultura collocatur, sicut legimus: *Mortuus est dives et sepultus est in inferno.*[32] Tandem mors reddit corpus omnino insensibile et sine motu; ita saepe peccatum reddit homi-

Mors in corpore imago est peccati in anima,

est enim peccatum separatio animae a Deo.

31) Io 16, 21. Vulg.: *Pepererit puerum*, etc. 32) Lc 16, 22.

nem omni sensu spirituali privatum ac penitus destitutum, ut quae ad Deum et ad salutem suam spectant, nec videat nec audiat et conscientiae vulnera omnino non sentiat. Sic multi bibunt quasi aquam iniquitatem,[33] *laetantur cum malefecerint et exultant in rebus pessimis.*[34]

Vere magnus Christus, quia homo-Deus;

VI. *Propheta magnus surrexit in nobis et quia Deus visitavit.* Ideo Christus magnus et supra modum magnus, quia homo et Deus simul est. Multos homines magnos legimus: Adam magnus fuit mundi totius principatu, Enoch magnus pietate, Noe magnus iustitia et sanctitate, Abraham virtute, Moyses divina auctoritate, Aaron pontificali dignitate, Samson fortitudine, David bonitate, Salomon sapientia, Elias duplici spiritu. Deus autem in omnibus magnus est; hinc ait Regius Vates: *Laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius.*[35] Quid est: *Secundum multitudinem magnitudinis?* Quia in multis magnus et maximus est, infinitus est potentia, sapientia, bonitate, iustitia, misericordia, caritate, sempiterna maiestate, gloria infinita. Christus autem magnus homo et maximus Deus; ipse enim lapis ille qui percussit statuam et postea crevit in immensum, factus mons magnus qui totum occupavit orbem;[36] item arbor apud Danielem, quae designabat mundi imperatorem et monarcham:[37] *Magnus Dominus et magna virtus eius et sapientiae eius non est numerus,*[38] *et magnitudinis eius non est finis.*[39]

magnus misericordia,

Sed singularis magnitudo divinae potentiae ac misericordiae in Divinis Litteris praedicatur, quoniam Deus Optimus Maximus est; multo magis autem bonitas et misericordia Dei quam potentia praedicatur: *Confitemini Domino,* laudate Dominum, *quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia eius.*[40] Hinc saepe dicitur: *Misericors et miserator,*[41] idest maxime misericors, misericordissimus.

simul et potentia,

In hodierno autem Evangelio simul misericordia Domini et potentia declaratur: *Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus dixit: Noli flere.*[42] Postea vero accedens ad loculum ait: *Adolescens, tibi dico: surge! Et* statim *resedit.*[43]

33) Cf. Iob 15, 16. 34) Prv 2, 14. 35) Ps 150, 2. 36) Cf. Dn 2, 34-35. 37) Cf. 4, 17-19. 38) Ps 146, 5. 39) Ps 144, 3. 40) Ps 135, 1. 41) Ps 85, 15; 110, 4; 144, 8. 42) Lc 7, 13. 43) Ibid. vrr. 14-15.

Propheta magnus surrexit. Magnus plane ostenditur Christus victoria mortis, nam in hunc mundum venit, ut contra mortem pugnaret, ut eam destrueret. Ioannes in *Apocalypsi* ait vidisse se Christum albo equo insidentem, qui arcum habens in manu, *exivit vincens ut vinceret;*[44] Daniel ait vidisse se arietem cornibus totum orbem ventilantem ad orientem, occidentem, austrum, aquilonem, sed ab hirco superveniente superatus est et ad nihilum redactus.[45] Ita plane mortis potentia a virtute Christi superata est et ad nihilum redacta. Hinc Petrus ait quod Christus *est in dextera Dei deglutiens mortem;*[46] nam, ut Isaias ait: *Devorabit mortem in sempiternum,*[47] et per Oseam: *Ero mors tua, o mors,*[48] sicut lux mors est tenebrarum.[49]

sicut ostenditur hodie in victoria sua supra mortem.

44) 6, 2. 45) Cf. 8, 2-7. 46) 1 Petr 3, 22. 47) 25, 8. Vulg.: *Praecipitabit mortem.* 48) 13, 14. 49) Codex duas paginas exhibet scriptas quidem, sed lineis transversum ductis veluti cancellatas, quas nos hic in nota inserere decrevimus.'

Ecce defunctus efferebatur. Occurrunt sibi hodie magnitudo humanae miseriae et magnitudo divinae misericordiae. Magnitudo humanae miseriae est: *Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suae; et haec vidua erat;* magnitudo autem divinae misericordiae: *Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus* est. Occurrunt etiam sibi duo potentissimi principes cum exercitibus suis, nam cum Christo *ibant discipuli et turba copiosa;* sequebantur eum tanquam exercitus ducem. Mors etiam veluti regina Amazonum cum exercitu est, nam: *Turba civitatis multa cum illa.* Sed vicit Christus insuperabilem mortem, quoniam Deus magnus est; non enim precibus hunc suscitavit, sicut Elias filium viduae et Eliseus filium sunamitidis, sed imperio.

Ibat Iesus in civitatem. Iter Christi ostenditur nostri causa institutum ad mortuum suscitandum, sicut fuit iter Elisei a monte Carmelo ad suscitandum filium sunamitidis, quem Giezi missus cum virga ipsius suscitare minime potuerat. Ad hoc venit Christus in mundum, ad hominem a morte duplici liberandum, ad salvandum hominem.

Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus. Miro modo consolatus est hodie Dominus afflictissimam hanc viduam. Respicit quam clementissime misericordissimus Dominus afflictas animas easque consolatur. Sic vidit afflictionem populi sui in Aegypto et descendit ut consolaretur eos, et ad hoc misit Moysen, qui divina virtute fretus, in libertatem eos potenter asseruit.

Ecce defunctus efferebatur. Duo spectacula habemus in hodierno Evangelio: alterum quidem valde horribile, alterum vero valde delectabile; spectaculum mortis et spectaculum resurrectionis; illud ex humana infirmitate, hoc autem ex divina potestate. Constat hic mundus oppositis; sicut in eo lux et tenebrae, dies et nox, aestas et hiems, ita in hodierno Evangelio videmus opposita: in morte quidem magnam violentiam et summam crudelitatem, in Christo autem divinam potentiam, qua mortis victoriam superat, divinamque pietatem et clementiam: *Misericordia motus.*

Magna vis mortis, quae et vires omnes naturae, fortunae et artis in mundo superat; naturae quidem, quoniam adolescens erat hic defunctus, in flore aetatis, validis viribus; fortunae, quoniam dives erat valde; artis, quoniam in civitate vita functus est, ubi multi medici, multae medicinae, multa remedia. Sed in cassum omnia; mors vires omnes superavit naturae, fortunae et artis. Magna etiam crudelitas mortis, quoniam *defunctus efferebatur filius unicus matris suae, et haec vidua erat.* Sed contra haec duo ex opposito sunt divina Christi potentia et pietas; hinc nanque propheta dicitur magnus, duplici Eliae spiritu praeditus.

Coniunguntur in hoc Evangelio duo haec spectacula, mortis et vitae, quorum illud quidem spectaculum est divinae iustitiae, hoc autem divinae misericordiae; *misericordia motus super eam.*

Sicut David videns agnum in ore leonis, invasit leonem agnumque ex ipsius faucibus

Appendix

Duo spectacula haec in hodierno Evangelio sunt veluti duae arbores in paradiso: arbor scientiae boni et mali, idest arbor mortis et arbor vitae;[50] nam primum spectaculum est peccati stipendium, ut Paulus ait: *Stipendia peccati mors;* secundum vero est praemium virtutis: *Gratia autem Dei vita aeterna.*[51] O utinam duo haec perpetuo contemplaremur! Nam ab initio Deus duo haec posuit ante oculos parentum nostrorum: poenam peccati et praemium virtutis.[52]

ALIA HOMILIA [1]

Ecce defunctus efferebatur. [2]

Quattuor conditiones assignantur huius defuncti.

I. Quattuor conditiones assignantur huius defuncti; quod erat iuvenis extinctus in ipso iuventutis flore; quod unicus, idest unigenitus matris; quod orbatus erat patre, orphanus, iam extincto patre sublatus, et tandem quod dives erat, hinc enim *turba civitatis multa cum illa;*[3] magno cum honore celebrabantur ipsius funeralia, magna cum funerali pompa portabatur ad sepulcrum.

Mors non est creatura Dei.

Ecce defunctus efferebatur. Proponitur mortis spectaculum quasi novum quid et insolitum, ac si homines natura essent immortales, cum tamen omnes moriamur et instar aquarum fluminis omnes dilabamur in amarum hoc mare mortis. Mundus tamen vix dum cognoscit quidnam sit mors. Cum igitur mors mundo semper nova sit et veluti insolita, satagendum ut videamus quidnam sit mors. In primis autem mors non est creatura Dei, nam *Deus mortem non fecit nec laetatur in perditione vivorum,* ut *Sapientiae* 1 dicitur,[4] neque enim inter creaturas Dei mors computatur.

Divinae Litterae nunc quidem laudant mortem: *Pretiosa in*

eripuit, ita hodie Dominus egit cum morte, quae fortissima et crudelissima leaena est: videns hodie adolescentem hunc in ore mortis, eam invasit, et ex ore faucibusque ipsius adolescentem potenter eripuit.

Duo spectacula habemus: alterum moestitiae, alterum vero consolationis. Iubet Paulus consolari nos in morte carorum ex spe futurae resurrectionis: *Ut non contristemini sicut et ceteri qui spem non habent,* spem utique futurae vitae ac futurae resurrectionis. Ponitur contra morbum medicina, contra venenum antidotum; sciendum tamen quod *omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*». Deinde aliquibus lineis albis relictis, sequitur appendix. 50) Cf. Gn 2, 9. 51) Rom 6, 23. 52) Cf. Gn 2, 16-17.

1) Atramento nigriori exarata. 2) Lc 7, 12. 3) Ibid. 4) Vr. 13.

conspectu Domini mors Sanctorum eius;[5] *Beati mortui qui in Domino moriuntur... ut requiescant a laboribus suis.*[6] Sic aliquando non solum requies et sabbatismus populi Dei,[7] verum etiam somnus dicitur: *Obdormivit in Domino,*[8] sic ait ille: *Moriatur anima mea morte iustorum.*[9] Sic mors desiderabilis ostenditur: Obsecro *Domine, tolle animam meam*[10] a me; *Cupio dissolvi et esse cum Christo;*[11] sic Christus mortem desideravit, nam ait: *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum.*[12] Aliquando vero mors vituperatur: *Mors peccatorum pessima;*[13] et: *Quam amara est, mors, victoria tua!*[14] Hac de causa hodie cives Naim mortem a se expellunt; qui autem cum Christo peregrinantur, obviam illi pergunt et funeri appropinquant, nam *accessit et tetigit loculum.*[15]

Mors in Scripturis nunc laudatur, nunc autem vituperatur.

Laude digna videtur mors, quoniam ministra est divinae iustitiae et quidem optima, incorruptibilis:

> «Aequo pulsat pede pauperum tabernas
> Regumque turres»;[16]

veluti rectissima norma et regula est iustitiae Dei, nam omnia aequat. Laude digna, quoniam magistra est verae philosophiae; ipsa vere docet quidnam sit mundus cum omnibus bonis suis, quid divitiae, quid voluptates, quid honores mundi huius et dignitates, quid regna et imperia: *Vanitas vanitatum et omnia vanitas.*[17] Bona est, quoniam antidotum est contra peccatum: *In quocumque die comederis... morte morieris;*[18] pharmacum praeservativum a morte peccati, a morte, inquam, spiritus per separationem a Deo. Hoc pharmacum praeripuit satanas cum ait: *Nequaquam moriemini.*[19] Bona est, quoniam poena peccati est: *Stipendia peccati mors;*[20] punitio autem scelerum utilissima reipublicae est; ad hoc enim instituti sunt magistratus cum potestate gladii. Bona mors est, quoniam finis est omnium miseriarum huius mundi, finis vitae temporaneae, miserabilis, mille calamitatibus obnoxiae, et principium vitae perpetuae, beatissimae in caelo. Bona, quia nexus quidam est temporis et aeter-

Bona est mors, quia ministra divinae iustitiae, magistra verae philosophiae,

finis miseriarum vitae,

5) Ps 115, 15. 6) Apc 14, 13. 7) Cf. Hebr 4, 9. 8) Act 7, 59. 9) Nm 23, 10. 10) 3 Rg 19, 4. 11) Phil 1, 23. Vulg.: *Desiderium habens*, etc. 12) Lc 22, 15. 13) Ps 33, 22. 14) Eccli 41, 1. Affert ordine inverso. 15) Lc 7, 14. 16) Horat. *Odae*, lib. 1, od. 4, vrr. 13-14. 17) Eccle 1, 2. 18) Gn 2, 17. 19) Ibid. 3, 4. 20) Rom 6, 23.

transitus a terra in caelum; nitatis, transitus a terra in caelum. Bona tandem, quia purgat mundum malis hominibus, qui pestes sunt reipublicae.

mala autem quia mundum privat optimis viris. E contra, vero, mala est, quoniam privat mundum optimis principibus, Ecclesiam optimis Episcopis, domos optimis patribus, scholas optimis magistris, hominem omnibus mundi huius bonis. Multa mala intulit mundo: diluvium, ignis Pentapolis, fames Aegypti, bella, pestes, animalia noxia. At vero diluvium reliquit nonnullos homines,[21] fames non omnes occidit, non omnes gladius, non omnes pestis; at mors penitus omnes, nam *omnes morimur et sicut aquae dilabimur, quae non revertuntur.*[22] Mors est veluti perpetuum exilium cum publicatione omnium bonorum, ita ut nudus eiiciatur; ita hodie eiicitur defunctus ex civitate.

magna est miseria mortuorum et afflictio vivorum. Item quod magna sit miseria mortuorum et afflictio vivorum, hinc nanque Dominus hodie misericordia motus est et afflictissimae matri defuncti dixit: *Noli flere.*[23] In magnum statum miseriae redactus fuit Iob,[24] Samson,[25] Nabuchodonosor, sicut praedixerat ei D a n i e l visionem arboris interpretatus.[26] Sed omnis alia miseria vix comparari potest miseriae, ad quam redigitur homo in morte, cum bonis omnibus et sensu etiam ac vita privatur, ita ut etiam unicus filius amantissimae parenti per mortem reddatur horribilis, nedum dolore maximo lacrimabilis; hinc defunctus hic non sepelitur in domo matris, sed extra civitatem etiam.

et multis porta inferni. Proponitur etiam spectaculum hoc in porta, quoniam mors porta quaedam est, sed his quidem porta paradisi, ut Lazaro mendico, illis autem porta inferni, ut diviti epuloni;[27] in porta nanque fiebant iudicia. Proponitur mortis spectaculum in loco iudicii, quoniam tunc iudicatur homo; sed hic quidem ad salutem et felicitatem aeternam in paradiso, ille vero ad perpetuam damnationem et cruciatum in inferno: *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium.*[28]

II. Cum in hodierno Evangelio duo spectacula habeamus, alterum mortis, alterum resurrectionis et vitae, illud ostendit quidnam

21) Cf. Gn 7, 23. 22) 2 Rg 14, 14. 23) Lc 7, 13. 24) Cf. Iob 1, 13-21; 2, 7-8. 25) Cf. Idc 16, 21. 26) Cf. Dn 4, 17-30. 27) Cf. Lc 16, 19-22. 28) Hebr 9, 27.

Duo ostenduntur hodie: mundus regnum mortis.

sit mundus, nempe mortis regnum et imperium, sicut Paulus *ad Hebraeos* ait: *Ut destrueret eum qui tenebat mortis imperium;* [29] hinc reperitur mors in porta civitatis, ubi praetorium esse solebat, sedes principis et magistratus. [30] Pulcher quidem hic mundus est, sed tamen omnia interitui et corruptioni obnoxia sunt, omnia morti subiecta. Scena quaedam tragoediae flebilis et funestissimae est hic mundus; en mors; *ecce defunctus,* en lacrimae: *Noli flere*: Non est homo qui vivat et non moriatur: *Quis est homo qui vivet et non videbit mortem?* [31]

Christus vero mortis destructor et vitae auctor,

Alterum vero spectaculum ostendit quidnam sit Christus, nempe consolator afflictorum viventium, destructor mortis, suscitator mortuorum vitaeque auctor, hinc dictus est propheta magnus: *Accepit autem omnes timor et magnificabant,* sive glorificabant, *Deum dicentes: Quia propheta magnus surrexit in nobis et quia Deus visitavit plebem suam,* [32] sicut olim visitare solebat per Prophetas sanctissimos. *Propheta magnus,* quia magnum miraculum operatus est. Recenset Lucas, post curationem servi centurionis, [33] quam Matthaeus scribit post curationem leprosi: magnum fuit opus solo verbo curare leprosum: *Volo, mundare. Et statim mundata est lepra eius.* [34] Maius sanare paralyticum, qui iam animam agebat: *Sicut credidisti fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.* [35] Mortuum autem suscitare solo imperio: *Adolescens, tibi dico: surge,* [36] maximum est. Magnus David agnitus est cum gigantem occidit. [37] Sed infinitis partibus maior Christus qui mortem, omnium gigantum victricem, superavit. Magnus propheta, magnus miraculorum operator et magnus item consolator, quia magnus benefactor: *Mulier, noli flere... et dedit illum matri suae.* [38] Magna haec fuit consolatio, sicut magna erat afflictio. Sic magnus est Dominus moestorum et afflictorum consolator, quia magna est misericordia eius: *Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit: Noli flere.* [39]

magnus miraculorum operator

et afflictorum consolator.

Ostenditur in hodierno Evangelio quod Dominus sit consolator afflictorum etiam in rebus desperatissimis. Sicut enim Elias conso-

29) 2, 14. 30) Cf. Prv 31, 23. 31) Ps 88, 49. 32) Lc 7, 16. 33) Cf. Ibid. vrr. 2-10. 34) Mt 8, 3. Vulg.: *Et confestim*, etc. 35) Ibid. vr. 13. 36) Lc 7, 14. 37) Cf. 1 Rg 17, 41-51. 38) Lc 7, 15. 39) Ibid. vr. 13. Duabus lineis albis relictis, sequitur atramento clariori et stylo valde latiori.

latus fuit viduam sareptanam, ita Dominus, propheta magnus, consolatus fuit hodie viduam hanc atque ad eam consolandam usus est corde et oculis: *Cum vidisset* eam, *misericordia motus* est super eam; usus verbis: *Dixit ei*: *noli flere;* usus manibus pedibusque: *Accessit et tetigit loculum,*[40] atque ad consolationem afflictae huius viduae sola misericordia motus divinum hoc miraculum operatus fuit, [ipse] cui nec potestas deesse potest nec voluntas ad consolandum.

Saepe Deus appellatur afflictorum consolator.

Saepe in Divinis Litteris Deus appellatus est consolator afflictorum et ad hoc praecipue mittebat olim Prophetas, ad hoc misit Moysen, primum Prophetarum, ad hoc tandem misit et Filium et Spiritum Sanctum, unde uterque dictus est *Paracletus,* consolator: *Rogabo Patrem et alium Paracletum dabit vobis... Spiritum veritatis.*[41] Sed specialiter Christus dictus est consolator, qui venit *illuminare iis qui in tenebris* sedebant *et umbra mortis*[42] et *sanare contractos corde.*[43]

40) Lc 7, 14. 41) Io 14, 16-17. 42) Lc 1, 79. 43) Ibid. 4, 14. Ex Is 61, 1. Vulg.: *Contritos corde.* Quattuor paginis albis relictis, transit ad feriam sequentem.

FERIA SEXTA INFRA HEBDOMADAM QUARTAM QUADRAGESIMAE

Erat quidam languens Lazarus de Bethania, de castello Mariae et Marthae sororum eius. [1]

Hodiernum miraculum corona est miraculorum Christi,

I. Illustrissimum miraculum, quod est corona miraculorum Christi, sol iter sidera, proponitur in hodierno Evangelio, opus omnipotentis bonitatis et infinitae caritatis Christi; caritas autem regina virtutum est. Mirabilis plane effectus, sed multo mirabilior causa. Suscitavit Christus Lazarum, quia amicus erat Lazari, ait enim: *Lazarus amicus noster dormit, et vado ut a somno excitem eum.* [2]

et multis titulis ostenditur eius magnitudo.

Multis et quidem honestissimis titulis, ostenditur in hodierno Evangelio magnitudo Christi; appellatur enim resurrectio et vita: *Ego sum resurrectio et vita;* [3] appellatur Messias: *Ego credidi quia tu es Christus Filius Dei;* [4] appellatur verus Deus: *Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam;* [5] *Si credideris videbis gloriam Dei;* [6] sed utique ad ostendendum quam magnus et potens sit amicus iste. Hinc enim recte sol et lux mundi appellatur: *Nonne duodecim horae sunt diei?* Num ante horam duodecimam occidit sol? *Qui ambulat in die, non offendit, quia lucem mundi huius videt,* [7] idest sicut qui in die ambulat securus est a periculis viae, a quibus securi non sunt qui noctu iter faciunt luminis beneficio destituti, ita nihil vobis timendum est quandiu mecum fueritis. Sol autem recte dictus est, quoniam sicut sol ad disiiciendas dissipandasque tenebras potentissimus est, ita Christus ad mala omnia a nobis depellenda servandosque nos ab omnibus periculis incolumes.

1) Pericope huius diei Io 11, 1-45. Cf. Missale Rom. 2) Io 11, 11. 3) Ibid. vr. 25. 4) Ibid. vr. 27. 5) Ibid. vr. 4. 6) Ibid. vr. 40. 7) Ibid. vr. 9. Vulg.: *Si quis ambulaverit,* etc.

Hodie Christus se exhibet verum amicum.

II. Primo autem omnium ostenditur verus amicus: *Diligebat autem Dominus... Lazarum;*[8] *Ecce quem amas infirmatur;*[9] *Ecce quomodo amabat eum;*[10] *Lazarus amicus noster.*[11] Non dicat Aristoteles quod inter Deum et hominem non potest intercedere amicitia, quoniam non invenitur inter Deum et hominem conversatio, similitudo et paritas mutuaque ac reciproca benevolentia.[12] Sed Aristoteles forte bonus philosophus fuit, sacram autem theologiam et Divinas Litteras penitus ignoravit.

Deus hominem maxime diligit.

In Divinis autem Litteris homo factus est *ad imaginem et similitudinem Dei.*[13] Deus hominem maxime diligit ut pater filium. Conversatus fuit Deus cum Adam in paradiso,[14] cum Moyse in monte Sinai sicut amicus cum amico;[15] de Enoch legimus quod *cum Deo ambulavit,*[16] idipsum etiam de Noe et quod *invenit gratiam coram Domino;*[17] Abraham *amicus Dei appellatus est.*[18] Accidit hac in re Aristoteli sicut Chaldaeis, quibus iussit rex Nabuchodonosor ut somnium, quod somniatus fuerat et oblitus erat, divinarent et interpretarentur. Cui illi responderunt hoc diis tantum possibile esse, *quorum non est cum hominibus conversatio,*[19] et tamen Daniel, homo Divino Spiritu afflatus, illud et divinavit et interpretatus verissime fuit.[20] Non igitur erat omnino impossibile, ut illi existimavere.

In vera amicitia aequalitas non requiritur,

Non requiritur in vera amicitia aequalitas, nam pater diligit filium infantem verissimo amore amicitiae et optimus rex fidelem servum virtutis causa. Nec requiritur familiaritas, nam aliquando etiam inter longe distantes, qui sese nunquam de aspectu noverunt, per litteras contrahitur vera amicitia, et aliquando minister aliquis regi suo fidelissime servit, quem nunquam vidit et regi virtutis ergo carissimus est, licet non sit familiaris regi. Filius etiam diligere potest patrem, quem nunquam de praesentia novit, cum pater vel belli vel negotiorum causa annis multis domo abfuerit. Sic igitur inter Deum et hominem intercedere potest amicitia, qualis est inter patrem et filium.

sicut nec inter patrem et filium.

8) Ibid. vr. 5. 9) Ibid. vr. 3. 10) Ibid. vr. 36. 11) Ibid. vr. 11. 12) Cf. *Ethicorum Nicom.*, lib. 8, cp. 9. 13) Gn 1, 26-27; 9, 6. 14) Cf. 2, 16-17. 15) Cf. Ex 33, 11. 16) Gn 5, 22. 24. 17) Ibid. 6, 8. 18) Iac 2, 23. 19) Dn 2, 11. 20) Cf. ibid. vrr. 31-45.

Licet autem filius, qui patrem nunquam novit praesentem, diligat eum, multo magis tamen a patre diligitur, hinc saepe paternus amor sollicitat, impellit, cogit patrem trahitque ad videndum filium, ut illius dulci praesentia fruatur; non sic autem amor filium urget desiderio videndi patrem. Sic divinus erga nos amor Deum coegit ut ad nos veniret similis nobis factus: *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu* etc.,[21] ita ut sic inter Deum et hominem intercedere posset amicitia vera et numeris omnibus absoluta.

Vehemens amor Deum coegit ut ad nos veniret similis nobis factus.

III. *Lazarus amicus noster dormit.* Videtur hodiernum Evangelium paradoxa quaedam continere; hinc quidem indicia et certissima signa effectusque verae amicitiae, hinc vero opposita. Nam, cum Christus omnia nosset, Dei nanque in proprium est omnia nosse, sicut omnia posse, sciens igitur quod Lazarus in gravem languorem incursurus erat, relinquit eum, discedit a Bethania, imo a Iudaea in Galilaeam.[22] Unde utraque soror conqueritur: *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.*[23] Deinde per nuntium a sororibus missum certior factus de Lazari periculoso statu: *Domine, ecce quem amas infirmatur,* ipse tamen nihil movetur: *Infirmitas haec non est ad mortem;* mansit ibi duos dies.[24] Permittit Lazarum morbo magis magisque gravari et mori, unde Iudaei: *Non poterat hic, qui aperuit oculos caeci nati, facere ut hic non moreretur?*[25] Si potuit illud, cur non istud? si potuit, cur non praestitit? Praeterea, cognita morte Lazari, non ostendit signum aliquod tristitiae vel minimum, sed potius laetitiae: *Lazarus,* inquit, *mortuus est et gaudeo.*[26] Quidnam hoc signum amicitiae, gaudere de morte amici? Et tamen diligebat Lazarum: *Ecce quem amas; Ecce quomodo amabat eum; Lazarus amicus noster.*

Christus non videtur hodie verus esse Lazari amicus,

quem tamen maxime diligebat;

Sed agere coactus est Dominus sicut medicus peritissimus cum infirmo, qui stomacho et iecore laborat: bona medicamenta pro stomacho, qui calidis opus habet, iecori officiunt, cui frigida necessaria sunt; quae uni iuvamen, alteri perniciem afferunt. Quid ergo agendum? Curanda prius pars principalior, huius potissimum

sed distulit Lazarum curare in corpore,

21) Phil 2, 7. Vulg.: *Semetipsum exinanivit.* 22) Cf. Io 10, 40. 23) Ibid. 11, 21-32. 24) Cf. ibid. vr. 6. 25) Ibid. vr. 37. 26) Ibid. vrr. 14-15.

habenda est ratio; tunc facile curabitur altera. Venit Christus in hunc mundum medicus salutis animarum et corporum. Laborabat Lazarus languore mortali in corpore, laborabant Iudaei morbi infidelitatis in anima. Quid curandum prius? Pars principalior. Si Christus Lazarum infirmum miraculo curasset, miraculum hoc ad fidem vix quidquam profecisset, salutem tribuissent vel naturae, vel arti medicorum et virtuti medicaminum. Pereat igitur corpus, detur opera saluti animae, moriatur corpore Lazarus, sepeliatur, maneat in sepulcro, putrescat cadaver, ita ut foeteat sitque putridi cadaveris foetor verae mortis certissimus testis.[27] Tunc Dominus, tanquam optimus peritissimusque medicus, uno medicamine curat utramque partem; suscitat Lazarum et curat incredulitatis morbum. *Multi* nanque *ex Iudaeis*, cum vidissent quod fecerat Iesus signum, *crediderunt in eum.*[28] Sicut autem Dominus Paulo dixit quod *virtus in infirmitate perficitur,*[29] sic accidit hodie. Fides enim in Iudaeorum mentibus nata, in fidelium autem Christi cordibus praesenti miraculo miris accessionibus profecit.

ut eum suscitando Iudaeos curaret in anima.

IV. *Lazarus amicus noster.* Videtur Dominus amicos suos in hoc mundo male tractare et odisse potius quam diligere; patet in populo suo sub Pharaone in Aegypto,[30] patet in Iacob,[31] in Ioseph,[32] in Iob,[33] in Moyse, in David sub Saule,[34] in Elia sub Iezabele,[35] patet hodie in Lazaro et sororibus. Et tamen non ita est; sed sicut de Lazari infirmitate dixit: *Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei,* ita de quacumque tribulatione iustorum censendum est.

Deus aliquando videtur amicos suos in hoc mundo male tractare;

Caritas, qua motus hodie Christus in Iudaeam venit ad Lazarum amicum suscitandum, ea est quam Salomon in *Proverbiis* insinuavit, dicens quod *omni tempore diligit qui amicus est,*[36] imo quam in *Canticis* descripsit: *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio; lampades eius lampades ignis atque flammarum. Aquae multae non potuerunt extinguere caritatem nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam domus suae pro*

sed, e contra, eos maxime diligit,

27) Cf. ibid. vrr. 14-15. 28) Ibid. vr. 45. 29) 2 Cor 12, 9. 30) Cf. Ex 1, 7 sqq.; 5, 1 sqq. 31) Cf. Gn 27, 41-45. 32) Cf. ibid. 37, 23-28; 39, 7-20. 33) Cf. Iob 1, 12-19; 2, 7-8. 34) Cf. 1 Rg 18, 8-17; 9, 9-18. 35) Cf. 3 Rg 9, 1-4. 36) 17, 17.

dilectione, quasi nihil despiciet eam.[37] Mors est invincibilis, infernus autem insatiabilis, sicut ipsemet in *Proverbiis* ait.[38] Est etiam sicut ignis caritas, qui *nunquam dicit: sufficit;*[39] sicut ignis autem non qualiscumque, sed magnus: *Prunae eius prunae ignis flammae Dei;*[39a] sed ignis inextinguibilis, quem nec flumina aquarum possunt extinguere. Talis, inquam, extitit caritas Christi erga nos: invincibilis, insatiabilis, insuperabilis omnino; imo vitam ipsam veluti contempsit ac manifesto periculo exposuit Dominus pro salute Lazari: *Rabbi, nunc quaerebant te Iudaei interficere et iterum vadis illuc?*[40]

adeo ut vitam propriam etiam contemnat,

Suscitatus Lazarus vere dicere potuit Domino cum Regio Vate: *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo et glorificabo nomen tuum, quoniam magna est misericordia tua super me et eruisti animam meam ex inferno inferiori.*[41] Potissima autem causa gratiarum actionis et laudis est: *Quoniam magna est misericordia tua super me,* magna pietas, magna caritas: *Maiorem caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis,*[42] hoc est ut pro amicis nec vitae suae parcat, sed magna etiam pericula subeat, nam amor vehemens vincit metum: *Perfecta caritas foras mittit timorem.*[43]

ut ostendit hodie erga Lazarum.

V. *Erat quidam languens Lazarus a Bethania.* Proponitur in hodierno Evangelio exemplum resurrectionis mortuorum, quae fiet in novissimo die: *Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die,*[44] quod mysterium est et quidem admodum principale christianae philosophiae, licet derisum et exsibilatum[45] ab inani et deceptrice philosophia. Nam, cum Athenis Paulus praedicasset resurrectionem mortuorum, multi philosophorum eum deridebant,[46] non credebant divinis Prophetarum oraculis et credebant poetarum fictis mendaciis fabulisque inanibus: quod Iovis opera suscitatus fuerit Pelops[47] et filius Callistonis;[48] quod defunctus Castor Pollucis intercessione

Habemus hodie exemplum resurrectionis mortuorum,

37) 8, 6-7. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg. In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Non potuerunt.* 38) Cf. 27, 20. 39) Ibid. 30, 16. 39a) Ct 8, 6. Ex hebraico. 40) Io 11, 8. 41) Ps 85, 12-13. 42) Io 15, 13. Vulg.: *Maiorem hac dilectionem,* etc. 43) 1 Io 4, 18. 44) Io 11, 24. 45) Ms.: *Exibilitum.* 46) Cf. 17, 16-32. 47) Cf. Hyginus *Fabulae,* fab. 83-84; Natalis Comes *Mythologiae,* lib. 6, cp. 18, pag. 534. 48) Idest Arcas. Cf. Hyginus *Fabulae,* fab. 176.

ab ipso sit vitae redditus et immortalitatis particeps factus;[49] quod ab Hercule suscitata[50] fuerit Alceste;[51] quod ab Aesculapio Hippolytus, qui propterea dictus est Virbius.[52] Haec minime ridebant, nec cachinnis prosequebantur, quod Plato in ultimo *De Republica* ait ab inferis rediisse Herum Pamphylum armenum multaque nunciasse de bonis et malis, quae post hanc vitam apud inferos probos et malos manent.[53] Non ridet inanis philosophia quae Plinius, licet saepe saepius mendacissimus, scribit de his qui revixere, singulariter vero de Corfidio, equestris ordinis maiore et de Gabieno Caesaris classiario.[54] Ridet autem pietatis nostrae divinissima mysteria, quoniam nemo est reversus ab inferis, quoniam a privatione ad habitum non datur regressus. Sed, bone Deus, quam plumbeis pugionibus pugnat contra fidem inanis philosophia! quam futilibus utitur argumentis! Nemo est reversus ab inferis. Quid inde? Ante nostrum saeculum nemo ab Indiis, nostra hac tempestate repertis, a novo orbe, ab antipodibus ad nos comparuit. Ergo non extabant regiones Americae? regiones novi orbis?

de qua ridet stulta philosophia.

At impossibilis est mortuorum resurrectio, quoniam non datur a privatione ad habitum reditus. Quid ergo? Nemo a somno redit ad vigiliam? a languore ad sanitatem? a mala ad bonam valetudinem? ab ignorantia ad scientiam? ab oblivione ad reminiscentiam? a vitio ad virtutem?

tanquam de re impossibili;

Sed dico: quodnam maius est, generari et nasci hominem, an suscitari? Demus arti semen ex quo generatur homo et cadaver mortui hominis: quodnam difficilius est? modico illo semine totum formare hominem, an formatum corpus animare? ex nucleo magnam creare arborem, an iam formatam sed arefactam revivificare? Ad quodnam plura requiruntur? Utrumque arti impossibile est. Sed quodnam impossibilius?

Est quidem naturae impossibilis mortuorum resurrectio, sed non Deo, sicut arti procreatio vivi animalis, sed non naturae. Hinc Dominus fidem mysterii huius a nobis requirit: *Ego sum resurrectio et*

sed impossibilis est naturae, non Deo.

49) *Cf.* Natalis Comes op. cit., lib. 8, cp. 8, pag. 724-727. 50) Ms.: *Suscitatus*. 51) Alceste Adameti Pheraeorum regis coniux, quae tanto amore maritum dilexit, ut pro eo sponte mortem subire non recusaverit. Hyginus op. cit., fab. 51. 251, Natalis Comes op. cit., lib. 7, cp. 1, pag. 589. 52) Cf. Ovid. *Metamorph.*, lib. 15, vrr. 497 sqq.; Natalis Comes op. cit. lib. 4, cp. 11, pag. 315. 53) Dialog. 10, lib. 31, pag. 385. 54) *Hist. Nat.*, lib. 7, cp. 52, pag. 123.

vita; qui credit in me etiam si mortuus fuerit vivet, et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum. Credis hoc? [55] *Si credideris, videbis gloriam Dei; Gaudeo propter vos, ut credatis; Ut credant quia tu me misisti.* [56]

VI. Mortuorum resurrectio principalis fidei nostrae articulus est; hodie autem futurae resurrectionis in suscitatione Lazari datur exemplum. Quare Ioannes miraculum hoc, quod omnium miraculorum Christi corona est, diligentissime describit et tanquam optimus philosophus omnes causas ipsius recenset: efficientem Christum, materialem Lazarum, formalem modum quem tenuit Christus ad suscitandum eum, finalem pro gloria Dei.

Mortuorum resurrectio principalis articulus est fidei.

Magnum miraculum hoc quoad effectricem causam, hinc Christus, miraculi auctor, multis nominibus hodie appellatur: *Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, non morietur in aeternum; Ego credidi quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti;* [57] appellatur lux mundi huius, idest sol, appellatur Filius Dei et verus Deus: *Pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam; Si credideris videbis gloriam Dei,* quoniam plane ad mortuum suscitandum divina requiritur omnipotentia. Naturae enim impossibile est; solus Deus mortuos ad vitam revocare potest; Christus autem, tanquam verus Deus, in *Apocalypsi* dicitur habere claves mortis et inferni, [58] hoc est ita posse mortuos suscitare, sicut vinctos de carcere educere quisquis claves carceris habet. Ad ostendendum autem quam facile sit divinae potestati mortuum suscitare, appellat mortem somnum: *Lazarus amicus noster dormit, et vado ut a somno excitem eum.* [59] Sic tanquam dormientem gravi profundoquo somno pressum, voce clamans excitat et suscitat eum: *Clamavit voce magna: Lazare, veni foras. Et statim prodiit,* [60] veluti a somno excitatus.

Suscitatio Lazari miraculum magnum est a causa effectrice, Christo,

qui ostenditur verus Deus;

Magnum etiam miraculum quoad causam materialem. Nam Lazarus suscitatur, homo nobilis, dives, potens, fama clarus, hinc multi Iudaeorum venerant ab Ierosolymis ad Martham et Mariam consolandas. [61] Sustinet autem personam generis humani, nam La-

a causa materiali, Lazaro,

55) Io 11, 25-26. 56) Ibid. vr. 42. 57) Ibid. vr. 27. 58) Cf. 1, 18.
59) Io 11, 11. 60) Ibid. vrr. 43-44. 61) Cf. ibid. vr. 31.

figura hominis maxime a Deo dilecti;

zarus in adiutorium interpretatur. Homo autem est, in cuius adiutorium a Deo condita sunt universa, cuius causa Deus omnia fecit, omnia operatur in mundo et in Ecclesia, cuius causa Unigenitus Filius Dei venit in mundum, sicut hodie Christus a Galilaea in Iudaeam ad Lazarum suscitandum. Mirabile dictu, quanti Deus facit hominem, quanti Christus Lazarum fecit, ut illius causa longum iter instituerit, magno etiam cum vitae discrimine, unde mirantur Apostoli: *Rabbi, nunc quaerebant te Iudaei lapidare, et iterum vadis illuc?* [62] Christus tamen ad Lazarum suscitandum vitam etiam suam visus est contempsisse.

a causa formali

Magnum miraculum quoad causam formalem. Non enim suscitavit Dominus Lazarum sicut filiam archisynagogi [63] aut filium viduae naimitis, [64] solo imperio, sed multis usus est caeremoniis, sicut Elias cum suscitavit filium viduae sareptanae, [65] sicut Eliseus suscitans filium mulieris sunamitidis. [66] Ad suscitandum Lazarum venit Bethaniam, infremuit spiritu, semel et iterum turbavit semetipsum, iussit aperiri sepulcrum, oravit et tandem, post lacrimas, iussit eum surgere: *Voce magna clamavit*: *Lazare, veni foras.* Ostendit Dominus quod ad salutem hominis multis opus fuit. Nam qui solo iussu mundum universum creavit, hic non solo iussu mundum universum suscitavit, sed multa fecit.

et a causa finali, idest gloria Dei et salute animarum.

Tandem magnum miraculum quoad causam finalem: *Pro gloria Dei.* Omnium operum Dei in mundo duplex est finis aut scopus: alter quidem gloriae ipsius Dei, alter vero hominis utilitas, nam propter haec duo mundum condidit, moderatur et servat. Ita miraculi huius duplex assignatur finis: *Pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam; Videbis gloriam Dei;* alter ad nostram utilitatem: *Gaudeo propter vos ut credatis; Ut credant quia tu me misisti.* Et quidem opus hoc utrumque finem sortitus est; nam huius miraculi fama permota Ierusalem, in die Palmarum Christum honorifice suscepit tanquam triumphatorem mortis [67] et *multi ex Iudaeis*, cum vidissent quod fecit Iesus signum suscitando Lazarum, *crediderunt in eum.*

62) Ibid. vr. 8. 63) Cf. Mc 5, 22-42. 64) Cf. Lc 7, 12-15.
65) Cf. 3 Rg 17, 17-23. 66) Cf. 4 Rg 4, 28-37. 67) Cf. Io 12, 12-18.

VII. Singulariter vero ostenditur in hodierno Evangelio motivum, quo motus fuit Christus ad Lazarum suscitandum. Est autem duplex: alterum quidem intercessio sanctarum sororum, quae miserunt ad eum dicentes: *Domine, ecce quem amas infirmatur.* Licet autem Dominus precibus his minime motus videatur, quoniam mansit ibi adhuc duos dies, motus tamen maxime fuit. Distulit tamen exaudire, ut multo maius miraculum operaretur, beneficium multo maius conferret. Infirmum sanare non magnum miraculum est, sed mortuum et quatriduanum in monumento ad vitam revocare plane maximum est. Non concessit minora ut daret multo ampliora ac diviniora beneficia. Alterum vero motivum est caritas, quae Christum maxime urgebat: *Ecce quem amas; Diligebat Lazarum; Ecce quomodo amabat eum; Lazarus amicus noster dormit.* Opus fuit hodiernum hoc Christi miraculum cum infinitae potentiae tum immensae caritatis Christi: *Ecce quomodo amabat eum.* Ita plane omnia quae operatus est hodie Dominus ad Lazarum suscitandum ostendunt divinam eius caritatem: *Ecce quomodo amabat eum.* Quomodo amabat? Dici non potest.

Ad hoc miraculum Christus motus fuit precibus sororum Lazari

et propria caritate.

VIII. *Lazarus mortuus est.* Non intellexere Apostoli, cum Dominus dixit eis: *Lazarus amicus noster dormit,* quidnam Dominus dicere vellet; existimavere quod vere de somno diceret, hinc dixere: *Si dormit, salvus est.*[68] Hinc Dominus manifeste eis dixit: *Lazarus mortuus est.* Vix capiunt homines, cum de morte fit sermo; homo, ac si natura immortalis esset, vix cogitat se aliquando moriturum, quod plane tum indicium immortalitatis est animae quae vitam dat corpori, tum etiam operatio satanae, qui ait: *Nequaquam moriemini,*[69] aufert a corde verbum, *ne credentes salvi fiant,*[70] aufert mortis meditationem, ne hoc freno homines a peccatis se contineant; et quoniam mors Deum quidem veracem, qui ait: *Morte morieris,*[71] daemonem autem, qui ait: *Nequaquam moriemini,* mendacem ostendit.

Homo exhorret meditationem mortis,

Lazarus mortuus est. Dives erat et potens; ergo etiam potentes et divites, qui ea quae mundi huius sunt tanquam nunquam morituri

68) Ibid. vr. 12. 69) Gn 3, 4. 70) Lc 8, 12. 71) Gn 2, 17.

cum tamen omnes morituri simus

sed aeternum victuri curant, moriuntur, principes, reges, imperatores:

« Mors omnia aequat ». [72]

O felices qui se morituros cogitant!

et postea resurrecturi.

At vero non tantum morituros verum etiam resurrecturos. Non tantum mortuus Lazarus est, verum etiam resurrexit, suscitatus a Christo. Sic omnes morituri sumus et resurrecturi: *Sicut in Adam omnes moriuntur,* - quoniam *per unum hominem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors, et sic in omnes homines mors pertransiit,* [73] - *ita et in Christo omnes vivificabuntur;* [74] *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur;* [75] Resurgent *qui bona egerunt, in resurrectionem vitae, qui autem mala egerunt, in resurrectionem iudicii.* [76] O beatum tunc qui Lazarus amicus Christi inventus fuerit! *Lazarus amicus noster dormit.*

Etiam in morte omnes cogitant de vita.

Domine, ecce quem amas infirmatur. Erant quidem sorores Lazari mulieres piae et religiosae, hinc Christus *diligebat Martham et sororem eius Mariam et Lazarum;* [77] et tamen cum viderent fratrem moriturum et animam iam agentem, cogitabant de vita ipsius, non de morte. Sic paucissimi sunt qui in mortali infirmitate carorum, licet videant moribundos, cogitant de morte, ut cum pietate decedant; omnes cogitant de vita. Beatus ergo qui in vita Lazarus fuerit amicus Christi! Hoc enim tunc maxime iuvat. [78]

ALIA HOMILIA [1]

Erat quidam languens Lazarus, etc. [2]

Duo ponderanda sunt: miraculum et causa miraculi:

I. In hodierno Evangelio duo nobis ponderanda sunt: miraculum et causa miraculi. Miraculum est mira quaedam et evidens divinitatis Christi demonstratio, nam ad hoc scripsit Ioannes Evangelium, ad demostrandam Christi divinitatem contra impia dogmata Ebionis et Cerinthi, qui negabant Christum revera Deum esse. [3] Hodiernum autem miraculum, quod corona miraculorum Christi iure

72) Claudianus *De Raptu Proserpinae*, lib. 2, vr. 302. 73) Rom 5, 12. Vulg.: *Peccatum in hunc mundum intravit.* 74) 1 Cor 15, 22. 75) Ibid. vr. 51. 76) Io 5, 29. 77) Ibid. 11, 5. 78) Aliquae lineae albae relinquuntur.

1) Atramento clariori exarata. 2) Io 11, 1. 3) Cf. S. Hieronymus *De Viris Illustribus*, cp. 9, (P. L. 23, 623); *Comment. in Evang. Matthaei, Prologus*, ibid. 26, 19.

dici potest et miraculum miraculorum, potissima est veritatis huius demonstratio. Hinc Dominus ait: *Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam;* [4] et: *Si credideris, videbis gloriam Dei.* [5] Sic multa loquitur Ioannes de Christi divinitate: *Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me,* etc.; [6] hinc etiam dicitur Filius Dei vivi: *Ego credidi,* etc. [7]

miraculum ostendit divinitatem Christi.

Causa autem miraculi ponitur Christi amor: *Ecce quem amas;* [8] *Diligebat Iesus... Lazarum;* [9] *Lazarus amicus noster;* [10] *Ecce quomodo amabat eum.* [11] Ostenditur autem Christi erga Lazarum amor, et verus et magnus, quoniam exposuit se Christus vitae discrimini ut Lazarum suscitaret: *Maiorem* autem *caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* [12] idest pro his quos diligit. Hoc autem miraculum in causa fuit ut, eo cognito, Iudaei contra Christum concilium cogerent eumque morti tradere decernerent. [13]

causa miraculi amorem Christi erga Lazarum,

Coniunguntur autem haec duo tanquam obiectum fidei et caritatis nostrae erga Christum. Divinitas Christi obiectum est fidei et caritas Christi erga nos obiectum est nostri erga eum amoris et caritatis. O si quis haec duo simul coniungeret, Christum revera Deum esse omnipotentem et simul nostri amantissimum [14] esse, duo haec quid operarentur in nobis! Quid aliud vellet quis nisi principem habere potentissimum et sui amantissimum? Quis non libenter Romae Pontifici Summo deserviret, si sciret quidnam sit Papam esse quidve Papa possit, et simul Papam ipsum summopere diligere et ex corde amare? O utinam duo haec nos in Christo revera agnosceremus et crederemus!

utrumque autem est obiectum fidei et caritatis nostrae.

Quoniam resurrectio mortuorum opus est soli Dei virtuti possibile, propterea, cum Christus homo videretur non Deus, nemini venit in mentem quod ipse posset Lazarum resuscitare, nam Iudaei quidem dicunt: *Non poterat hic, qui aperuit oculos caeci nati, facere ut et hic non moreretur?* [15] Maria vero: *Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus;* [16] Martha autem hoc ipsum, sed addit: *Sed et nunc scio quia quaecumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus,* [17] intuens quod posset suis precibus a Deo obtinere vitam fra-

Hoc miraculo Christus probare voluit se Deum esse,

4) Io 11, 4. 5) Ibid. vr. 40. 6) Ibid. vr. 25. 7) Ibid. vr. 27. 8) Ibid. vr. 3. 9) Ibid. vr. 5. 10) Ibid. vr. 11. 11) Ibid. vr. 36. 12) Ibid. 15, 13. Vulg.: *Maiorem hac dilectionem,* etc. 13) Cf. ibid. 11, 47-53. 14) Ms.: *Amantissimus.* 15) Io 11, 37. 16) Ibid. vr. 32. 17) Ibid. vrr. 21-22.

tri defuncto, sicut Elias filio viduae [18] et Eliseus filio sunamitidis. [19] Quare, licet crederet ipsum esse Messiam: *Ego credidi quia tu es Filius Dei vivi,* non tamen credebat ipsum posse virtute et potestate sua Lazarum suscitare, sed soli Deo existimabat possibile. Imo nec Apostoli hoc intellexerunt, cum Dominus ait: *Lazarus amicus noster dormit, sed vado ut a somno excitem eum.* [20] Quare cum Dominus virtute et potestate propria agit hodie, quod soli Deo omnium opinione possibile est, manifeste ostendere voluit se verum Deum esse.

quod demonstratur ex circumstantiis miraculum concomitantibus.

Quoniam vero totius Evangelii et fidei christianae cardo est credere Christi veram divinitatem una cum vera humanitate, quoniam igitur praesens miraculum evidens est divinitatis Christi demonstratio, propterea Ioannes copiosissime et accuratissime scribit divini huius facinoris historiam, more utique gravissimi summaque fide dignissimi historici. Hinc ad ostendendam veritatem historiae multas adhibet circumstantias loci, temporis, personarum, testium; hominis suscitati describit nomen, familiam, patriam, saltem ubi habitabat, ubi infirmatus, ubi mortuus, ubi sepultus; tempus quo mansit in sepulcro; modum suscitationis, testes multos, quibus praesentibus, factum est miraculum multaque alia, quae veritatem historiae manifestant. [21]

Habemus hodie spectaculum mortis et vitae

II. Habemus etiam in hodierno Evangelio duo spectacula: alterum quidem mortis lacrimabilis, alterum vero vitae mirabilis in suscitatione. Ex hesterno miraculo Christus agnitus fuit magnus propheta, [22] ex hodierno autem plusquam propheta, nam multo maius est hodiernum quam hesternum miraculum, adeo enim magnum et mirabile extitit, ut semel et iterum gloria Dei appelletur.

Hoc miraculo Christus ostenditur vera vita,

Erit autem operae pretium ut, cum heri contemplati fuerimus spectaculum mortis, hodie contemplemur spectaculum vitae; cum enim hodiernum Evangelium multis mysteriis refertum sit, inter omnia tamen hoc singulare est. Ostenditur hic Christus lignum vitae, sicut Divus Petrus Christum *auctorem vitae* appellavit, [23] id quod Regius Vates ait *Psalmo 35: Quoniam apud te est fons vitae et in lumine tuo videbimus lumen,* [24] ad quod alludens Ioannes

18) Cf. 3 Rg 17, 17-23. 19) Cf. 4 Rg 4, 28-37. 20) Io 11, 11. 21) Aliquae paginae albae relinquuntur. 22) Cf. Lc 7, 11-16. 23) Act 3, 15. 24) Vr. 10.

ait in *1* sua *Canonica*: *Annunciamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem et apparuit nobis.*[25] Et in Evangelii sui initio, cum probasset sua auctoritate fidem divinitatis Christi, quam Ebion et Cerinthus haeretici negabant aperteque inficiabantur,[26] dicens: *In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum,* cumque ostendisset Verbum esse rerum omnium causam et principium: *Omnia per ipsum facta sunt,* subiunxit: *In ipso vita erat et vita erat lux hominum,*[27] ubi, sicut Regius Vates, vitam et lucem simul coniungit.

Sed priusquam doceret Christum vitam esse, docuit Deum esse, nam nonnisi Deus auctor vitae esse potest. Propterea in hodierno Evangelio Ioannes prius verba facit de Christi divinitate: *Pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam;* et postea: *Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, etiam si mortuus fuerit vivet, et omnis qui vivit et credit in me non morietur in aeternum.*[28] Quibus verbis ostenditur Christus non solum auctor vitae corporalis unius tantum hominis: *Resurget frater tuus,* verum etiam universalis, totius mundi: *In resurrectione in novissimo die.*[29]

imo auctor vitae universalis.

III. *Ego sum resurrectio et vita,* hoc est causa et auctor generalis resurrectionis. Deinde transit a corporali vita ad spiritualem. Sicut cum samaritana agens transivit a corporalibus aquis ad spirituales[30] et cum Iudaeis a pane materiali ad spiritualem,[31] ita hic: *Qui vivit et credit in me non morietur in aeternum,* nam spiritualis vita perpetua est, in morte non interrumpitur, sed perficitur.

Christus auctor est vitae temporalis et aeternae,

Non solum auctor utriusque vitae et quidem aeternae secundum utramque hominis substantiam, quin etiam verus et verae vitae auctor demonstratur. Noluit Christus infirmum Lazarum sanare, ut posset multo illustriori miraculo mortuum resuscitare; nec statim suscitare post mortem, sicut filiam archisynagogi,[32] aut paulo post priusquam sepeliretur, sicut filium viduae,[33] sed mortuum, sepultum, quatriduanum in monumento, ita ut nulla penitus esse posset suspicio, quod vere non esset mortuus. Suscitare voluit ut luce cla-

secundum utramque hominis substantiam,

25) 1, 2. 26) Cf. S. Epiphanius *Adversus Haereses,* haer. 28, (P. G. 41, 110); haer. 30, ibid. col. 126; S. Augustinus *De Haeresibus,* haer. 8, (P. L. 42, 27); haer. 10, ibid. col. 27. 27) Io 1, 1. 3-4. 28) Ibid. 11, 25-26. 29) Ibid. vv. 23-24. 30) Cf. ibid. 4, 13-15, 31) Cf. ibid. 6, 26-60. 32) Cf. Mc 5, 22-42. 33) Cf. Lc 7, 12-15,

rius constaret veritas mortis; hinc iussit tolli lapidem ut ab omnibus videretur mortuus iamque corruptus et foetens: *Domine, iam foetet, quatriduanus enim est* [34] in monumento, ut cognita perspectaque veritate mortis, multo illustrius esset miraculum vitae.

auctor vitae perfectae,

Amplius, non solum verae vitae auctor, verum etiam perfectae vitae, nam infirmus et debilis vivit quidem sicut paralyticus in piscina, [35] sed vita imperfecta est; Lazarus autem suscitatur ad vitam perfectam, integram sanitate et viribus, nam *statim prodiit... ligatus manus et pedes.* [36] Magna vis requiritur, ut quis iacens in terra manibus pedibusque ligatus surgere possit, et hoc quidem statim, et ambulare. Sic vitam ei dedit integram perfectamque.

non propter orationis suffragium, sed ex propria potestate.

Adhuc etiam auctor vitae ostenditur, non sicut Elias cum suscitavit filium viduae [sareptanae] aut Eliseus cum ad vitam revocavit filium sunamitidis, quemadmodum existimabat Martha eum posse resuscitare Lazarum: *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus; sed et nunc scio quia quaecumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus,* et sicut ipse Christus visus est elevatis in caelum oculis Patrem orare; sed non orat ad impetrandum, imo gratias agit: *Pater, gratias tibi ago quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis; sed propter populum... ut credant quia tu me misisti.* [37] Ostenditur, inquam, auctor vitae non propter orationis suffragium, sed ex potestate et imperio: *Lazare, veni foras. Et statim prodiit,* [38] sicut Ionas de ventre ceti ad divinum imperium. [39]

Nec tantum ostenditur se posse vitam mortuo dare, contra id quod Iudaeorum quidam dicebant: *Non poterat hic, qui aperuit oculos caeci nati, facere ut hic non moreretur?* imo ostendit se facillime posse ac si mortuus esset dormiens, hinc ait: *Lazarus amicus noster dormit, sed vado ut a somno excitem eum.* Propterea voce magna clamat, veluti si hominem gravi somno obrutum excitaret.

Ostenduntur causae huius miraculi.

IV. Ostenduntur etiam causae quae induxerunt Christum ad hoc opus. Assignantur autem quattuor causae. Prima est desiderium divini honoris: *Pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam;* secunda est amor erga Lazarum: *Diligebat Lazarum; Ecce quem*

34) Io 11, 39. 35) Cf. Ibid. 5, 2-9. 36) Ibid. 11, 44. Vulg.: *Pedes et manus.*
37) Ibid. vrr. 41-42. 38) Ibid. vrr. 43-44. 39) Cf. Ion 2, 1 sqq.

amas; Lazarus amicus noster; Ecce quomodo amabat eum; tertia est intercessio sororum Marthae et Mariae: *Domine, ecce quem amas infirmatur; Domine, si fuisses hic;* lacrimae Mariae: *Ut vidit eam plorantem,* etc.;[40] quarta tandem desiderium verae perfectae fidei: *Gaudeo propter vos, ut credatis quia non eram ibi;*[41] *Credis hoc? Si credideris, videbis gloriam Dei; Ut credant quia tu me misisti.* Sic, viso miraculo, *multi ex Iudaeis... crediderunt in eum.*[42]

Ex hoc miraculo Christus agnitus fuit verus Deus,

Sic Dominus hodie tanquam prudens piscator hamo divinae virtutis suae usus, cum fomite corporis Lazari multos coepit pisces. Nam ad hoc venit in mundum, ut piscator esset hominum, sicut etiam postea Apostolos hominum piscatores effecit.[43] Credebant Apostoli in Christum et tamen ait: *Gaudeo propter vos, ut credatis,* hoc est ut multo perfectius credatis me esse vitae auctorem, verum Filium Dei. Credebat Martha: *Ego credidi quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti,* et tamen perfectiorem ab ea fidem Christus requirit: *Credis hoc? Si credideris videbis gloriam Dei.* Non qualemcumque a nobis fidem requirit Dominus, sed veram atque perfectam, quae in vera perfectaque Christi cognitione consistit. Nam nisi vere cognoscatur, diligi revera non potest.

quod praecipuus finis fuit divini huius facinoris.

Hic fuit praecipuus finis divini huius miraculi salus animarum, ut Christus multos mortuos suscitaret in spiritu, sicut Lazarum suscitavit in carne. Spiritus enim Dei gratia destitutus mortuus est et in vitiorum fovea sepultus, instar Lazari. Christus autem cupit omnes mortuos in spiritu suscitare, hinc transit hodie a corporali vita ad spiritualem et a temporali ad aeternam. O nos beatos, si Christum revera vitae auctorem esse agnosceremus! Quam dulcis, quam suavis esset vita, multis licet miseriis obnoxia! Si praesens vita numerata pecunia emi posset, quis non emeret? Si lignum vitae, quod homini immortalitatem conferebat, reperiretur in mundo et haberi posset, quis non procuraret? Si fides Christi daret spiritualem vitam una cum corporali perpetua, nemo non esset[44] christianus catholicus in mundo. Sed ordo esset praeposterus, susciperetur fides non propter animam, non propter Deum, sed propter corpus, propter mundum. At quia nunc Christus vitam dat spiritualem, daturus postea vitam

40) Io 11, 33. 41) Ibid. vr. 15. 42) Ibid. vr. 45. 43) Cf. Mt 4, 19.
44) Ms.: *Essę.*

etiam corporalem aeternam, contemnitur, flocci penditur, nihili fit, quia mundana tantum bona magni facimus, non divina. Sed veniet tempus cum reipsa cognoscemus quidnam sit Christum vitae auctorem esse. Sed nobis tunc nihil proderit, dicet enim: *Amen dico vobis: Nescio vos.* [45]

Elucent hodie divinae virtutes in Christo et humanae miseriae in Lazaro;

V. Hodiernum [46] Evangelium est veluti liber quidam magnus et mirabilis divinarum virtutum in Christo et humanarum miseriarum in Lazaro; liber plane divina sapientia plenus, ubi cognoscitur quid sit Christus verus Deus in homine et quid sit homo in mundo. Ezechieli datus fuit de caelo liber, in quo scriptae erant lamentationes et carmen et veh; [47] Ioanni similiter datus fuit de caelo liber, nec tamen indicat quid in eo scriptum esset, tantum dicitur quod praedicaturus erat populis et linguis; [48] quare plenus erat mysteriis fidei christianae, quam praedicaturus erat. Liber autem hodierni Evangelii utrumque illum continet. Nam hic habemus divina in Christo mysteria et humanas in Lazaro miserias, lamentationes, carmina lugubria et veh.

sic plenum est mysteriis hodiernum Evangelium.

Plenum est hodiernum Evangelium mysteriis cum divinitatis tum etiam humanitatis Christi; nam habemus et effectus verae divinitatis et affectus actusque verae humanitatis. Habemus etiam in domo Lazari, sicut in Christo thesaurum mysteriorum divinorum; ita hic thesaurum humanarum miseriarum. Erant in ea domo tres personae, divites quidem et nobiles, sed parentibus orbatae, sine patre, sine matre, in iuvenili aetate constitutae; orphani erant, utroque parente orbati. Magna haec miseria. Erant duae sorores, sed non nuptae, in manu fratris et iuvenis; sed tamen, quoniam honestus erat et prudens, tanquam pater regebat domum. Et ecce tibi, mors hunc quoque abripuit post diuturnam infirmitatem: *Erat languens*, etc. [49]

45) Mt 25, 12. Aliquae lineae albae relinquuntur. 46) Stylo valde latiori. 47) Cf. Ez 2, 9. 48) Cf. Apc 10, 8 sqq. 49) Reliqua pagina alba relicta, transit ad Dominicam Passionis.




Photo A. Piovesan - Patavii

Facsimile scripturae S. Laurentii magnitudine naturali

DOMINICA DE PASSIONE

Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? [1]

Multae perfectiones Christi elucent ex hodierno Evangelio.

I. Vidit Iacob patriarcha in Bethel scalam caelestem, per quam Angeli ascendebant et descendebant; Deus scalae innixus erat. [2] Bethel domus Dei interpretatur. Christus autem alludens ad mysterium illud ait: *Videbitis caelum apertum et Angelos ascendentes et descendentes supra Filium hominis.* [3] Scala caeli in Bethel, Christus hodie in templo. Scala multos habet gradus, sic multas Christi perfectiones habemus in hodierno Evangelio. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* divina innocentia et vitae sanctitas immaculata; *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* doctrina caelestis et divina; pietas erga Deum et patientia ac mansuetudo erga homines: *Ego daemonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me; ego autem non quaero gloriam meam;* vera et altissima Dei cognitio: *Est Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est, et non cognovistis eum... ego autem novi eum... scio eum et sermonem eius servo.* [4] Per hanc scalam in caelum ascenditur: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum.* [5] Et tandem Dominus cernitur in summo scalae huius cacumine: *Antequam Abraham fieret ego sum.* [6] Quibus verbis ostendit Abraham creatum hominem fuisse, se autem increatum Deum.

II. Ezechiel, Divinus Vates, vidit gloria Dei in templo et eamdem postea discedentem de templo; gloriam autem Domini

1) Pericope huius diei Io 8, 46 sqq. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Gn 28, 12-19. 3) Io 1, 51. 4) Ibid. 8, 49-50. 54-55. 5) Ibid. vr. 51. 6) Ibid. vr. 58.

Currus gloriae Dei ab Ezechiele visus

dicit quam viderat iuxta fluvium Chobar.[7] Vidit enim Dominum splendore circumfusum, qui per aera veluti triumphali curru vehebatur. Currus autem similis erat firmamento, idest caelesti substantiae; rotae quoque ipsius similiter et a quattuor animalibus formae mirabilis trahebatur. Nam unumquodque binos pedes habebat, sed quattuor facies, quattuor alas et quattuor brachia manusque sub alis, erantque veluti ignea animalia, quales a poetis dicti sunt quattuor equi currus solaris.[8] Erant etiam fulgore velociora, velocius vento per aera volabant. Currus autem ille gloriae Dei sacrosanctam humanitatem Christi designabat, quattuor autem rotae, animalia, facies, alae, quattuor mysteria Christi principalia: incarnationem, passionem, resurrectionem, ascensionem; quattuor status naturae humanae in eo: innocentiae, poenae, gratiae et gloriae; quattuor virtutes cardinales perfectissimas in eo; quattuor item dignitates: regis, iudicis, sacerdotis et prophetae; quadruplicem etiam potestatem: in caelo, in terra, in paradiso, in inferno; super Angelos, super caelos et elementa, super homines et super daemones; potestatem etiam contra peccatum, contra mortem, contra infernum et contra satanam, quoniam in sacrosancta Christi humanitate vera divinitas erat. Sicut Iacob patriarcha, visa scala caelesti, ait: *Vere Dominus est in loco isto,*[9] sic Deus erat in triumphali illo curru divinae gloriae.

designabat Christi humanitatem cum quattuor eiusdem mysteriis.

Ostenduntur hodie Christi humanitas, patientia, fortitudo et sapientia.

Et quidem agens hodie Dominus cum Iudaeis ostendit faciem hominis, dum rationibus cum eis humanissime agit; faciem bovis, dum multa cum patientia et mansuetudine suffert eorum convicia: *Nonne bene dicimus nos quia samaritanus et tu et daemonium habes?*[10] *Nunc cognovimus quia daemonium habes;* faciem leonis, dum animo intrepido veritatem constantissime praedicat et vitia eorum arguit: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* et tandem faciem aquilae, dum loquitur de divina cognitione: *Quem vos dicitis quia Deus vester est, et non cognovistis eum, ego autem novi eum.*

Sicut autem vidit Divinus Vates gloriam Domini discedentem de templo, ita hodie Dominus relinquit templum Iudaeorum: *Iesus autem abscondit se et exivit de templo,*[11] reliquit synagogam. Per

7) Cf. 1, 1 sqq; 10, 1 sqq. 8) Cf. Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 5, pag. 453.
9) Gn 28, 16. 10) Io 8, 48. 11) Ibid. vr. 59.

Oseam Dominus ait: *Vae eis cum recessero ab eis!* [12] Plane malum corpori est cum discedit anima, malum mundo cum discedit sol, malum civitati, cum eam rex inimicis relinquit.

Ostenditur propheta divinus, vita et doctrina sanctissimus,

III. In hodierno Evangelio ostenditur Christus tanquam divinissimus propheta, vita et doctrina sanctissimus. Nam quoad vitam dicitur: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* quoad doctrinam vero: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Primo homini dedit Deus thesaurum innocentiae et iustitiae, thesaurum etiam scientiae et cognitionis; hic est spiritus duplex Eliae. [13] Duo haec designabant mysteria illa *Urim* et *Thumim*, lumina et perfectiones in *Rationali* pontificis, [14] duae tabulae legis in arca testamenti. [15] Hac de causa Christus a Balaam dictus fuit stella et virga: *Orietur stella ex Iacob et exurget virga in Israel,* [16] ideo Christus dictus est *sol iustitiae,* [17] quia a sole mundus lucem accipit et calorem. Hinc Ioannes de eo ait: *Plenum gratiae et veritatis,* [18] itemque: *Gratia et veritas per Iesum Christum facta est,* [19] et Paulus quod factus est nobis a Deo sapientia et iustitia: [20] sapientia quoad intellectum, iustitia quoad voluntatem; sapientia quoad cognitionem virtutis, iustitia quoad amorem; sapientia quoad doctrinam, iustitia quoad vitam; sapientia quoad verba, iustitia quoad opera.

sicut de eo vaticinatus fuerat Isaias,

Isaias agens de plenitudine Spiritus Sancti in Christo, haec duo ostendit: *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiae et intellectus, Spiritus consilii, Spiritus scientiae* quoad doctrinam, *Spiritus fortitudinis, Spiritus pietatis, Spiritus timoris Domini* [21] quoad vitam. Hac de causa Ioannes in *Apocalypsi* vidit Agnum habentem oculos septem et cornua septem, caput ornatum multis luminibus et multis viribus praeditum. [22] Haec in Christo sunt duo luminaria magna in caelo, duo cherubim gloriae in sancto sanctorum, [23] duo lapides onychini in superhumerali magni sacerdotis. [24]

quae duo necessaria Christo erant,

Duo autem haec Christo erant summe necessaria pro gloria Dei et salute mundi, quia venit in mundum tanquam divinus legislator, propheta similis Moysi, cui dedit Deus et tabulas legis et divinum

12) 9, 12. 13) Cf. 4 Rg 2, 9. 14) Cf. Ex 28, 30; Lv 8, 8. 15) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; Hebr 9, 4. 16) Nm 24, 17. Vulg.: *Consurget virga de Israel.* 17) Mal 4, 2. 18) Io 1, 14. 19) Ibid. vr. 17. 20) Cf. 1 Cor 1, 30. 21) 11, 2-3. Affert ordine inverso. 22) Cf. 5, 6. 23) Cf. Ex 25, 18; 37, 7. 24) Cf. Ibid. 28, 9.

quia venit ut propheta divinus et divinus legislator:

splendorem faciei [25] in signum plenitudinis Spiritus Sancti, de cuius plenitudine postea accepit et dedit septuaginta senioribus populi. [26] Per Isaiam Dominus ait: *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me,* [27] idest ad praedicandum Evangelium, novam utique et divinissimam legem, quam Dominus hodie veritatem appellat: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Sic et Paulus *ad Ephesios* Evangelium dicit verbum veritatis: *In quo et vos cum audissetis verbum veritatis, Evangelium salutis vestrae,* [28] ubi interpretatus videtur quae hic Dominus ait. Nam quod prius veritatem dixerat, postea verbum Dei dicit: *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* [29]

ostenditur etiam fructus huius doctrinae.

Ad ostendendum autem fructum huius doctrinae ait: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit,* non gustabit *in aeternum,* hoc est quod Paulus ait *Evangelium salutis,* et alibi: *Virtus enim Dei est in salutem omni credenti,* [30] et Petrus: *Reportantes finem fidei vestrae salutem animarum* [31] vestrarum; Christus etiam: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam.* [32]

Acerbam persecutionem Christus passus est a Iudaeis, a satana exagitatis.

IV. In hodierno Evangelio proponitur gravis et acerba, sed iniustissima persecutio, quam Christus Dominus noster passus est a Iudaeis corde, ore et opere ipsum persequentibus. Multas legimus graves et iniquas persecutiones, quas Sancti Dei passi sunt ab iniquis: Abel a Caino, [33] Isaac ab Ismaele, [34], Iacob ab Esau, [35] Ioseph a fratribus, [36] Moyses a Pharaone, [36a] David a Saul, [37] Elias a Iezabele, [38] Iob a satana, [39] populus Dei ab Aegyptiis, Chananaeis, Assyriis, Chaldaeis aliisque nationibus impiis; sed omnium gravissima quam Christus passus est a Iudaeis virtutis causa, propter iustitiam, non sua culpa, nam: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Omnes fere Prophetae graves passi sunt persecutiones ab impio populo, unde Stephanus: *Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et*

25) Cf. Ibid. 34, 29 sqq. 26) Cf. Nm 11, 16-17. 27) 61, 1. Affert ordine inverso. 28) 1, 13. 29) Io 8, 47. 30) Rom 1, 16. 31) 1 Petr 1, 9. 32) Io 3, 16. 33) Cf. Gn 4, 3-8. 34) Cf. Ibid. 21, 9-10. 35) Cf. Ibid. 27, 41-45. 36) Cf. Ibid. 37, 4 sqq. 36a) Cf. Ex 4, 15. 37) Cf. 1 Rg 18, 8-11; 19, 1-18. 38) Cf. 3 Rg 19, 1-4. 39) Cf. Iob 1, 12-21; 2, 7-8.

occiderunt eos qui praenunciabant de adventu Iusti.[40] Hoc autem quia mundus hic spiritu satanico plenus est eoque regitur. Hinc dicitur *princeps mundi huius,*[41] rector tenebrarum.[42] Christus autem satanae non minus contrarius est quam lux obscuritati, quam sol nocti.

Et quidem in hodierno Evangelio antithesis est inter Christum et satanam. Nam paulo ante Christus de satana verba fecerat dicens Iudaeis: *Vos ex patre diabolo estis et desideria patris vestri vultis facere; ille homicida erat ab initio et in veritate non stetit, quia non est veritas in eo; cum loquitur mendacium ex propriis loquitur, quia mendax est et pater eius. Ego autem* quia *veritatem dico vobis, non creditis mihi.*[43] Satanam homicidam et mendacem appellat, auctorem omnis iniquitatis et mendacii ac falsitatis. Sic fraudibus et mendaciis primos parentes nostros impulit in peccatum eosque veneno impietatis infecit atque occidit.

Satanas enim et Christus inimicissimi ad invicem sunt;

Contra haec autem Dominus innocentiam et veritatem opponit dicens: *Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Utique quia filii diaboli estis, nam *qui ex Deo est verba Dei audit, propterea vos,* etc.[44] Satanas igitur per suos contra Christum insurgit tanquam contra capitalem inimicum hostemque acerrimum, armans Iudaeorum corda, linguas, manus contra Christum: corda quidem acerbis odiis, linguas blasphemiis ac maledictis, manus lapidibus: *Tulerunt lapides ut iacerent in eum.*[45]

ideo satanas per suos contra Christum insurgit.

V. In Sacris Litteris iniquissimae huius persecutionis plures assignantur causae. Prima, quoniam Christus miracula operabatur in sabbato; sanato languido in piscina in die sabbati, ait Ioannes: *Propterea persequebantur Iesum Iudaei, quia haec faciebat in sabbato;* altera quia Filium Dei se faciebat, hinc idem Ioannes ibidem: *Phopterea magis quaerebant Iudaei eum interficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo.*[46] Hinc cum audissent hodie quod Christus dixit: *Antequam Abraham fieret ego sum, tulerunt lapides ut iacerent in eum;* alias etiam, cum dixisset Dominus: *Ego et Pater unum sumus,*

Huius persecutionis causae: quia Christus miracula operabatur in sabbato, quia Filium Dei se faciebat.

40) Act 7, 52. 41) Io 12, 31; 14, 30; 16, 11. 42) Cf. Eph 6, 12. 43) Io 8, 44-45. Vulg.: *Si veritatem dico vobis.* 44) Ibid. vr. 47. 45) Ibid. vr. 59. 46) Ibid. 5, 18.

sustulerunt lapides ut lapidarent eum, de blasphemia, inquiunt, *quia tu, homo cum sis, facis teipsum Deum.* [47]

quia veritatem praedicabat,

Alia causa assignatur a Domino: *Me odit mundus, quia testimonium perhibeo de eo, quia opera eius mala sunt.* [48] In parabola vineae alia assignatur: *Hic est heres, venite, occidamus eum et habebimus hereditatem eius.* [49] In concilio Iudaeorum assignatur alia: *Expedit ut unus homo moriatur pro populo et non tota gens pereat,* nam *si dimittimus eum sic,* etc.; [50] Pilatus etiam aliam causam agnovit: *Quod per invidiam tradidissent eum;* [51] Divus Petrus ait in causa fuisse ignorantiam: *Scio, fratres, quoniam per ignorantiam fecistis* vos *et principes vestri,* [52] et Paulus: *Nunquam crucifixissent, si Dominum gloriae cognovissent;* [53] ipse etiam Dominus: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* [54]

quia Iudaei invidi et ignorantes erant

et quia blasphemus ipsis videbatur,

Haec fuit praecipua causa cum depravatis animi affectibus, qui ebrietatis aut etiam phrenesis instar mentem alienant; nam si cognovissent et scivissent Christum verum Messiam, verum Filium Dei esse, Dominum legis et universae creaturae, non erat cur scandalum sumerent de sabbati transgressione, nam princeps non sibi, sed popularibus suis leges imponit: « non tenetur Augustus legibus ». [55] In die passionis, cum Dominus palam confessus fuisset Messiam se esse, omnes condemnaverunt eum esse reum mortis, exclamante pontifice: *Audistis blasphemiam? Quid vobis videtur?* [56] et Pilato dixerunt: *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram... et dicentem se Christum regem esse.* [57] Quid ergo? blasphemia erat Messiae dicere se esse Messiam? Blasphemat Deus cum Deum se esse dicit?

cum tamen esset ipsamet innocentia et sanctitas divina.

Si consideremus causas ob quas Sancti passi sunt ab impiis, Abel a Caino, Iacob ab Esau, Ioseph a fratribus, David a Saule, intelligemus causas propter quas Christus a mundo passus est persecutionem. Primo autem gratis Christus, sine causa persecutionem passus est: *Ut impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: quia odio habuerunt me gratis;* [58] nam Christus neminem unquam laesit facto aut dicto. Hinc ait: *Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem*

47) Ibid. 10, 30-31. 33. 48) Ibid. 7, 7. 49) Mt 21, 38. 50) Io 11, 48. 50. Affert ordine inverso. 51) Mt 27, 18; Mc 15, 10. 52) Act 3, 17. 53) 1 Cor 2, 8. Affert ordine inverso. 54) Lc 23, 34. 55) Axioma iuridicum, significans supremam auctoritatem a legibus a se conditis non adstringi. 56) Mc 14, 64. 57) Lc 23, 2. 58) Io 15, 25.

dico vobis, quare non creditis? Sic David cum gravem pateretur a Saule persecutionem, dixit Ionathae: *Quae est iniquitas mea et quod peccatum meum in patrem tuum, quia quaerit animam meam?*[59] Christus est ipsamet innocentia et sanctitas divina.

Tam iniquo odio Iudaei persequebantur Christum

VI. *Tulerunt ergo lapides ut iacerent in eum. Iesus autem abscondit se et exivit de templo.*[60] Gravem passus est hodie Christus, Unigenitus Filius Dei, a Iudaeis impiis persecutionem, quod mirum est. Cur eum persequebantur Iudaei, qui vir erat innocentissimus, sanctissimus, optimus? *Quare fremuerunt gentes et populi meditati sunt inania... adversus Dominum et adversus Christum eius?*[61] Cum in spiritu Regius Vates praevidisset futuram hanc Christi persecutionem, mirabatur sciens Christum virum innocentissimum, sanctissimum, optimum, sicut in *primo Psalmo* cecinerat: *Beatus vir qui non abiit,* etc., qui vitam duxit innocentissimam, sed *in lege Domini voluntas eius,* qui vitam duxit sanctissimam, virtutibus omnibus ornatissimam; *et erit tanquam lignum,*[62] reipublicae optimus, summae utilis, sicut arbor quam in somnis vidit Nabuchodonosor.[63] *Quare* ergo *fremuerunt gentes adversus Dominum et adversus Christum eius?* quare? qua de causa? quid eos movit? quid fuit in causa talis tantique tumultus? quaenam illata iniuria talem excitavit tragoediam, vel quare fremuerunt? Ad quid? cuius rei gratia? quo scopo, quo fine, moti sunt ut Christum verum Messiam persequantur? Ut insurgant populi adversus principem regemque suum, et quidem potentissimum et optimum, maxime beneficum, nulla illata iniuria, imo multis collatis beneficiis, non potest non esse mirabile. Ut mulier sit pulcherrima, gratissima, honestissima et omni virtute praedita, quare summe amabilis, et a viro suo odio habeatur, mirabile est quomodo nascatur odium ubi nulla est causa odii, ubi tot causae amoris; nemo non miraretur. Quare hoc? quare hoc? Sic Regius Vates: *Quare fremuerunt gentes?* Quare *populi meditati sunt inania adversus Dominum et adversus Christum eius,* qui arbor erat afferens omni populo omne genus fructuum desiderabilium, cuius beneficio caeci visum, surdi auditum, infirmi sanitatem, mortui vi-

innocentissimum, sanctissimum et optimum,

qui omnibus benefaciebat,

59) 1 Rg 20, 1. 60) Io 8, 59. 61) Ps 2, 1-2. 62) Vrr. 1-3. 63) Cf. Dn 4, 7-9.

tam, peccatores iustitiam vitamque assequebantur? qui hodie ait: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* imo: *Si quis sermonem meum servaverit mortem non gustabit in aeternum?* Sic arbor vitae se declarat. Sed si vir suapte natura minime malus, mulierem odit pulcherrimam, gratissimam, honestissimam, virtute omni maxime praestantem, necesse est ut maleficiatus sit, magia aliqua dementatus, Circis alicuius veneno infectus [64] sanoque iudicio et mente privatus. Ita plane dicendum est de his qui Christum iniquo odio persecuti sunt.

quia a satana incitati erant

Equus, cum suapte natura non sit hominis inimicus, contra hominem minime irritatus non insilit, non insurgit, non recalcitrat, non morsibus, impetu, incursione calcibusque hominem impetit, sicut leo rugiens fame urgente; non haec agit, nisi ab equite et sessore contra inimicum agitatus; in bello nanque, dum contra inimicos pugnatur, a sessore agitatus haec praestat. Ita plane homo suapte natura malignus non est, bonus a Deo conditus fuit *ad imaginem et similitudinem* ipsius *Dei;* [65] sed sicut equus est qui ei obtemperat a quo insedítur frenoque et calcaribus regitur.

Omnis homo equus est, sed vel Dei vel satanae. Qui constitutus in gratia et virtute est, equus Dei est; qui autem in peccato est, equus est satanae. Hinc legimus: *Equum et ascensorem proiecit in mare,* [66] ubi verba faciebat Divinus Moyses de persecutione populi Aegypti contra populum Dei. Ostendit enim quod populus ille veluti equus erat, satanas autem, ut Origenes ait, ascensor equi huius. [67] Sic enim populus ille a satana agitatus populum Dei persequebatur; sic satanae opera Cain Abelem persecutus fuit, Esau Iacobum, Saul Davidem, Iezabel Eliam. Sic Iudaei Christum, sicut et Iudas Christum tradidit, postquam intravit in eum satanas. [68] Iudaei ergo hodie a satana incitati et agitati *tulerunt lapides ut iacerent in eum.*

Et quidem satanas multis modis Iudaeos contra Christum incitavit, sicut et contra Prophetas Dei, nunc per invidiam, sicut incita-

64) Alludit ad fabulam, iuxta quam Circes, filia Solis, veneficii peritissima, suis poculis exteriora hominis in bestiam transformabat; sic Ulissis socios in sues mutavit. Cf. Homerus *Odyss.*, lib. 10, vrr. 234-243; Hyginus *Fabulae*, fab. 125. 156, 199. 65) Cf. Gn 1, 26-27; 9, 6. 66) Ex 15, 1. 67) Cf. *In Exodum*, hom. 6, (P. G. 12, 332-333). 68) Cf. Lc 22, 3; Io 13, 27.

vit Cainum contra Abelem, filios Iacob contra Ioseph, Saulem contra Davidem; nunc ira, vi, metu: *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum et venient Romani;* sic fratres Ioseph timebant: *Nunquid rex noster eris? aut subiiciemur ditioni tuae?* [69] sic Saul timebat ne David in regnum ei succederet; nunc odio veritatis, sicut Achabum movit contra Michaeam, [70] sicut populum contra Prophetas Dei; sic Dominus ait: *Me odit mundus, quia ego testimonium perhibeo quod opera eius mala sunt.*

eosque armaverat invidia et odio veritatis.

Singulariter vero eos contra Christum armavit falso religionis zelo, ut sicut David Goliam occidit proprio ipsius gladio, [71] ita, cum divinae religionis zelus a Deo sit, cum secundum scientiam est, satanas tamen hoc zelo praecipue Iudaeos contra Christum armavit. Hinc Ioannes ait quod Christum persequebantur Iudaei quia solvebat sabbatum et quia Filium Dei se dicebat, *aequalem se faciens Deo.* Hinc hodie, cum Christum audissent dicentem: *Antequam Abraham fieret ego sum, tulerunt lapides ut iacerent in eum,* tanquam in blasphemum et honoris divini usurpatorem.

et singulariter falso religionis zelo.

Hoc etiam falso zelo Gentiles contra Christum fidemque et Ecclesiam ipsius armavit, ut avitam tuerentur religionem, quam Christi fides uti impiam superstitionem destruebat, ut gentes ab idolorum cultu ad veram Dei omnipotentis cognitionem veramque religionem converterentur. Gentes autem a satana incitatae sub praetextu religionis Christum persequebantur, sicut Iudaei.

sicut postea gentes armavit contra Ecclesiam.

Sed quid tandem Iudaei Christum acerrimis odiis persequendo profecere? Christo quidem nihil penitus obfuere, sibi vero extremam attulere perniciem, nam: *Abscondit se et exivit de templo.* Discessit gloria Domini a templo, [72] translata est gloria Domini a domo Israel. [73] Vivit Christus et regnat universum per orbem quam gloriosissime; infelix autem synagoga non amplius, postquam ab ea Christus discessit, Ecclesia Dei, sed satanae synagoga, [74] sub iugo satanae miserrime servit, infinitis partibus multo infelicior quam cum in Aegypto durissimam servitutem sustineret. [75]

Sed Iudaei nihil Christo obfuere, sibi vero extremam perniciem attulere.

Sicut autem satanas, inimicus omnis iustitiae et omnis iniquitatis parens, cum Deum audivit sanctissimi Iob praeconia extollen-

69) Gn 37, 8. 70) Cf. 3 Rg 22, 18-27. 71) Cf. 1 Rg 17, 48-51. 72) Cf. Ez 10, 18.
73) Cf. 1 Rg 4, 21 sq. 74) Cf. Apc 2, 9; 3, 9. 75) Cf. Ex 5, 5 sqq.

tem: *Nunquid considerasti servum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, vir simplex et rectus ac timens Deum et recedens a malo?*[76] tunc maxime in sanctissimum virum ira succensuit odioque ad persequendum exarsit,[77] ita hodie, cum Christum audit dicentem: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* in eum praeceps invehitur agitque ut Iudaeorum manibus in ipso etiam templo lapidibus obrueretur.

Omnis homo vel Dei vel satanae filius est.

Causam omnem persecutionis suae Christus, quam a Iudaeis patiebatur, in satanam reiicit dicens: *Vos ex patre diabolo estis et voluntatem eius vultis facere; ille homicida erat ab initio.* Ad hoc alludit hodie cum ait: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis,* quia filii Dei non estis, quia satanae filii estis. Sic omnis homo vel Dei, vel satanae filius est: *Qui verba Dei audit,* qui ex animo credit in Christum eumque, ut par est, honorat et glorificat, filius Dei est; qui autem non audit, non credit ex animo, qui potius persequitur, blasphemat, lapidibus impetit, procul dubio satanae filius est.

A tribus hominum generibus Christus persecutus fuit,

VII. *Tulerunt lapides ut iacerent in eum.* A tribus hominum generibus Christus vel maxime persecutionem passus fuit: primo quidem a principibus, Herodes enim Christum vix natum perdere studuit,[78] sic postea principes sacerdotum et pontifices Christum neci tradidere; deinde vero a scribis, a legis doctoribus et sapientibus Iudaeorum, qui divinarum rerum scientiam profitebantur; tandem a Pharisaeis, qui summam religionem et vitae sanctitatem legisque divinae exactissimam profitebantur observationem; hi Christum persequebantur tanquam violatorem sabbati et divini nominis usurpatorem.

sic fides Christi tribus rationibus maxime impugnata fuit a mundo;

Sic fides Christi tribus rationibus quam maxime impugnata a mundo est opera satanae: primo quidem causa regnandi: *Si dimittimus eum;*[79] secundo, quia fides Christi contraria videbatur philosophiae et humanae sapientiae; tertio, quia contraria religioni gentium et Iudaeorum. Sic satanas contra Christum quam maxime usus est principibus mundi huius, philosophis, poetis, historicis, rethoribus, magis etiam malis artibus imbutis, tandem vero sacerdotibus

76) Iob 1, 8. 77) Cf. ibid. vrr. 13-19; 2, 7-8. 78) Cf. Mt 2, 13-17.
79) Io 11, 48.

idolorum ministrisque sacrorum, ut avitam religionem sustentarent ac tuerentur. Sic olim Cherub, gladius et flamma ignis,[80] ab ingressu paradisi arcebant; mundana sapientia, potentia et religio.

At vero sicut Christus evasit hodie incolumis: *Abscondit se et exivit de templo,* ita et fides Christi: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam.*[81] Magna fuit persecutio tyrannorum, magna philosophorum, qui patres haereticorum fuere, magna tandem totius mundi sub praetextu religionis, nam Iudaei in templo, viri religiosi, hodie Christum tanquam blasphemum lapidibus obruere voluerunt, religionis causa, zelo Dei moti, sed non secundum scientiam, cum Deum ignorarent.

sed sicut Christus hodie incolumis evasit, ita et fides eius.

II. ALIA HOMILIA [1]

Quis ex vobis arguet me de peccato? [2]

I. Vivis coloribus ad naturale depingit nobis hodie Ioannes elegantem imaginem personae Christi. Quod homo sit sine peccato: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* homo differens ab omnibus aliis hominibus, nam *omnis homo mendax,*[3] Christus autem homo verax: *Si veritatem dico;*[4] homo sanctus, verus Dei cultor, ab omni potestate satanae alienus: *Venit princeps mundi huius,* etc.,[5] hoc est, *daemonium non habeo, sed honorifico Patrem meum;*[6] homo maior Abrahamo et Prophetis: *Nunquid tu maior es Abraham? Abraham pater vester exultavit,* etc.;[7] homo tandem aequalis Deo, verus Deus: *Antequam Abraham fieret,* etc.[8]

Ostendit hodie Evangelium magnitudinem Christi.

Sic ostendit magnitudinem Christi, profecto ut ostendat eum fide dignum: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* ut ostendat quanta res sit veritas et quanti apud Deum momenti, quanti Deus semper veritatem fecit. Loquitur autem non de veritate artium et scientiarum, sed de veritate supernaturali, de veritate Divinarum Scripturarum, de veritate fidei catholicae. Ad hanc prae-

ut ostendat doctrinae illius veritatem.

80) Cf. Gn 3, 24. 81) Mt 16, 18.

1) Atramento clariori, stylo latiori exarata. 2) Io 8, 46. 3) Ps 115, 11; Rom 3, 4. 4) Io 8, 46. 5) Ibid. 14, 30. 6) Ibid. 8, 49. 7) Ibid. vrr. 53. 56. 8) Ibid. vr. 58.

dicandam Deus misit olim Patriarchas, misit Prophetas, misit Apostolos, misit aliquando Angelos, tandem misit unicum Filium suum. Sed quidnam, quaeso, Deum movit ut tanti faceret fidei veritatem? Sola caritas et ardens salutis humanae desiderium, nam: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum.* [9] Haec nanque via salutis est, haec scala caeli. Hinc ait: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* cum veritas sit tantopere ad salutem necessaria?

Veritatem christianam mundus semper odio habuit,

II. Sed perpetua extitit semper inter Deum et mundum veluti monomachia, ut quae Deus maximi facit, mundus minimi faciat; quae autem Deus minimi habet, mundus maximi, [10] ut displiceant mundo quae Deo placent, placeant autem mundi gustui et palato quae Deo maxime displicent. Manifestum est in carne et spiritu, in operibus carnis et spiritus, in vitiis et virtutibus, in bonis temporalibus et aeternis, in bonis et malis operibus. Ita accidit etiam hac in parte. Displicet mundo veritas et decipi vult, sicut impius Achab, sed cum sua pernicie. [11] Verum est illud quod

« veritas odium parit ». [12]

Delectatus est mundus fallacibus mendacibusque poetis, veros autem Prophetas, veritatis praedicatores, odit et persecutus est, sicut hodie Christum, Dominum Prophetarum, qui ad hoc venit in mundum, ut testimonium veritati perhiberet. [13]

quia mundus Deum et divina non cognoscit

Cum autem veritas suapte natura suavis maximeque delectabilis et desiderabilis sit homini, est enim cibus intellectus et mentis, unde accidit ut facta sit mundo tam odibilis? Huius rei nonnullas causas reperio in hodierno Evangelio. Una est, quoniam mundus hic non cognoscit Deum: *Quem vos dicitis quia Deus vester est et non cognovistis eum.* [14] Veritas autem fidei res divina est, divina fulta auctoritate est. Si ignotus sit princeps, mandata ipsius nihili fiunt, sicut in Pharaone notum est: *Quis est Dominus, ut obediam voci eius? Deum non novi et Israel non dimittam.* [15]

9) Ibid. vr. 51. 10) Ms.: *Minimi.* 11) Cf. 3 Rg 22, 1-38. 12) Terentius *Andria*, act. 1, sc. 1, vr. 41. 13) Cf. Io 18, 37. 14) Ibid. 8, 54-55. 15) Ex 5, 2. Vulg.: *Ut audiam vocem eius? Nescio Dominum,* etc.

Altera est, quoniam videtur incredibilia et impossibilia praedicare: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem,* etc.; *Nunquid tu maior es,* etc.; *Abraham pater vester exultavit,* etc.; *Quinquaginta annos nondum habes,* etc.;[16] *Antequam Abraham fieret ego sum. Tulerunt ergo lapides;*[17] homo tantum cum videretur, Deum se praedicabat, quod videbatur hominibus incredibile et omnino impossibile. Hinc aiebant: *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, quia tu, homo cum sis, facis teipsum Deum.*[18] Ita mysteria fidei humano sensui sunt incredibilia, ut quod Deus sit trinus et unus, Christus Deus et homo, in Eucharistia totus Christus. Hinc humana philosophia Divinas Litteras et theologiam contempsit; hinc ortae haereses, quoniam quae humanum captum superant, credere detrectant haeretici, nolentes captivare intellectum in obsequium Christi[19] et humanis rationibus pugnant contra divinam veritatem, sicut Iudaei hodie; visi sunt enim sibi Christum certo certius rationibus suis mendacii et falsitatis convicisse; ita haeretici.

et sibi fides videtur impossibilia praedicare,

Tertia ratio est ex depravato animi gustu: *Qui ex Deo est, verba Dei audit; propterea vos non auditis,* etc.;[20] qui pio animo Dei partes sequuntur, credunt divinae veritati, audiunt verba Dei, servant sermonem eius ut mortem non videant; qui autem satanae partes sequuntur, minime. Depravatus gustus non appetit cibos optimos, infirmis oculis displicet lux sanis iucundissima, quoniam in parentibus nostris corruptus fuit animi gustus, cum maluerunt credere potius serpentis mendaciis quam divinae veritati. Corruptio haec veluti hereditaria successione in nos transfusa est, et quidem saepe saepius opera satanae accidit ut humana mens divina mysteria nec capiat nec credat. Hinc Paulus ait quod *Deus huius saeculi excaecavit mentes infidelium, ut non effulgeat eis lux Evangelii.*[21] Et hoc est quod hic Dominus ait: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis,*[22] nam paulo ante dixerat Iudaeis: *Vos ex patre diabolo estis et voluntatem patris vestri vultis facere,*[23] ex diabolo, non natura, sed prava voluntate. Cum autem satanas mendax sit et pater mendacii,[24] facit ut sequaces ipsius mendaciis non veritate delectentur. Depravato animo placent vitia carnis, non vita spiritus et virtutes.

et tandem quia depravatum gustum habet,

cui magis placent vitia quam virtutes.

16) Io 8, 57. 17) Ibid. vr. 59. 18) Ibid. 10, 33. 19) Cf. 2 Cor 10, 5.
20) Io 8, 47. 21) 2 Cor 4, 4. Vulg.: *Fulgeat illis illuminatio Evangelii.* 22) Io 8, 47.
23) Ibid. vr. 44. 24) Cf. ibid.

Hinc omne malorum genus. Hac de causa non creditur veritati: *Quomodo potestis credere, qui gloriam ad invicem accipitis et gloriam, quae a Deo est, non quaeritis?* [25] *Vos non creditis quia non estis ex ovibus meis,* [25a] quia placent vitia carnis. Propterea credit mundus mendaciis satanae, non veritati Christi: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?*

Ostenditur hodie veritatis dignitas, origo divina, utilitas,

III. Conqueritur hodie Dominus quod mundus divinae veritati credere nolit. Est autem haec antiqua Dei querela, quoniam ab initio homo mendacio magis credidit quam veritati. [26] Veritatis autem in hodierno Evangelio ostenditur dignitas, quoniam a Christo praedicata est et ad hoc Christus venit in mundum; ostenditur origo divina, hinc dicitur verbum Dei: *Qui ex Deo est, verba Dei audit;* ostenditur utilitas: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum,* idest vitam consequetur aeternam; ostenditur etiam altitudo supra captum humanum, ut quod Christus sit homo Deus, quod sit antiquior et maior Abrahamo, quod vitam possit aeternam largiri; tandem ostenditur eius sanctitas, quod nonnisi puris animis insideat, placeat iucundaque sit. Hoc enim est: *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Manna suavis et iucunda erat veris Hebraeis, iis autem, qui carne tantum Hebraei erant, mente autem Aegyptii, stomachum movebat: *Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo,* [27] hinc in Aegyptum reverti voluerunt.

sublimitas et sanctitas.

Veritas est rerum iusta expressio et naturalis imago,

Videndum autem nobis est quidnam suapte natura sit veritas. Significat aliquando veritas bonitatem, ut: *Qui facit veritatem venit ad lucem, ut manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta;* ubi, e contra, *qui male agit odit lucem et non venit ad lucem, ut non manifestentur opera eius.* [28] Sed veritas, quatenus ad intellectum spectat, nihil aliud est nisi rerum vel intra vel extra animum iusta expressio et naturalis imago verbis veluti vivis coloribus depicta. Si pictor hominis alicuius imaginem aliter depingat quam est, dicimus illam non esse veram illius imaginem, illam autem veram dicimus imaginem, quae hominem ad vivum et naturale exprimit, veluti in optimo speculo.

25) Ibid. 5, 44. 25a) Ibid. 10, 26. 26) Cf. Gn 3, 1-7. 27) Nm 21, 5.
28) Io 3, 20-21. Vulg.: *Ut non arguantur,* etc. Affert ordine inverso.

Accidit aliquando ut falsitas verisimilior sit ipsa veritate, sicut Aegyptiis verisimilius visum fuit mendacium impudicae mulieris, quam veritas Ioseph,[29] et primis parentibus verisimilior falsitas satanae, quam veritas Dei. Sic hodie veritas Christi Iudaeis visa est falsitas manifesta.

sed aliquando falsitas verisimilior apparet.

In lapidibus[30] pretiosis reperiuntur aliquando factitii et adulterini, qui tamen veris videntur pulcriores et splendidiores multoque pretiosiores et meliores; ita saepe falsam imaginem praesceferunt veritatis magis quam quae vera sunt.[31]

Appendix.

III. ALIA HOMILIA

Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? [1]

I. Proponitur in hodierno Evangelio disputatio inter Christum et Iudaeos in templo, in qua de veritate fidei christianae, quam Christus mirabiliter propugnat, Iudaei vero impugnant, non tantum verbis, quin etiam lapidibus. Condit Christus proponitque et propugnat theorema verum, quod amplectenda suscipiendaque semper veritas est obviis ulnis, maxime cum proponitur a viro inculpatae vitae, qui nec peccati, nec mendacii alicuius argui convincive potest, ex divinae legis praescripto, *Deuteronomii* 18;[2] hoc est quod ait: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Veritatem autem appellat id quod ipse de seipso praedicabat, quod esset verus Messias, nam paulo ante dixerat: *Ego sum lux mundi,*[3] *ego imi to phos tu cosmu:* Ego *sum illa lux mundi,* illa, inquam, lux a Prophetis promissa et praedicata: *Populus qui habitabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbrae mortis;*[4] *Dedi te in lucem gentium, in foedus populi, ut aperires oculos caecorum;*[5] et iterum: *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae.*[6] Hoc, inquam,

Christus proponit hodie disputationem de veritate se esse verum Messiam,

29) Cf. Gn 39, 7-20. 30) Stylo strictiori. 31) Aliquae lineae albae relinquuntur et sequitur in altera pagina.

1) Io 8, 46. 2) Cf. vrr. 15 sqq. 3) Io 8, 12. 4) Is 9, 2. Vulg.: *Qui ambulabat in tenebris,* etc. 5) Ibid. 42, 6-7. Affert ordine inverso. 6) Ibid. 49, 6.

veritatem appellat, quod ipse sit lux et Salvator mundi: *Quare*, inquit, *non creditis mihi*, quod sim verus Messias a Deo tantopere in lege et Prophetis promissus? Quid obstat ne veritatem hanc credatis?

quam Iudaei impugnabant.

Ipsi vero: non credimus, quia *samaritanus es tu et daemonium habes.* [7] Hoc primum argumentum est ad impugnandam veritatem. Alterum vero: *Nunquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est? et Prophetae mortui sunt. Quem teipsum facis?* [8] Videris incredibilia dicere. Tertium: *Quinquaginta annos nondum habes et Abraham vidisti?* [9] Dicis manifestissima mendacia. Quartum: *Tulerunt lapides ut iacerent in eum* [10] ac tanquam blasphemum lapidarent: *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, quia tu, homo cum sis, facis teipsum Deum.* [11] Sic *tulerunt lapides*, etc.

Ostendit Christus doctrinam suam veram esse, divinam, utilem et excellentissimam.

II. In hac autem disputatione tria videnda nobis sunt. Primum ipsum theorema ponderandum, quod quidem universale et valde amplum est pluresque habet partes. Universale quidem, nam theorema est: *Si veritatem dico*, hoc est praedico, doceo: omnis, inquit, doctrina mea vera est; itemque quod divina est: *Qui ex Deo est verba Dei audit;* [12] quod summe utilis est: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum;* [13] quod excellentissima est respectu auctoris, qui vitae inculpatissimae est, maior Abraham et Prophetis, qui verus Deus est: *Antequam Abraham fieret, ego sum.* [14] Haec sunt quae ad Christi doctrinam spectant.

Argumenta contra hanc doctrinam iam sunt proposita. Ad argumenta respondet, ad primum negando: *Ego daemonium non habeo;* [15] ad secundum concedendo, quod maior sit Abraham nihilque absurdi hoc esse, cum Messias futurus esset maior etiam Angelis; ad tertium, quod Messias debebat esse et homo temporalis et Deus aeternus; ad quartum argumentum in factis, etiam facto respondet divino miraculo invisibilis factus: *Abscondit se et exivit de templo.* [16]

7) Io 8, 48. 8) Ibid. vr. 53. 9) Ibid. vr. 57. 10) Ibid. vr. 59. 11) Ibid. 10, 33. 12) Ibid. 8, 47. 13) Ibid. vr. 51. 14) Ibid. vr. 58. 15) Ibid. vr. 49. 16) Ibid. vr. 59. Duabus paginis albis relictis, transit ad feriam sequentem.

FERIA SECUNDA INFRA HEBDOMADAM DOMINICAE PASSIONIS

In novissimo autem die magno festivitatis stabat Iesus et clamabat: si quis sitit, veniat, etc. [1]

Multa nomina habet Christus in Scripturis, tum propria tum translata,

I. Ostenditur Dominus fons bonorum et gratiarum omnium, fons paradisi, fons qui a throno Dei emanat; nam Deus ipse fons dicitur in Sacris Litteris. [2] Nomina rerum sunt veluti earum imagines quibus repraesentantur; Christus autem, in utroque Testamento plura habet nomina tum propria tum translata. Sicut autem depictae imagines, ut plurimum, sunt duorum generum, nam quaedam ex una tantum parte prospiciuntur, quae a pictoribus dicitur « a profilo », factae ad unum lumen, ad talem aerem, aliae vero sunt ad omne lumen, omni ex parte prospiciuntur, quae dicuntur « a scurcio »; ita sunt quaedam nomina Salvatoris, quae singularia ipsius mysteria repraesentant vel divinam ipsius naturam vel humanam, aut personam ex utraque natura constantem designantia, ut cum dicitur Deus, Filius Dei, Verbum Dei, imago Dei, virtus et sapientia Dei, splendor gloriae Dei, creator, Redemptor, Salvator, iustificator, glorificator.

sed hodie vocatur fons, qui eum plene repraesentat,

Nomen autem fontis veluti imago universalis est Christum ubique et omni ex parte repraesentans. Nam in sinu Patris ab aeterno fons est, ex quo Spiritus Sanctus emanat, nam una cum Patre principium et origo est Spiritus Sancti; in mundi initio fons est totius creatae bonitatis, nam *omnia per ipsum facta sunt;* [3] in Ecclesia fons

1) Pericope huius diei Io 7, 32-39. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Ier 2, 13. 3) Io 1, 3.

totius gratiae, nam *de plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia, quia gratia et veritas per Iesum Christum facta est;* [4] in paradiso fons gloriae, hinc in transfiguratione resplenduit sicut sol. [5]

quia ipse vere est fons totius bonitatis

Ex fonte paradisi fluvius emanabat, qui in quattuor capita dividebatur. [6] Christus fons est et flumen omnis bonitatis. Quattuor autem flumina ex eo sunt: Spiritus Sanctus, bonitas increata, natura universalis in mundo, gratia in Ecclesia, gloria in paradiso; sicut sol in caelo fons perennis est quattuor rerum: luminis, caloris, vitae in plantis omnibus, sensus in animalibus. Christus autem fons est totius essentiae, vitae, sensus et intellectus in universo.

in caelo, in mundo et in Ecclesia.

Unumquodque horum fluminum dividitur in quattuor. Nam in Spiritu Sancto est natura Dei, potentia, sapientia et bonitas Dei; in mundo essentia, vita, sensus, intellectus; in paradiso natura impassibilis, vita immortalis, sensus perfectissimus, intellectus beatissimus; in Ecclesia gratia, quae supplet quattuor defectus peccati originalis; fuerunt autem ignorantia, malitia, fragilitas et concupiscentia; hinc P a u l u s ait quod Christus *factus est nobis a Deo sapientia et iustitia et sanctificatio et redemptio.* [7] Sic gratia illuminat intellectum, iustificat affectum, sanctificat animam a peccatis, redimit animum a tyrannide vitiorum et cupiditatum. Data est gratia ut in nobis perficiat intellectum, voluntatem, concupiscibilem et irascibilem.

A Spiritu S., qui Apostolis datus fuit, quattuor veluti flumina effluxere.

II. *Flumina de ventre eius fluent aquae vivae.* [8] A Spiritu Sancto, qui Apostolis datus fuit, quattuor flumina, quae suis aquis perpetuo copiose irrigant, effluxere. Sunt autem haec: primo quidem fides, lumen veritatis, cognitio Dei, sacra theologia, intelligentia Divinarum Scripturarum; secundo vero pietas religionis, cultus Dei, spiritus pietatis, sanctitatis ad vitam ducendam vere christianam et evangelicam, hinc in Ecclesia Dei tot Sacrosanctae Religiones plenae veris Dei adoratoribus, qui Patrem in spiritu et veritate adorant; [9] tertio dignitas sacerdotalis divinaque potestas consecrandi Corpus et San-

4) Ibid. vv. 16-17. 5) Cf. Mt 17, 2. 6) Cf. Gn 2, 10-14. 7) 1 Cor 1, 30. Vulg.: *Sapientia a Deo,* etc. 8) Io 7, 38. 9) Cf. ibid. 4, 23.

guinem Domini divinissimumque hoc Sacramentum pro mundi salute Deo offerendi; quarto tandem divina auctoritas dimittendi peccata: *Sicut misit me Pater et ego mitto vos... Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* [10] Sic etiam auctoritas et potestas administrandi cetera Sacramenta. Sic etiam sunt quattuor Sacramenta in Ecclesia maxime necessaria: Baptismus, Sacerdotium, Eucharistia et Poenitentia.

Magna est copia gratiarum Spiritus S. in Ecclesia,

Flumina de ventre eius fluent. Designat Dominus magnam copiam gratiarum et donorum Spiritus Sancti in Ecclesia. *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis,* [11] sed magnus cum maxima aquarum copia. Pluit Deus manna Hebraeis, sed quam copiosissime; [12] dedit aquam de petra, sed flumina inde eduxit. [13]

Nec tantum designat magnam abundantiam, sed etiam perpetuam. Non enim dicit torrentes, sed *flumina.* Torrentes post pluvias facile exiccantur; flumina autem, cum rivos habeant perennesque fontes et venas inexiccabiles, perpetuo fluunt, nunquam exiccantur. Hoc est quod in templo Domini legimus mare aeneum, [14] vas maximum aquarum, maris instar aquis semper plenum. In mari autem abundantia et perpetuitas designatur. Sic ab Apostolis, qui divinitus Spiritu Sancto pleni fuere, [15] perpetua temporum serie ad nos usque fluminum instar fluxere fides doctrinaque christiana, vera religio et pietas divini cultus, dignitas sacerdotalis et divinorum Sacramentorum usus.

et significatur per magnam copiam aquarum.

P a u l u s ait quod *apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei,* qui *secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde.* [16] I a c o b u s ait quod Deus sapientiam *dat omnibus affluenter;* [17] Ioannes in Iordane baptizans, ubi magna erat copia aquarum, ait quod Christus baptizaturus erat Spiritu Sancto et igne, [18] idest quod ita copiose daturus erat Spiritum Sanctum, sicut ipse aquam effundebat baptizando. Hinc per P r o p h e t a m dicitur: *Effundam super vos aquam mundam et mundabimini.* [19] Hinc I s a i a s ait: *Haurietis aquas in gaudio de*

10) Ibid. 20, 21-23. 11) Gn 2, 10. 12) Cf. Ex 16, 13-17. 13) Cf. ibid. 17, 5-6; Nm 20, 8-11. 14) Cf. 3 Rg 7, 23. 15) Cf. Act 2, 2-4. 16) Tit 3, 4-6. Vulg.: *Benignitas et humanitas apparuit*, etc. 17) 1, 5. 18) Cf. Mt 3, 11; Lc 3, 16. 19) Cf. Ez 36, 25.

fontibus Salvatoris.[20] Non dicit aquam, sed *aquas*, non de fonte, sed *de fontibus*, nec haurietis cum labore, sed cum *gaudio*.

Abundantia gratiarum in Ecclesia multis imaginibus designatur;

III. In Divinis Litteris abundantia spiritualium gratiarum in Ecclesia multis imaginibus designatur. Hanc praesignabat paradisus omni deliciarum affluentia abundans;[21] hanc benedictio Iacob: *Det tibi Deus de rore caeli et de pinguedine terrae abundantiam frumenti et vini;*[22] hanc copiosae divitiae domus Abrahae;[23] hanc abundantia mannae in deserto; hanc abundantia lactis et mellis in terra promissionis;[24] hanc infinita pene divitiarum copia in Ierusalem sub Salomone, ubi tanta erat copia argenti sicut lapidum;[25] hoc ipsum est quod de ipso Salomone, quatenus Christum praefigurabat, dicitur: *Orietur in diebus eius iustitia et abundantia pacis.*[26] Praecipue tamen aquarum copia designatur. Hinc Ecclesia in *Canticis* dicitur: *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano.*[27] Hinc Isaias, cum locutus fuisset de plenitudine Spiritus Sancti in Christo, ait: *Replebitur terra scientia Domini, sicut aquae maris operientes.*[28] Hinc alibi appellat Ecclesiam locum fluviorum: *Videbunt Ierusalem habitationem opulentam... locus fluviorum, rivi latissimi et patentes,*[29] cum ibidem paulo ante dixisset: *Magnificatus est Dominus, quoniam habitavit in excelso; implevit Sion iudicio et iustitia, et erit fides in temporibus tuis; divitiae salutis, sapientia et scientia; timor Domini ipse est thesaurus eius.*[30] Regius Vates etiam loquens de hac gratiarum abundantia ait: *Fluminis impetus laetificat civitatem Dei, sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.*[31] Flumen appellat ipsum Spiritum Sanctum, nam ipse est fluvius qui de throno Dei procedit clarus et limpidus instar crystalli.[32] Sic alibi idem: *Visitasti terram et inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam; flumen Dei repletum est aquis;*[33] et alibi: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae et torrente voluptatis tuae potabis eos, quoniam apud te est fons vitae.*[34]

20) 12, 3. 21) Cf. Gn 2, 8-15. 22) Ibid. 27, 28. 23) Cf. ibid. 13, 2. 24) Cf. Dt 26, 9. 15; 27, 3; 31, 20; Ios 5, 6. 25) Cf. 3 Rg 10, 27. 26) Ps 71, 7. 27) 4, 15. 28) 11, 9. Vulg.: *Repleta est terra*, etc. 29) 33, 20-21. 30) Ibid. vrr. 5-6. 31) Ps 45, 5. 32) Cf. Apc 22, 1. 33) Ps 64, 10. 34) Ps 35, 9-10.

Ioannes ait Christum esse plenum gratiae et veritatis et quod *de plenitudine eius nos omnes accepimus.* Abundantia gratiarum spiritualium in Ecclesia pendet ab abundantia gratiae Christi, sicut copia luminis in mundo a copia lucis in sole. Sicut enim sol efficit diem in mundo, sic ait quod *gratia et veritas per Iesum Christum facta est;* sic: *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* [35]

haec autem abundantia pendet ab abundantia gratiae Christi.

IV. *In novissimo die magno festivitatis stabat Iesus et clamabat.* Agit hodie Dominus sacrum oratorem, divinum concionatorem verbi Dei. Misit Deus Ieremiam ad praedicandum et dixit ei: *Sta in porta domus Domini et praedica,* hebraice *et clama, ibi verbum hoc;* [36] stare iubetur et clamare praedicando: *Bonas facite vias vestras et studia vestra, et habitabo vobiscum in loco isto.* [37] Sicut igitur Ieremias iussus fuit stare et alta voce praedicare populo in templo, sic hodie Christus in templo stat et alta voce praedicat. Sic enim etiam Isaias iussus fuit: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam et annuntia populo meo scelera eorum,* [38] et alibi: *Exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Sion.* [39] Sicut enim homines, cum ad mundana ferveant, ad divina quam maxime frigent, ita ad mundana quidem aures habent auditu subtilissimo praeditas, ad divina vero surdastri sunt. Hinc cum Deus venit ad dandam legem, venit cum multis vocibus tubarum et tonitruorum et tonitrui instar clamabat, [40] sciens quam surdi sint homines ad divinam vocem audiendam.

Agit hodie Christus praeconem verbi Dei,

Agit itaque hodie Dominus divinum Ecclesiastem, praedicat in loco sacro, in tempore opportuno, in die magno festivitatis, populo fideli, qui legem et Prophetas habebat. Ad hoc enim missus fuit in mundum, ut praedicaret: *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me.* [41] Sed quidnam praedicat? Moyses missus fuit a Deo ad Hebraeos in Aegyptum ut eis felicitatem terrae promissionis praedicaret, quae lacte et melle manabat. [42] Christus futurus erat propheta similis Moysi. [43]

ad hoc enim missus fuit in mundum;

Quid tandem praedicat? Per Isaiam ait: *Praedicare annum Domini acceptum et diem ultionis Deo nostro,* [44] idest praedicare

35) Ps 33, 12. 36) Ier 7, 2. 37) Ibid. vr. 3. 38) 58, 1. 39) 40, 9. 40) Cf. Ex 19, 16-20. 41) Lc 4, 18, Ex Is 61, 1. 42) Cf. Ex 3, 7-10. 43) Cf. Dt 18, 18. 44) 61, 2. Ex Lc 4, 19.

et hodie praedicat spiritualium bonorum abundantiam

tempus gratiae et misericordiae, tempus etiam iustitiae, *annum Domini acceptum*, annum beneplaciti: *Benedices coronae anni benignitatis tuae et campi tui replebuntur ubertate; pinguescent speciosa deserti et exultatione colles accingentur.*[45] Annus acceptus sive beneplaciti tempus est copiae et abundantiae, quale homines desiderant: *Tempore accepto exaudivi te et in die salutis adiuvi te; ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.*[46] Hoc igitur est quod praedicat Christus, bonorum omnium copiam et abundantiam; hoc est quod ait: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat... et flumina de ventre eius fluent aquae vivae.*[47] Sic etiam per Isaiam: *Omnes sitientes venite ad aquas.*[48] Praedicat spiritualium bonorum abundantiam sub imagine aquae abundantis: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.*[49] Praedicat se petram esse in deserto, ex qua infinita pene aquarum copia manavit pro salute populi.

sub imagine aquae copiosae.

Utitur autem aquae imagine, quia aqua supramodum necessaria est, utilis et iucunda.

V. Utitur autem Dominus aquae imagine, quoniam haec mundo supra modum necessaria est, utilis et iucunda: necessaria ad productionem rerum naturalium, ad abluendas sordes, ad levandam sitim, ad refrigerandum aestum. Utilis supra modum segetibus, pratis, hortis, arboribus, animalibus ad sanitatem. Qualis et quanta aquarum virtus in balneis, quam mirabiles parit effectus! Iucunda homini,[50] grata oculis, iucunda gustui, toto corpori in aestu magno refrigerio. Magnam etiam ex aquis homines capiunt voluptatem utilitati coniunctam navigando, piscando, natando. Ex aquis multos efficiunt fontes summo artificio ad pulcritudinem et iucunditatem. Sic aqua est maxime necessaria, utilis et iucunda.

Sed aqua spiritualis Christi multo praestantior est aqua naturali,

Sed tamen aqua haec naturalis nonnisi imago quaedam est aquae spiritualis salientis in vitam aeternam. Quanto naturale corpus praestat imagini, tanto et multo amplius spiritualis aqua praestantior est naturali. Siquidem naturalis aqua sitim levat ad modicum tempus, aqua autem spiritualis in perpetuum: *Non sitiet in aeternum, sed fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.*[51]

45) Ps 64, 12-13. 46) 2 Cor 6, 2. 47) Io 7, 38. 48) Is 55, 1.
49) Io 7, 39. 50) Ms.: *Hominis.* 51) Io 4, 13-14.

- Naturalis aqua fertilem quidem reddit terram, sed non facit ex sterili fecundam, non enim fecundat sterilem arenam aut glaream; haec autem utique arenam etiam convertit in optimum solum, quod reddit fructum centuplum, ut in conversione Matthaei,[52] Zacchaei[53] et aliorum. - Naturalis aqua praeservat quidem arbores, ne nimia ariditate siccentur et animalia ne siti extinguantur; sed mortua animalia non vivificat nec siccas arbores virides reddit atque fructiferas, ut accidit in virga Aaronis;[54] haec autem aqua viva dicitur, quia dat vitam et, ut apud Ezechielem legimus, vivificat mare mortuum,[55] confert sanitatem ut aqua piscinae,[56] mundat a lepra ut aqua Iordanis,[57] abstergit tenebras caecitatis ut aqua Siloe,[58] sanat aquas maris mortui; patet in Magdalena,[59] patet in samaritide,[60] quae cum gustasset has aquas, ad vitam rediit, nam prius vivens mortua erat, sicut Apostolus ait de vidua quae in deliciis est.[61] - Naturalis aqua hominem in vita sustentare minime potest, quoniam non dat nutrimentum, naturalem calorem, minime nutrit, sicut nec aqua flammam in lampade, oleo opus est; haec autem aqua sicut manna est;[62] hinc ab Isaia, cum prius aqua dicta fuisset, postea et lac et vinum et panis dicta est, ita ut diceret: *Delectabitur in crassitudine*, etc.[63]

sanat enim omnes spirituales languores, dat vitam animae,

nutrit atque sustentat.

VI. *In novissimo autem die magno festivitatis*, utique scenopegiae, quod erat festum divinae providentiae, celebrabatur enim in memoriam beneficiorum, quae populus a Deo acceperat in deserto annis quadraginta, quo tempore Deus universo populo suo necessaria quaeque ad victum atque vestitum, absque ullo ipsorum labore aut cura et sollicitudine, mirabiliter suppeditabat.[64] Ita nunc Dominus ait: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat;* si quis re aliqua opus habet, bonum aliquod ardenter desiderat, ego fons sum omnium bonorum, conditor et creator omnium quae in universo vel oculis videntur vel mente intelliguntur sub caelo universo et supra caelum.

Christus praedicat in festo divinae providentiae,

52) Cf. Mt 9, 9-13; Mc 2, 14-17; Lc 5, 27-32. 53) Cf. Lc 19, 2-10. 54) Cf. Nm 17, 6-8 55) Cf. 47, 1-12. 56) Cf. Io 5, 2-4. 57) Cf. 4 Rg 5, 10-14. 58) Cf. Io 9, 1-7. 59) Cf. Lc 7, 37 sqq. 60) Cf. Io 4, 7-30. 61) Cf. 1 Tim 5, 5-6. 62) Cf. Ex 16, 13-18. 63) 55, 2. 64) Cf. Lc 23, 34-43.

ostendens se fontem perennem esse omnium bonorum;

Sic ostendit se Dominus fontem perennem, inexaustum et inexiccabilem omnium bonorum, qualis fuit in mundi creatione, qualem se ostendit in universi providentia, singulariter autem in populi sui gubernatione, maxime in deserto annis quadraginta.

sed sprevit mundus hunc fontem,

Sed quia fontem aquarum ostendit se Dominus, contemnitur a mundo, nam aquam mundus nihili facit, mundo aqua nullius est pretii. O si fontem se ostendisset pecuniae, auri, argenti, clamore opus minime fuisset! Sed, o si sciret mundus donum Dei, [65] quale et quantum bonum sit aqua divini huius fontis, nos beatos!

quia nescit magnitudinem doni Spiritus Sancti,

Hoc autem dicebat de Spiritu... nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. [66] Sicut magnum Dei donum est anima corporis, cum Deus *inspiravit in faciem hominis spiraculum vitae et factus est homo in animam viventem,* [67] sic magnum Dei donum est Spiritus Sanctus homini. Hinc Christus insufflavit in Apostolos et dixit: *Accipite Spiritum Sanctum,* [68] ut insinuaret quod Spiritus Sanctus anima est hominis christiani, sicut rationalis spiritus anima hominis naturalis. Quid prodest corpus sine anima? Quam multa autem et mira sunt quae operatur anima in corpore absque ullo corporis incommodo! Sic multa Spiritus Sanctus operatur in homine, etiam cum iucunditate.

qui docet a voluptatibus carnis abstineri

Agit Spiritus Sanctus in homine quod naturalis instinctus in animali absque ratione: videt ovis lupum et canem lupo magnitudine et colore quam similem: metuit sibi a lupo et sequitur canem; noxias herbas, licet virides, florentes, aspectu pulcras, relinquit intactas; salutares vero, licet aridas et squallentes, comedit naturali tantum instinctu edocta. Sic utique agit Spiritus Sanctus in homine, ut abstineat se *a carnalibus desideriis quae militant adversus animam,* [69] ut noxia quaeque fugiat et salutaria semper sequatur. Difficile admodum videtur ut homo a voluptatibus carnis sibi perpetuo temperet, et tamen videmus in honesta muliere quid possit naturalis pudor et zelus honoris; hisce nanque mota, etiam maxime sollicitata, non assentitur turpi voluptati, ne detrimentum patiatur honoris atque pudoris. Hoc ipsum Spiritus Sanctus operatur in homine, et quidem multo potentius multoque suavius.

65) Cf. Io 4, 10. 66) Ibid. 7, 39. Vulg.: *Dixit de Spiritu,* etc. 67) Gn 2, 7. 68) Io 20, 22. 69) 1 Petr 2, 11.

Tandem Spiritus Sanctus a Christo saepe *Paraclitus*, idest consolator, est appellatus, quia *consolatur nos in omni tribulatione nostra;*[70] *Expedit vobis ut ego vadam; si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos;*[71] *Rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis.*[72] Spiritus enim Sanctus perpetua quaedam est et divinissima fidelium consolatio, sicut fuit Angelus Domini tribus pueris in medio fornacis ardentissimae Babylonis.[73] Hinc de Apostolis legimus, postquam Divinum Spiritum caelitus missum acceperunt, quod *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.*[74]

et est animae perpetua ac divina consolatio.

VII. *Hoc autem dixit de Spiritu,* qui homini in Baptismo datur hominemque constituit filium et heredem Dei: *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri iis qui... ex Deo nati sunt;*[75] hinc dum baptizaretur Christus simul declaratus fuit Filius Dei et Spiritum Sanctum accepit in columbae specie;[76] hinc Baptismus dicitur *lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti.* Quanta igitur in homine nobilitas animi, dum se homo nobilem principisque filium agnoscit! Haec sola sufficit ut eum a vili servitore indignisque actionibus, a mechanicis exercitiis et a vilibus operibus coerceat. Sic Regius Vates spiritum principis a Deo petebat: *Spiritu principali confirma me,*[77] spiritum principum da mihi. Spiritus enim Sanctus operatur in homine christiano quod in homine nobili magnitudo animi ex generis nobilitate aut dignitate status graduque honoris et auctoritatis.

Spiritus S. datur in Baptismo et hominem constituit filium et heredem Dei

Imo operatur in nobis Spiritus Sanctus quod in matre operatur amor erga unicum filium et illum quidem pulcherrimum, optimum, virtute omni ornatissimum. Hoc ipsum operatur in nobis Spiritus Sanctus erga virtutem, erga cultum Dei ipsumque Deum. Sic virtutis asperum iter suave et quam amoenum reddit, sicut cum navis per mare navigat aura secunda, tranquillo mari, veluti cum Dominus *imperavit ventis et mari et facta est tranquillitas magna,*[78] ita

suavemque reddit vitam christianam.

70) 2 Cor 1, 4. 71) Io 16, 7. 72) Ibid. 14, 16. 73) Cf. Dn 3, 49-51.
74) Act 5, 41. 75) Io 1, 12-13. 76) Cf. Mt 3, 16 sqq.; Mc 1, 9-11; Lc 3, 21-22.
77) Ps 50, 14. 78) Mt 8, 26.

ut cum prius difficilis admodum esset navigatio, postea facta est valde iucunda.

Spiritus S. accipitur etiam in usu Sacramentorum.

Clamabat: *si quis sitit, veniat ad me et bibat.* In templo clamabat, in domo Dei est fons hic omnium bonorum. Ex hoc fonte hauritur aqua fide: *Qui credit in me;*[79] oratione: *Si quis indiget sapientia, postulet a Deo qui dat omnibus affluenter,*[80] sicut dedit Salomoni;[81] hauritur etiam usu divinorum Sacramentorum. Sed bone Deus! ubi nunc spiritus abundantia cum tanto usu Sacramentorum et orationis? At vero: *Petitis et non accipitis, eo quod male petatis;*[82] *Si quis sitit; Beati qui esuriunt... iustitiam.*[83]

Bonum appetunt omnia.

VIII. *Quaeretis me et non invenietis.*[84] Bonum appetunt omnia; nil aliud penitus agunt in mundo homines, nisi bonum quaerere quod desiderant, unde vel utilitatem capiant vel voluptatem. Christus autem thesaurus est bonorum omnium, unde appellatur *desideratus cunctis gentibus,*[85] hebraice *desideria cunctarum gentium*, idest in ipso est quidquid gentes omnes desiderare possunt; et a sponsa in *Canticis* appellatur *totus desiderabilis, totus ipse desideria.*[86]

attamen pauci Christum, summum bonum, quaerunt et inveniunt.

Bonum autem hoc multi, cum non cognoscant, nec quaerunt nec inveniunt; alii et quaerunt et inveniunt; alii non quaerunt et inveniunt; alii tandem quaerunt et non inveniunt. Hae sunt quattuor hominum classes in hoc mundo et quidem magnae. Primi sunt infideles qui Christum omnino ignorant; secundi sunt fideles omnes vere pii; tertii sunt singulariter electi, ut Paulus,[87] quod etiam in samaritana,[88] in caeco nato,[89] in languido in piscina[90] indicatum fuit et in Antiquo Testamento in Moyse,[91] in Saule,[92] in Davide,[93] qui cum non quaererent, invenerunt regnum; quarti sunt qui male quaerunt, qui male credunt, Iudaei, haeretici, frigidi catholici, mali christiani.

Quaerebant olim Christum Iudaei: *Veniet ad templum suum dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vul-*

79) Io 7, 38. 80) Iac 1, 5. 81) Cf. 3 Rg 3, 5-13; 2 Par 1, 7-12. 82) Iac 4, 3. 83) Mt 5, 6. 84) Io 7, 34. 85) Agg 2, 8. 86) Ct 5, 16. Ex hebraico. 87) Cf. Act 9, 1-22. 88) Cf. Io 4, 7, 26. 89) Cf. ibid. 9, 1-38. 90) Cf. ibid. 5, 1-9. 91) Cf. Ex 3, 1-10. 92) Cf. 1 Rg 9, 14 sqq. 93) Cf. ibid. 16, 1-13.

tis; [94] et tunc quidem bene quaerebant, ideo invenerunt, venit ad eos Christus. Nunc quaerunt, desiderant, expectant Messiam, sed male, ideo non inveniunt. Cum tandem bene quaesituri sunt invenient, sicut Oseae 3 dicitur: *Dies multos sedebunt filii Israel sine rege, sine principe, sine altari, sine sacrificio, sine ephod et sine teraphim. Post haec revertentur filii Israel et quaerent Dominum Deum suum et David Regem suum.* [95] Gentiles vero cum Christum nullatenus quaererent invenerunt, sicut Isaiae 65 dicitur: *Inventus sum a non quaerentibus me, palam apparui iis qui me non interrogabant.* [96] His accidit sicut homini invenienti thesaurum in agro; multis autem, sicut mercatori quaerenti bonas margaritas et invenienti ementique pretiosam margaritam. [97]

Beatus homo qui Christum bene quaerit ut inveniat, ne sit de numero eorum quibus ait: *Quaeretis me et non invenientis.* Nam de Esau profano ait Paulus, quod *non invenit poenitentiae locum, quamquam cum lacrimis exquisisset eam.* [98] Hinc ait: *Quaerite Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est;* [99] *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* [100]

ALIA HOMILIA

I. *Miserunt principes et Pharisaei,* [1] quibus tamquam colonis Dominus vineam suam locaverat, [2] quibus regni sui administrationem dederat. Mirabile dictu! Ab iis Dominus maiora accipit et patitur mala quibus maiora contulit bona. Deus nanque multo maioribus bonis divites quam pauperes, principes quam populares cumulavit; sed a divitibus utique et principibus graviora in Deum et Christum admittuntur peccata. Cum enim principes positi sint tamquam Dei vicarii, ut populos in officio contineant, ut omnes Deo, ut par est, pie serviant, nil minus satagunt, suis commodis invigilant et propterea aliquando etiam populos a Deo avertunt.

Ab iis Dominus maiora patitur mala quibus maiora contulit bona.

94) Mal 3, 1. 95) Vrr. 4 sq. 96) Vr. 1. Ms.: *Cp. 61.* Affert ex Rom 10, 20. 97) Cf. Mt 13, 44-45. 98) Hebr 12, 17. Vulg.: *Inquisisset eam.* 99) Is 55, 6. 100) 2 Cor 6, 2.

1) Io 7, 32. 2) Cf. Mt 21, 33; Mc 12, 1; Lc 20, 9.

Tria habemus in hodierno Evangelio: historiam, parabolam et explicationem parabolae,

II. Tria habemus in hodierno Evangelio: historiam, parabolam et explicationem parabolae ab ipsomet Evangelista. *Miserunt principes* sacerdotum *et Pharisaei ministros,*[3] haec historia est; *Si quis sitit, veniat ad me et bibat; qui credit in me, flumina,* etc.,[4] haec parabola est, metaphorica locutio; *Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum,*[5] haec explicatio est. Universa Sacra Scriptura haec tria continet. In Veteri Testamento multas habemus historias in libris *Moysi, Iosue, Iudicum, Regum, Paralipomenon* et aliis; multa mysteria in lege et Prophetis, nam *omnia in figura contingebant illis;*[6] *sunt per allegoriam dicta.*[7] Explicationes paucas habemus: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum,* etc.,[8] explicatio moralis est leviticorum sacrificiorum. Isaias declaravit parabolam vineae;[9] Ieremias visionem virgae vigilantis et ollae fumantis;[10] Ezechiel quid significaret aqua ad mundandas inquinationes: *Ponam Spiritum meum in medio vestri;*[11] Daniel declaravit mysterium statuae[12] et arboris Nabuchodonosor,[13] mysterium scripturae Balthassaro,[14] sicut Ioseph mysteria somniorum Pharaonis.[15] In Novo item Testamento multae sunt historiae in Evangeliis et *Actis Apostolorum,* multa mysteria in parabolis Christi et in *Apocalypsi,* multae item explicationes parabolarum et mysteriorum.

quae saepe habentur in S. Scriptura;

historia narrat legationem Pharisaeorum ut Christum apprehenderent,

Ita in hodierno Evangelio tria haec continentur: historia memorabilis, quia agit de actionibus principum, refert actionem principum synagogae in Christum: *Miserunt principes et Pharisaei ministros ut apprehenderent Iesum,* quia audierant turbam de Christo dicentem: *Christus cum venerit, nunquid plura signa faciet quam quae hic facit?*[16] Agnoscebant turbae Christum verum esse Messiam, verum principem et regem Israelis.

quos sua potentia ipse impotentes reddit.

Refert etiam et repraesentat quid egerit Christus tali tantaque iniuria affectus et lacessitus; non enim egit sicut Elias cum duobus centurionibus eorumque militibus, qui ad eum comprehendendum missi fuerant ab impio rege,[17] neque quod Eliseus cum ministris

3) Io 7, 32. 4) Ibid. vrr. 37-38. 5) Ibid. vr. 39. 6) 1 Cor 10, 11. 7) Gal 4, 24. 8) Ps 50, 19. 9) Cf. 5, 1-7. 10) Cf. 1, 11-16. 11) 36, 27. Vulg.: *Spiritum meum ponam,* etc. 12) Cf. Dn 2, 31-45. 13) Cf. ibid. 4, 7-23. 14) Cf. ibid. 5, 25-28. 15) Cf. Gn 41, 1-36. 16) Io 7, 31. 17) Cf. 4 Rg 1, 2-12.

regis Syriae, quos reddidit caecos;[18] sed his Christus vires tantum animi ademit, non vitam ut Elias, non visum ut Eliseus, sed tantum vires animi, ne eum auderent comprehendere; sic vacuos illos remisit ad principes, ut ostenderet eis divinam potentiam suam. Hinc: *Adhuc modicum tempus vobiscum sum et vado ad eum qui misit me;*[19] non vi, inquit, ducendus sum ad mortem, sed mea sponte mortem sum subiturus: *Potestatem habeo ponendi* animam meam et *iterum sumendi eam; nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam.*[20]

In hoc autem elucet summa synagogae iniquitas et infinita Christi bonitas.

In hac historia manifesta est principum Iudaeorum summa iniquitas. Procedunt contra Christum nullo servato iuris ordine, sed de potentia contra ius et fas, solum, ut aiunt, per ragion di stato,[21] more tyrannorum, non verorum principum. Christus autem non paria rependit, non reddidit mala pro malis, sed summa cum modestia: *Adhuc modicum,* etc., et invitat ad gratiam suam: *Si quis sitit, veniat,* etc.

His verbis Christus se ostendit fontem omnium bonorum,

III. *Si quis sitit, veniat ad me et bibat; Qui credit in me,* etc. Sitis posita est pro ardenti rei cuiusvis desiderio, pro indigentia et necessitate, sicut Iacobus ait: *Si quis indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter.*[22] Hinc Christus haec fatur in die novissimo, die, inquam, magno festivitatis scenopegiae in memoriam divinae providentiae, qua in deserto populus fuerat a Deo mirabiliter servatus, nutritus, protectus, gubernatus;[23] ad eum enim in quacumque necessitate recurrebant et statim subventum erat eis, ita ut tunc vel maxime Deus bonorum omnium fontem se eis exhibuerit. Ita nunc ait Christus: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat,* ac

18) Cf. ibid. 6, 8-20. 19) Io 7, 33.
20) Ibid. 10, 18. Affert ordine inverso. 21) S. Auctor evidenter alludit hic ad nequissimum systema, quod primus videtur exposuisse Marsilius Patavinus, qui in opere «Defensor Pacis» docens Statum habere supremam et absolutam potestatem in mundo, supra ipsam quoque Ecclesiam, licitum illi faciebat omne libitum, dummodo aliqua specie boni cohonestari potuisset. Hanc sententiam secutus est Nicolaus Machiavelli. Theoria haec, ait Lud. Pastor, quae potestati civili quamdam omnipotentiam tribuens, omnem libertatem individualem et ecclesiasticam destruit, ausu, novitate et violentia omnes impetus excedit quos Ecclesia ad illum diem sustinuerat. Executioni mandata, ordinem tunc existentem funditus evertisset et tam Ecclesiam quam Imperium ad extremum exitium propepulisset; ita ut Marsilius haberi possit tanquam praecursor Wiclefi, Huss, Lutheri et Calvini. *Storia dei Papi*, vol. 1, lib. 1, pag. 69. Cf. etiam Gius. Hergenröther *Storia Universale della Chiesa*, vol. 5, par. 3 cp. 2 pag. 32-33; Baldassare Labanca *Marsilio di Padova;* Gio. Botero *Della Ragion di Stato*, cum Praefatione C. Morandi. 22) Iac 1, 5. 23) Cf. Lv 23, 31-43.

sicut se exhibuit in omnibus suis miraculis;

si dicat: sum illemet verus Deus bonorum omnium fons, qui populo in deserto bona omnia providit et exhibuit. Talem enim se Christus in omnibus miraculis suis demonstravit: caecis fontem luminis, infirmis fontem sanitatis, mortuis fontem vitae, tribulatis tandem omnibus fontem consolationis se exhibuit, quoniam Deus ipse est, *Pater misericordiarum et Deus totius consolationis,*[24] de quo Regius Vates: *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te!*[25] Hoc enim est quod ait: *Flumina de ventre eius fluent aquae vivae.*[26] Non dicit flumen, sicut alibi dixit fontem: *Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam,*[27] sed *flumina,* ut autem flumen, perpetuus fluxus aquarum et copiosus valde. Torrens non est flumen, quia non perpetuo fluit; mundus non est flumen, quia non habet magnam copiam aquarum. Flumen igitur hoc in loco perpetuam et magnam consolationem significat; flumina vero multas, magnas et perpetuas consolationes. Hinc ait: *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine!* Hoc est quod Deus populum suum in deserto, non quidem uno die aut mense, sed perpetuo pavit manna de caelo copiosissime descendente;[28] hoc est quod Isaias ait: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris,* non aquam, sed *aquas,* non de fonte, sed *de fontibus,* et *in gaudio,* quoniam, inquit, *Deus factus est mihi in salutem.*[29]

se dicit etiam flumen, ad significandam perpetuam consolationem,

Assimilatur Christus fonti publico magno, qui per multas fistulas emittit copiosissimas aquas, qualis fons fuit populo in deserto petra illa, quae divinitus aquas dedit.[30] Hinc publicum fontem se Christus ostendit, dicens: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat.* Sicut enim in caelo sol fons est magnus lucis, sed communis omnibus, ita Christus; propterea dictus est *Salvator mundi,*[31] *Salvator omnium hominum, maxime vero fidelium.*[32] Ipse enim auctor est omnium bonorum corporalium et spiritualium, temporalium et aeternorum.

quam pro omnibus copiosissime emittit.

IV. *Si quis sitit, veniat ad me et bibat.* His verbis ostendit Dominus se esse fontem omnium desiderabilium bonorum omnisque

24) 2 Cor 1, 3. 25) Ps 30, 20. 26) Io 7, 38. 27) Ibid. 4, 14. 28) Cf. Ex 16, 35. 29) 12, 2-3. Affert ordine inverso. 30) Cf. Ex 17, 5-6; Nm 20, 8-11. 31) Io 4, 42. 32) 1 Tim 4, 10.

desiderabilis consolationis. In *Genesi* 49 legimus de eo: *Donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium;*[33] Aggaei capite 2: *Adhuc unum modicum et movebo caelum et terram... et veniet desideratus cunctis gentibus,*[34] hebraice *desiderium omnium gentium.* Sponsa in *Canticis,* cum multa dixisset de sponso, tandem conclusit: *Et totus desiderabilis,*[35] hebraice *totus ipse desideria,* hoc est reperitur in eo quidquid desiderari potest. Illud *Genesis*: *Qui mittendus est,* hebraice est *sciloh,* quae quidem vox Hebraeis quietem, pacem, felicitatem significat. Quid est autem quod omne hominum genus avidissime cupit nisi felicitatem?[36] Sic ibi Christus felicitas appellatur, quoniam auctor est omnis felicitatis, thesaurus et fons omnis consolationis, sicut sol lucis; hinc enim in gloria transfigurationis sicut sol resplenduit.[37]

Christus in Scriptura appellatur felicitas, quia auctor est omnis felicitatis,

In Sacris Litteris Deus ostenditur principium et causa prima omnium bonorum, a quo pendent universa quae in caelo sunt et in terra. Hoc Moyses docuit in sua *Genesi,* hoc Prophetae omnes. Christus autem verus est Deus, [ostenditur] per Evangelium, sicut in lege et Prophetis promissus fuerat Salvator mundi, verus Deus. Ipse itaque thesaurus et fons est omnium bonorum. Propterea ait: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat.* Loquitur autem singulariter de spiritualibus divinisque consolationibus: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.*[38] Spiritus autem Sanctus, *Paracletus,*[39] hoc est consolator, est appellatus.

cum sit verus Deus.

Flumina de ventre eius fluent. Hoc dixit, quoniam varia sunt dona Spiritus Sancti, sicut apud Isaiam legimus.[40] Videtur autem fluvius paradisi esse gratia Spiritus Sancti, qui in quattuor capita dividebatur.[41] Nam gratia in homine irrigat perficitque intellectum fide, sapientia, intelligentia, prudentia, scientia; voluntatem caritate, pietate, iustitia; irascibilem fortitudine, patientia, constantia, spe; concupiscibilem temperantia, castitate, abstinentia, contemptu saecularium, desiderio spiritualium et caelestium. Sic totum perficit hominem.

Flumina dicit, quia varia sunt dona Spiritus S.

33) Vr. 10. 34) Vrr. 7-8. 35) 5, 16. 36) Ms.: *Felicitas.* 37) Cf. Mt 17, 2. 38) Io 7, 39. 39) Cf. ibid. 14, 16. 26; 15, 26; 16, 7. 40) Cf. 11, 2-3. 41) Cf. Gn 2, 10-14.

Gratia vel gratis data, vel cum labore quaesita,

semper est magnum Dei donum.

Si quis sitit, veniat ad me. Christus in Divinis Litteris nunc fons, nunc puteus appellatur: *Fons hortorum, puteus aquarum viventium.* [42] Ex fonte accipitur aqua absque labore, ex puteo autem cum labore hauritur. Multis Christus offert et dat gratiam suam, cum illi nec cogitent quidem de ea; sic samaritidi, [43] sic chelidonio, [44] sic languido in piscina, [45] sic Paulo; [46] aliis nonnisi multo labore quaesitam concedit, sic chananitidi, [47] sic Barthimaeo, [48] sic Magdalenae; [49] sed utcumque sit, magnum Dei donum est, magna misericordia, magna benignitas et humanitas. Hebraeis in deserto absque ullo ipsorum labore dabat panem de caelo et aquam de petra; at in terra promissionis non absque labore et industria ipsorum dabat de pinguedine terrae et rore caeli. Sed utrumque ex dono et gratia Dei. Haec sunt duo ubera in pectore divinae bonitatis. Habet caritatem et paternam et maternam; haec dulcior est multoque tenerior et indulgentior; illa fortior, sed aliquanto rigidior et severior; utraque tamen providentissima et copiosissima est. [50]

42) Ct 4, 15. 43) Cf. Io 4, 7-26. 44, Cf. ibid. 9, 1-38. Ms.: *Caelidonio.* 45) Cf. ibid. 5, 1-9. 46) Cf. Act 9, 1-22. 47) Cf. Mt 15, 22-28. 48) Cf. Mc 10, 46 sqq. 49) Cf. Lc 7, 37 sqq. 50) Tribus paginis albis relictis, transit ad feriam sequentem.

FERIA TERTIA INFRA HEBDOMADAM DOMINICAE PASSIONIS

Ambulabat Iesus in Galilaeam, non enim volebat in Iudaeam ambulare, quia quaerebant eum, etc. [1]

Fugit Christus persecutionem Iudaeorum.

I. Fugit Dominus persecutionem Iudaeorum sicut Iacob persecutionem Esau, Moyses Pharaonis, David Saulis, Elias impiae Iezabelis, sicut populus Dei persecutionem Aegyptiorum. Diversatur in Galilaea, sicut Iacob in Mesopotamia,[2] Moyses in terra Madian,[3] David in regione Philisthaeorum,[4] Elias in Sarepta Sidoniae et in solitudine usque ad montem Dei,[5] populus in deserto.[6]

Iudaea mundum impiorum figurat.

Duae autem hae provinciae, Iudaea et Galilaea, non vacant mysterio, sed duo regna mihi videntur lucis et tenebrarum: Ecclesia christianorum et synagoga Iudaeorum, quae est *synagoga satanae.*[7] Hic videre licet quod differat Ecclesia a synagoga, christianus a iudaeo. Sed forte Iudaea mundum hunc designat, nam ait: *Non potest mundus odisse vos; me autem odit, quia ego testimonium perhibeo, quia opera eius mala sunt.*[8] Galilaea igitur Sanctam Ecclesiam, Iudaea mundum designat. Mundus autem ponitur una cum satana et carne acerrimus salutis nostrae et infensissimus hostis; mundum autem dicimus improborum hominum multitudinem: *Opera eius mala sunt; Mundus eum non cognovit;*[9] *Mundus totus in maligno positus est;*[10] *Omne quod est in mundo, est concupiscentia carnis*[11]

1) Pericope huius diei Io 7, 1-13. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Gn 28, 1-5; 29, 1 sqq. 3) Cf. Ex 2, 15-22. 4) Cf. 1 Rg 27, 1 sqq. 5) Cf. 3 Rg 17, 1-10. 6) Cf. Ex 14, 1 sqq. 7) Apc 2, 9; 3, 9. 8) Io 7, 7. 9) Ibid. 1, 10. 10) 1 Io 5, 19. 11) Ibid. 2, 16.

Venit princeps mundi huius;[12] *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.*[13]

qui nil minus quam divina curat.

Speciem pietatis habet Iudas, qui tamen virtutem eius abnegabat;[14] non enim de egenis curabat, sed *fur erat et latro.*[15] Quare sicut reperiuntur verae et adulterinae margaritae, verae et adulterinae pecuniae, ita verae et adulterinae virtutes. Hinc Paulus dicit de *fide non ficta;*[16] et alibi: *In Spiritu Sancto, in caritate non ficta;*[17] itemque: *Dilectio sine simulatione;*[18] sic etiam aliquando dixit periculum esse in falsis fratribus;[19] sic Dominus dixit lupos sub vestimentis ovium et sepulcra dealbata.[20] Talis erat Iudas: sub specie pietatis impietatem servabat; talis est mundus iste: videtur habere speciem pietatis, curare divina, ascendere ad diem festum, cum tamen nil minus quam divina curet. Hypocrita mundus hic est, magnus sophista; videri, non esse vult.

Ostenditur hodie divina Christi prudentia.

Ostenditur in hodierno Evangelio mirabilis et divina Christi prudentia. De Davide legimus quod prudens erat valde;[21] Christus autem huius rei causa in Divinis Litteris per aquilam hieroglyphice designatur: *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos;*[22] in *Apocalypsi* autem dicitur habere oculos igneos;[23] ignis autem natura lucidus, subtilis, acutus est, ad designandum iudicium Christi acerrimum, perspicacissimum. Propterea etiam Agnus dicitur habere septem oculos,[24] nam prudens dicitur oculatus, sicut etiam Zacharias super lapidem unum septem oculos vidit.[25] Christus etiam caput Ecclesiae Sanctae est stellis coronatum, quoniam mens Christi ornata est perpetuis luminibus caelestis prudentiae. Sic etiam Christus est aureum candelabrum cum septem lucernis ardentibus,[26] currus Dei apud Ezechielem, qui totus erat plenus oculis, rotae, animalia, etc.[27]

II. De prudentia, sicut et de ceteris cardinalibus virtutibus, multa tradidere morales philosophi, a Socrate edocti, qui veluti auctor habitus est moralis philosophiae, sicut Pythagoras naturalis: quod

12) Io 14, 30. 13) Ibid. 1, 29. Vulg.: *Peccatum mundi.* 14) Cf. 2 Tim 3, 5. 15) Io 12, 6. 16) 1 Tim 1, 5. 17) 2 Cor 6, 6. 18) Rom 12, 9. 19) Cf. 2 Cor 11, 26. 20) Cf. Mt 7, 15; 23, 27. 21) Cf. 1 Rg 18, 5. 14. 30. 22) Dt 32, 11. 23) Cf. 1, 14; 2, 18; 19, 12. 24) Cf. Ibid. 5, 6. 25) Cf. 3, 9. 26) Cf. Ex 25, 31-37; 37, 17-23. 27) Cf. 1, 15-18; 10, 9-12.

sit recta ratio eorum quae agenda sunt; quod decus et ornamentum sit intellectus practici una cum arte, sicut speculativi intellectus ornamentum est scientia, intelligentia, sapientia; quod plures habet partes, ut aiunt, integrales, subiectivas, potentiales. Integrales quidem: memoriam, idest recogitationem praeteritorum; intelligentiam, cognitionem et ordinationem praesentium; prudentiam, praevisionem futurorum magna cum cautione et circumspectione. Partes autem prudentiae subiectivas, ac veluti species tradunt: monasticam in cognitione ac moderatione suiipsius, oeconomicam, politicam, sive basilicam, ac tandem militarem. Potentiales autem: consilium, sive, ut aiunt, euboliam in inventione mediorum ad finem aliquem consequendum, deinde iudicium in electione utiliorum ac meliorum, [quam] Graeci sinesim dicunt; ac tandem perspicaciam, iudicium extraordinarium ex superioribus regulis pro loco et tempore, prout natura negotii requirere videtur; hanc dicunt gnomin.

Prudentiae virtus plures habet partes.

Christus autem hodie exemplo suo monasticam nos prudentiam docet, quae singulis hominibus maxime necessaria est, de qua ait: *Estote prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbae,*[28] quam etiam docuit in parabola decem virginum, assignans discrimen inter virgines prudentes et fatuas, nam *prudentes acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus,* praevidentes id quod accidere poterat; fatuae autem oleum, quod illis futurum erat necessarium, non acceperunt.[29] Sic etiam Salomon prudentiam docuit exemplo formicarum, quae aestate provident sibi necessariam pro hieme annonam.[30] Sic igitur Christus docet monasticam, idest particularem prudentiam omnibus et singulis maxime necessariam, quam Moyses Hebraeis tantopere cupiebat: *Utinam saperent et intelligerent ac novissima providerent!*[31] Tangit tres partes prudentiae, quas dicunt integrales: *Utinam saperent,* recogitarent praeterita; *Haeccine reddis Domino, popule stulte et insipiens? Nunquid non ipse est Deus qui possedit et fecit et creavit te? Deum qui te genuit, dereliquisti et oblitus es Domini creatoris tui,*[32] hoc igitur est saperent praeterita, intelligerent praesentia ac praeviderent futura.

Exemplo suo Christus nos docet prudentiam monasticam,

28) Mt 10, 16. 29) Ibid. 25 3-4. 30) Cf. Prv 30, 25. 31) Dt 32, 29.
32) Ibid. vrr. 6. 18.

praevidet enim et praecavet pericula memor praeteritorum

Sic Dominus hodie memor praeteritarum persecutionum, quas passus fuerat a Iudaeis, nolebat in Iudaeam ambulare, *quia quaerebant eum Iudaei interficere;* ordinat et disponit vitam suam per Galilaeam, ubi securus erat; praevidet et praecavet futura pericula. Hinc invitatus: *Transi hinc et vade in Iudaeam;* [33] *Vos,* inquit, *ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam ad diem festum istum, quia tempus meum nondum advenit, tempus autem vestrum semper est paratum. Non potest mundus odisse vos.* [34]

et sic tria veluti praecepta tradit: fugere pericula, non acquiescere mundanorum hominum consiliis.

Dat igitur Dominus hodie tria veluti praecepta prudentiae. Primum ut fugiamus pericula et securiora loca eligamus, non quae meliora videntur, sed quae securiora sunt. Secundum ut non acquiescamus mundanorum hominum consiliis, licet bona videantur, nam saepe latet anguis sub herba [35] et sub melle venenum, lupi sub vestimentis ovium; sed perspiciamus finem, sicut ille ait:

« Quidquid agis, prudenter agas et respice finem »; [36]

nam, ut Sapiens ait: *Est via quae videtur homini bona, et novissima illius ducunt ad mortem.* [37] Consilium quod satanas parentibus nostris dedit, bonum videbatur: *Nequaquam moriemini,* sed *eritis sicut dii scientes bonum et malum,* [38] idest scientes omnia; et tamen pessimum et perniciosissimum fuit. Tertiam ut vitam et actiones nostras quam ordinatissime disponamus, ut omnia suo tempore fiant; nam: *Omnia tempus habent et spatiis suis transeunt universa sub sole.* [39] Hinc ait: *Non ascendam ad diem festum istum, quia tempus meum nondum advenit.* Erat enim Christus ut horologium ordinatissimum optimeque dispositum, quod signa temporum et horarum iustissime indicat horasque pulsat.

vitam ordinatissime disponere.

Prudentia est quoddam divinum lumen

III. Prudentia est quaedam acies mentis et divinum quoddam lumen, unde quod apud Marcum legimus: *Adhuc et vos imprudentes estis,* [40] alii Evangelistae habent: Adhuc *et vos sine intellectu estis? Non intelligitis?* [41] et Paulus: *Nolite fieri impru-*

33) Io 7, 3. 34) Ibid. vrr. 6. 8. Affert ordine inverso. 35) Ex Virg. *Eclogae,* lib. 3, vr. 93. 36) *Fabulae Aesopianae,* fab. 22, vr. 5, t. 2. 37) Prv 16, 25. 38) Gn 3, 4-5. 39) Eccle 3, 1. Vulg.: *Sub caelo.* 40) 7, 18. Vulg.: *Sic et vos adhuc,* etc. 41) Mt 15, 17.

dentes, sed intelligentes quae sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta.[42]

Prudentia oculus animae est, sed oculus dexter, quem Naas rex Ammonitarum eruere volebat Hebraeis.[43] Mundanam prudentiam nil curat satanas, nam: *Filii huius saeculi prudentiores filiis lucis [sunt];*[44] *Absconditi haec a sapientibus et prudentibus,*[45] *nam prudentia carnis mors est;*[46] prudentiam spiritus odit atque persequitur, nam haec vita et salus nostra est, auriga virtutum, stella quae Magos duxit ad Christum,[47] nubes lucida quae Hebraeos per desertum duxit in terram promissionis.[48] Vera prudentia cum iustitia coniuncta est, alioquin non prudentia est, sed astutia: *Fidelis servus et prudens,*[49] hinc apud exteros per Mercurii caduceum[50] hieroglyphice designatur. Hinc Gabriel Angelus de Ioanne ad Zachariam ait, quod Christum praecessurus erat *in spiritu et virtute Eliae,* ut converteret *incredulos ad prudentiam iustorum;*[51] non dixit ad qualemcumque prudentiam, sed *ad prudentiam iustorum.*

et oculus animae,

sed cum iustitia coniungi debet;

Prudentia monastica homini ad tria necessaria est. Primo quidem ad fugienda pericula, sicut navi opus optimo nauta et peritissimo ductore ad fugienda maris pericula. Secundo ad discernenda et cognoscenda vera bona ab adulterinis: mercatori opus ex exacta cognitione pecuniarum et mercium, aurifici metallorum atque gemmarum, alioquin facile decipietur. Mundus hic plenus est periculis et dolis ad decipiendum et perdendum hominem. Tandem prudentia necessaria est ad vitae et actionum ordinatam dispositionem, ut omnia suis temporibus quam ordinatissime fiant. Sic Christus hodie prudentia usus fugit persecutionum pericula; cognovit non utile, sed perniciosum sibi fore consilium fratrum suorum: *Transi hinc et vade in Iudaeam,* ac tandem voluit suo tempore omnia agere: *Non ascendam ad diem festum istum, quia tempus meum nondum advenit.*

necessaria est ad fugienda pericula ad discernenda vera bona, ad rectam dispositionem vitae.

42) Eph 5, 17; Rom 12, 2. 43) Cf. 1 Rg 11, 1-2. 44) Lc 16, 8. 45) Mt 11, 25. 46) Rom 8, 6. 47) Cf. Mt 2, 1-11. 48) Cf. Ex 13, 22. 49) Mt 24, 45. 50) Virga duobus serpentibus illigata, quam Mercurio Apollo donasse *dicebatur*. Cf. Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 5, pag. 373; Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 21, cp. 16, col. 1168-1169. 51) Lc 1, 17.

Hodie Christus philosophatur de mundo et tempore.

IV. In hodierno Evangelio Salvator philosophatur de natura mundi et de temporum varietate, sicut Moyses in sua cosmopoeia agit de creatione mundi et de origine temporis: *Factum est vespere et mane dies unus; factum est vespere et mane dies secundus*, etc.; [52] sic omnia creata sunt cum tempore, nam rerum omnium creationem sex diebus absolvit Divinus Moyses, [53] sapientum omnium Alpha, fons theologiae et parens philosophiae.

ut philosophus moralis.

Sed non loquitur hodie Christus de mundo tanquam naturalis philosophus, sed tanquam moralis; non loquitur de mundo, de quo Moyses ait: *In principio creavit Deus caelum et terram,* [54] et de quo Ioannes ait: *In mundo erat et mundus per ipsum factus est,* [55] nam *omnia per ipsum facta sunt;* sed de mundo, qui *totus in maligno positus est; Et mundus eum non cognovit.* [56] De hoc ait: *Non potest mundus odisse vos, me autem odit quia ego testimonium perhibeo, quia opera eius mala sunt.* Natura mundi huius iniqua est, perversa est, maligna est: *Dilexerunt homines magis tenebras quam lucem; erant enim eorum opera mala,* nam *qui male agit odit lucem.* [57] Hinc ait: *Me odit mundus,* quia odit lucem veritatis et iustitiae sicut et satanas, quo plenus est. Nam satanas, sicut princeps [58] et rector, [59] ita etiam spiritus mundi huius dictus est. [60] Ostenditur mundus mala arbor faciens malos fructus, quae non potest fructus bonos facere: [61] *Quia opera eius mala sunt.*

Saepe Christus philosophatus est de tempore.

Verum enimvero, de varietate temporum potius in hodierno Evangelio Dominus philosophatur. Sicut enim sex diebus Moyses mundi creationem absolvit, ita in hodierno Evangelio sexies fit mentio temporis: *Tempus meum nondum advenit, tempus autem vestrum semper est paratum; Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam ad diem festum istum, quia tempus meum nondum impletum est.* Cum autem ascendissent *fratres eius, tunc, et ipse ascendit ad diem festum.* [62] Et quidem Dominus saepe philosophatus est de tempore: cum primum miraculum operatus fuit: *Nondum venit hora mea;* [63] cum caecum illuminavit: *Me oportet*

52) Gn 1, 5-8. 53) Cf. Ibid. 2, 1-2. 54) Ibid. 1, 1. 55) 1, 3.
56) Ibid. vr. 10. 57) Ibid. 3, 19-20. 58) Cf. Ibid. 12, 31; 14, 30; 16, 11.
59) Cf. Eph 6, 12. 60) Cf. 1 Cor 2, 12. 61) Cf. Mt 7, 17-18. 62) Io 7, 10.
63) Ibid. 2, 4.

operari opera eius qui misit me, donec dies est. Venit nox, quando nemo potest operari; [64] similiter cum perrexit ad suscitandum Lazarum: *Nonne duodecim horae sunt diei? Qui ambulat in luce, non offendit, quia lumen mundi huius videt.* [65] Sic saepe alias de tempore disseruit.

Et quidem temporis contemplatio in naturali philosophia praecipuum sibi locum vindicat. Nam cum tempus ipsum res sit omnibus manifestissima, sicut caelum, sicut sol, sicut lux, eius tamen natura abditissima est, sicut lucis natura. Definitur quidem a peripateticis numerus et mensura motus secundum prius et posterius; sed tamen oppositum verius videtur, quod motus sit temporis mensura. Sic enim Moyses docere videtur cum ait posita esse luminaria in caelo, ut essent *in signa et tempora et dies et annos.* [66] Sine motu caeli esset quidem tempus, sicut legimus quod spatio unius diei steterunt luminaria caeli, sol et luna, absque motu, [67] sed non esset mensuratum atque signatum per dies, hebdomadas, menses et annos. Quare sapientissimus Salomon visus est definisse tempus, quod spatium sit durationis cuiuscumque rei, cum dixit: *Omnia tempus habent et suis spatiis transeunt universa sub sole.* Non igitur est mensura motus caelestis, sed e contra, nam nos quoque motu horologiorum mensuramus tempus. Quare caelum est veluti magnum quoddam horologium mensurans motu suo universale tempus. Est autem universale tempus spatium durationis ac mensura aetatis magni huius mundi a die et hora, imo a momento et instanti quo conditus a Deo fuit.

nam temporis contemplatio praecipuum locum obtinet in naturali philosophia.

Est autem tempus, - quod a Thalete Milesio sapientissimum dictum fuit, [68] ab aliis autem parens veritatis, - veluti imago Dei, quatenus aeternus est, omnia complectitur, spiritus est et ubique totus. Nam spatia temporum ubique gentium aequalia omnibus sunt atque communia per singula momenta. Neque enim naturalis diei partem unam haec regio, alia vero partem reliquam possidet, sicut de caelo accidit et mundo; nulla nanque regio totum caelum totumque mundum vel oculis cernere potest; tempus autem omnis regio

Tempus est veluti imago Dei.

64) Ibid. 9, 4. 65) Ibid. 11, 9. Vulg.: *Qui autem ambulaverit in die... quia lucem huius mundi videt.* 66) Gn 1, 14. 67) Cf. Ios 10, 12-14. 68) Cf. Diogenes Laertius *De Vita et Moribus Philosoph.*, lib. 1, pag. 20.

totum habet ubique et semper, totum commune est omnibus suo perenni fluxu.

Tempus omne Christus hodie dividit in duas partes.

V. Tempus omne in duo tempora divisit Deus ab initio: in tempus lucis et tenebrarum, diem et noctem. In Lege autem in tempus sacrum et commune, in dies festos, et profestos; sic enim ab initio diem sabbati sanctificavit,[69] idest divino cultui consecravit et dedicavit, reliquos autem hebdomadis dies humanis usibus reliquit ac labori destinavit. Ita in hodierno Evangelio Christus Dominus tempus in duas partes dividit dicens: *Tempus meum nondum advenit, tempus autem vestrum semper est paratum.* Loquitur etiam de diebus festis et profestis: *Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam ad diem festum istum.* Quod autem hic Dominus ait: *Tempus meum* et *tempus vestrum*, idem est in spiritu ac tempus lucis et tempus tenebrarum, de quibus Apostolus: *Nox praecessit, dies autem appropinquavit; abiiciamus ergo opera tenebrarum et induamur arma lucis; sicut in die honeste ambulemus;*[70] et alibi: *Eratis aliquando tenebrae,* idest in nocte obscura, *nunc autem lux in Domino; ut filii lucis ambulate;*[71] et alibi: *Omnes enim vos filii lucis estis et filii diei; non sumus noctis neque tenebrarum;*[72] sic et Petrus: *De tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.*[73]

Tempus magnum Dei donum est;

Tempus magnum Dei donum est. Magno Dei munere Ezechiae regi tempus quindecim annos concessum fuit.[74] Est tempus multarum rerum magister, inventor artium, doctor prudentiae, revelator veritatis, consummator sapientiae. Est imago prudentiae; per Ianum bifrontem designabatur, quia praeterita respicit et futura;[75] similiter prudentia omnia rimatur; sacrum animal est apud Ezechielem plures habens facies, multis oculis plenum.[76] Haec veluti dialectica est discernens vera a falsis, ne verisimilitudine animus decipiatur. Sic veram virtutem a falsa virtutis specie discernit, ne vitium sub specie virtutis nos fallat, cum satanas in angelum lucis se transfigurat,[77] ne accipiamus pro iustitia crudelitatem, pro fortitu-

69) Cf. Gn 2, 2-3; Ex 20, 8-11. 70) Rom 13, 12-13. 71) Eph 5, 8. 72) 1 Thess 5, 5. 73) 1 Petr 2, 9. 74) Cf. 4 Rg 20, 1-11; Is 38, 1-8. 75) Cf. Beyerlink *Theatrum Vitae humanae*, sub hac voce. 76) Cf. 10, 1-12. 77) Cf. 2 Cor 11, 14.

dine audaciam ac temeritatem, pro liberalitate prodigalitatem, pro religione superstitionem, pro timore pusillanimitatem, pro spe praesumptionem. Sic enim multa vitia virtutibus propinqua et finitima sunt, incautos facile decipiunt.

Tempus datum est homini ad honestos labores, nam avis nascitur ad volandum et homo ad laborem;[78] hinc ab initio posuit Deus hominem in paradiso, *ut operaretur et custodiret illum;*[79] deinde vero ad spiritualem sanctamque quietem; hinc sabbatum sanctificavit. Mundus autem, qui omnibus Dei donis abutitur, tempus omne insumit ad vanitates et voluptates, ad mundana solatia, ad opera iniquitatis: *Opera eius mala sunt,* ita ut etiam sacras solemnitates divinitus institutas profanarit. Ideo Christus ad diem festum ascendere recusavit, nam profanata festa Deo non placent. Hinc per Isaiam ait: *Neomeniam et sabbatum et solemnitates alias non feram, iniqui sunt coetus vestri; calendas vestras et solemnitates vestras odivit anima mea;*[80] et per Amos: *Odi et proieci festivitates vestras,*[81] quoniam, sicut per Ezechielem ait: *Sabbata mea dedi eis, ut essent signum inter me et* inter *eos... et sabbata mea violaverunt vehementer.*[82] Hinc per Oseam ait: *Cessare faciam omne gaudium eius et solemnitatem eius, neomeniam eius, sabbatum eius et omnia festa tempora eius.*[83] Paulus ait: *Dum tempus habemus, operemur bonum;*[84] et alibi: *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.*[85] Redimitur autem tempus abstinendo a superfluis curis et sollicitudinibus, quibus tempus veluti mancipium servit. Tempus praesens tempus salutis est. Hinc Paulus ait: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Tempore accepto exaudivi te et in die salutis adiuvi te.*[86] Christus venit ad praedicandum *annum Domini acceptum et diem retributionis,* ut Isaias ait.[87]

datur homini ad honestos labores et sanctam quietem;

mundus autem tempus insumit ad vanitates et opera iniquitatis.

Multa divina mysteria continentur in sacris solemnitatibus legis, in sabbato, neomenia, pascha, pentecoste, scenopegia et aliis. Sed omnes solemnitates institutae fuerunt in memoriam beneficiorum Dei et in figuram futurorum bonorum in Ecclesia utraque.

78) Cf. Iob 5, 7. 79) Gn 2, 15. 80) 1, 13-14. 81) 5, 21. 82) 20, 12-13. 83) 2, 11. 84) Gal 6, 10. 85) Eph 5, 16. 86) 2 Cor 6, 2. Affert ordine inverso. 87) 61, 2. Ex Lc 4, 19.

ALIA HOMILIA

Ambulabat Iesus in Galilaeam, etc. [1]

Elucet hodie patientia et prudentia Domini.

I. Ostenditur in hodierno Evangelio Christi Domini tum patientia tum prudentia: patientia in perferenda acerba et dira persecutione Iudaeorum, prudentia in evitandis periculis. Hoc mysterium illud esse videtur, quod iussit Deus ut vestibus pontificis *superhumerale* et *Rationale iudicii* catenulis aureis ac fibulis connecterentur, [2] ne unquam separari possent. *Superhumerale* autem laborum onerumque sufferentiam; *Rationale* autem, quod graece *loghion* dicebatur, rationis iudicium et prudentiam designabat. Prudentia autem in tribulationis tempore quam maxime necessaria est, sicut nautae in tempestate nauticae artis peritia ad superanda maris pericula.

Hoc est quod Dominus in omni sacrificio sal adhiberi voluit. [3] Sacrificium patientia est, sal autem prudentia. Sic Dominus noster ostenditur hodie sicut David fortis et prudens, imo sicut turris David quae aedificata erat cum propugnaculis, mille clipei pendebant *ex ea, omnis armatura fortium.* [4] Turris enim illa arx erat munitissima ad munimen civitatis et regni, ad cuius custodiam fortitudine et vigilantia militum opus erat. Aliquando autem sagax prudentiae iudicium per turrim designata est, unde legimus: *Nasus tuus sicut turris Libani, quae respicit contra Damascum,* [5] idest contra regnum inimicorum, contra infensos hostes, ubi exploratores fideles perpetuo vigilantes loco tam eminenti, a longe possent hostium insidias videre et denunciare omniaque inimicorum consilia irrita conatusque vanos reddere.

II. Habemus in hodierno Evangelio a Christo Domino tum exempla vitae ad imitandum tum documenta doctrinae ad discendum. Fuit enim Dominus propheta *potens in opere et sermone;* [6] *Coepit*

1) Io 7, 1. 2) Cf. Ex 28, 6-28. 3) Cf. Lv 2, 13. 4) Ct 4, 4. 5) Ibid. 7, 4. 6) Lc 24, 19.

facere et docere.[7] Exempla vitae sunt, quia ambulabat in Galilaeam, prudenter declinabat et patienter ferebat Iudaeorum invidiam iniquamque persecutionem, *quia quaerebant eum Iudaei interficere.*[8] Exemplum etiam vitae ad imitandum est contemptus gloriae mundi: *Transi hinc et vade in Iudaeam, ut et discipuli tui videant opera tua quae facis. Nemo enim in occulto quidquam facit et quaerit ipse in palam esse.*[9] Sed renuit Dominus consilium hoc gentilium suorum tanquam inane et perniciosum. Est autem res magna valde ex animo mundi huius gloriam humanasque laudes contemnere et pessumdare.

Habemus a Christo exempla vitae ad imitandum

Documenta autem doctrinae sunt quibus Dominus hodie de tempore et de mundo philosophatur, non quidem physice, sed ethice, moraliter de tempore et de mundo disserens. Non disserit, inquam, physice de tempore, quoniam ignorat adhuc philosophia, quae omnia scire et sapientissima sibi videtur, cum caeca sit, quidnam sit tempus. A paripatu definitur numerus motus secundum prius et posterius, obscure quidem nec satis scite. Hinc excogitavere numerum numerantem et numerum numeratum, numerum physicum et numerum mathematicum, nec intelligunt de quo dicat, cum tamen tempus non sit nisi mundi huius aetas, spatium et mora motu solis et lunae singulariter signata.

et documenta doctrinae ad discernendum.

Neque de mundo hodie Dominus philosophatur, sed munus hoc philosophiae relinquit, quamquam nec ipsi quidem philosophiae cognitus est mundus, hinc hebraice dicitur *holam*, absconditus, quia sensibus quidem cognitus est hic mundus et manifestus, intellectui vero minime, cum naturas et proprias caeli, siderum, elementorum et quarumcumque rerum ignoremus, unde Socrates: « Scio quod nihil scio ».[10]

Non agit Christus hodie physice de mundo,

Tractavit physice de mundo Moyses describens creationem universi ostenditque quod mundus opus est Dei omnipotentis, factus ex nihilo ad hominis usum. Tractavit etiam physice de tempore, dum ostendit quod in principio temporis conditus est, quod tempus non est nisi aetas mundi huius, spatium durationis caeli et terrae rerumque quarumcumque, sicut et Salomon ait: *Omnia tempus habent*

quod fecit Moyses in descriptione creationis universi,

7) Act 1, 1. 8) Io 7, 1. 9) Ibid. vrr. 3-4. 10) Diogenes Laertius *De Vita et Moribus Philosophorum*, lib. 2, pag. 72.

et suis spatiis transeunt universa sub sole.[11] Sic clare et dilucide ostendit Divina Scriptura quid sit tempus, non obscure, ut Aristoteles, qui in difficillimis semper fuit sicut sepia effundens atramentum.[12] Hinc apud Peripateticos de natura temporis sunt quot capita tot sententiae,[13] licet probabilius sentire videantur qui dicunt tempus esse numerum motus, idest motum caeli multis circulationibus numeratum. Sed tamen non vera sententia est, cum tempus sine motu intelligere possimus et fuerit aliquando tempus sine motu et immobilium etiam rerum duratio tempore mensuratur.

sed moraliter, qua mundus est congregatio iniquorum.

Cum igitur Moyses, divinissimus cum theologus tum etiam philosophus, de his physice pertractavit, Dominus hodie de his ethice, moraliter agit. Agit autem de mundo, non utique de quo ait: *Mundus per ipsum factus est,* sed de quo dixit: *Mundus eum non cognovit.*[14] Mundum autem hunc appellat Iudaeam: *Non volebat in Iudaeam ambulare, quia quaerebant eum Iudaei interficere.* Mundus est congregatio inimicorum Christi: *Non potest mundus odisse vos, me autem odit quia opera eius mala sunt.*[15] Hinc Dominus praefert Galilaeam Iudaeae, quasi Galilaea non esset de mundo; sic enim Ecclesia non est de mundo, Apostolis enim ait: *Si de mundo essetis, mundus quod suum esset diligeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.*[16] Diligebat Dominus Galilaeam, Galilaeus esse et dici voluit, in Galilaea concipi,[17] ibi educari et habitare, postquam ex Aegypto reversus fuit, defuncto Herode,[18] ibi a Ioanne baptizatus fuit,[19] ibi coepit miracula facere,[20] ibi diu versari, per civitates et synagogas Galilaeae Evangelium praedicare.[21] Fuit nanque Galilaea populo Dei veluti porta terrae promissionis.

Sancta autem Ecclesia dicitur domus Dei et porta caeli,[22] Galilaea transmigratio, revolutio, circulatio interpretatur. Vita Christi veluti circulus fuit: *Exivi a Patre et veni in mun-*

11) Eccle 3, 1. 12) Cf. M. Nizzolius *De veris principiis,* pag. 13; A Lapide *Comment. in quattuor Evangelia. Cronotaxis annorum et gestorum Christi,* can. 25. 13) Proverbium ex Terentio: «Quot homines tot sententiae». *Phorn.,* 2, 4, 14, et ex Horatio: «Quot capitum vivunt, totidem studiorum Millia». *Satyrae,* lib. 2, satyr. 1, vr. 27. 14) Io 1, 10. 15) Ibid. 7, 7. 16) Ibid. 15, 19. Vulg.: *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat,* etc. 17) Cf. Lc 1, 26-38. 18) Cf. Mt 2, 19 sqq. 19) Cf. ibid. 3, 13; Mc 1, 9. 20) Cf. Io 2, 1-11. 21) Cf. Mt 4, 23; Mc 1, 39; Lc 4, 44. 22) Cf. Gn 28, 17.

dum, iterum relinquo mundum et vado ad Patrem;[23] *A summo caelo egressio eius et occursus eius usque,* etc.[24] Haec vita Sanctae Ecclesiae, ad Deum tendere a quo sumpsit initium, nam Deus est A et Ω, principium et finis. Veri fideles non sunt de mundo, peregrini in mundo sunt; hos diligit Dominus, apud hos libenter diversatur fugiens a mundo, a synagoga satanae. O beatos galilaeos! Sed qui vere galilaei sunt. Multi nanque non sunt veri cum Christo galilaei, qui volunt ascendere in Iudaeam ad diem festum, qui voluptatibus saeculi delectantur. Sed de his ait: *Neque enim fratres eius credebant in eum,*[25] idest non vere credebant, valde imperfecte credebant. Quam multi sunt christiani qui in Christum credunt quidem, sed quam imperfectissime! De his ait: *Non potest mundus odisse vos, me autem odit.* Similes estis vos mundo, non sicut ego, qui *non sum de hoc mundo,* qui *de supernis sum.*[26]

Vita Ecclesiae est ad Deum tendere, a quo sumpsit initium;

sed perpauci sunt veri fideles.

III. Dictis et factis urget nos hodie Dominus, ut prudenter vivamus, ut pericula caveamus, ut mundi consilia tanquam noxia et periculosa respuamus, ut tempus bene expendamus. Hinc toties fit temporis mentio in hodierno Evangelio, quoniam tempus bene expendere res est summi momenti. Modicum tempus bene expensum homini maximum affert emolumentum, causa est salutis aeternae. Patet in latrone, cui Christus in cruce dixit: *Hodie mecum eris in paradiso,*[27] brevissimo temporis spatio bene usus aeternam gloriam consecutus est. Bone Deus, quanti ponderis et momenti tempus est! Sed vae iis qui tempore abutuntur, qui tempus non redimunt a servitute carnis, mundi, mammonae, qui gratiam Dei in vanum recipiunt, qui tempus gratiae et salutis non agnoscunt![28]

Dictis et factis docet Dominus tempus bene expendere

Dictis et factis agit Dominus, ut prudenter vitam nostram instituamus, sicut Moysi Deus et doctrinam dedit: *Ego ero in ore tuo et docebo te quid loquaris,*[29] et virgam in manu ad operandum: *Virgam hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.*[30] Singulariter vero requirit ut tempore suo omnia faciamus: Non ascendam,

et prudenter vitam instituere.

23) Io 16, 28. 24) Ps 18, 7. 25) Io 7, 5. 26) Ibid. 8, 23. Affert ordine inverso.
27) Lc 23, 43. 28) Cf. 2 Cor 6, 1-2. 29) Ex 4, 12. Vulg.: *Doceboque te,* etc.
30) Ibid. vr. 17.

quia tempus meum nondum impletum est.[31] Nautae et agricolae semper temporis opportunitatem expectant eamque, cum nacti fuerint, nunquam praetermittunt. Iussit Deus ut statis temporibus legalia festa celebrarentur et nunquam praetermitterentur, praecipue vero sabbata, nam septimum diem, septimam temporis universi partem, Deus divino cultui dedicavit,[32] sex autem homini reliquit. Dominus possessionis agricolis relinquens sex partes fructuum, magna benignitate utitur. Cultus Dei vena est auri optima, cultus mundi vena ferrea.

Ex dictis et factis Christi habemus hodie exempla vitae

IV. *Ambulabat*[33] *Iesus in Galilaeam.* Hodiernum Evangelium nuda et simplicissima videtur historia, in qua nullus vel minimus splendet radius divinitatis Christi, nullum miraculum opus divinae potentiae, nulla parabola in qua eluceat sapientia, nullum sacramentum divinae bonitatis opus. Multa tamen sunt in hac historia moralia documenta ex factis et dictis Christi. Est in hoc Evangelio Christus Deus absconditus: *Posuit tenebras latibulum suum.*[34] Habemus itaque exempla vitae et documenta doctrinae, exemplum patientiae, qua suffert gravissimam Iudaeorum persecutionem: *Vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius;*[35] exemplum prudentiae evitando pericula et faciendo opera sua suo loco, tempore et modo: *Tempus meum nondum advenit; Ascendit ad diem festum non manifeste, sed quasi in occulto;*[36] exemplum contemptus mundi et omnium saecularium bonorum.[37] Galilaeam elegit, in qua pauperes ignobilesque fere omnes erant, non Iudaeam, in qua principes multi magnaque copia divitiarum, bonorum, voluptatum. Imo fugit Christus mundum tanquam capitalem hostem et mortalem inimicum: *Me odit mundus, quia ego,* etc. Sicut Moyses praetulit desertum Madian deliciossimae terrae Aegypti ad servandam vitam,[38] ita Christus; sed ad nostrum exemplum.

Habemus etiam documenta doctrinae, quod omnia facienda sunt suo tempore et modo; quod servandi sunt dies festi, non cum mundo

31) Io 7, 8. 32) Cf. Ex 20, 8-11. 33) Atramento clariori et stylo strictiori.
34) Ps 17, 12. 35) 1 Petr 2, 21. 36) Io 7, 10. 37) Ms.: *In Galilaeam.*
38) Cf. Ex 2, 15.

more mundano, sed iuxta voluntatem Dei; quod bona opera, quae laudem et gloriam conciliant, facienda sunt potius occulte quam manifeste. Sic Dominus hodie prudenter cogitat: *Non enim volebat in Iudaeam ambulare, quia,* etc.; prudenter loquitur, dum fratres suos, idest cognatos, modeste arguit: *Non potest mundus odisse vos, me autem odit, quia ego testimonium perhibeo,* etc.; *Mundus in maligno positus est.* [39] Ego autem cum arguam vitia mundi, patior ab eo persecutionem, nam: *Qui male agit odit lucem.* [40] Vos non ita, quoniam similes ei estis, vita et moribus mundani estis. Milites Philisthaei, ut viderunt Ionatham armatum, statim insurrexerunt in eum, quoniam agnoverunt eum non esse philisthaeum, sed contra Philisthaeos. [41] Secure versatur miles in suo exercitu, non item in exercitu inimico. Ita, inquam, prudenter arguit cognatos suos et causam assignat cur ad diem festum nollet ascendere. Prudenter item operatur et dum in Galilaea versatur et dum ad diem festum quasi in occulto ascendit. — et documenta doctrinae

Habemus etiam divinum animi Christi candorem contra mundi vitia: *Ego testimonium perhibeo de eo, quia opera eius mala sunt.* Sic enim de eo R e g i u s V a t e s ait: *Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem.* [42] Sic videmus in Christo hodie mysterium illud in vestibus pontificis, ubi unita coniunctaque erant *superhumerale* et *Rationale* prudentiae et bonitatis. Sicut virum perfectae aetatis duo maxime constituunt: vires corporis et prudentia animi, nam in his duobus differt vir a puerulo, ita haec duo vel maxime coniuncta fuere in Christo: fortitudo ad perferenda mala, prudentia divina in omnibus, cum his autem bonitas. — et divinum ipsius animi candorem contra mundi vitia.

V. *Ambulabat in Galilaeam, non in Iudaeam.* Habemus in hodierno Evangelio duo loca, duas provincias: Iudaeam et Galilaeam, duo tempora: *Tempus meum nondum advenit; tempus autem vestrum semper est paratum;* duo item genera personarum, nam hi quidem sunt in Christum bene affecti, ut fratres eius, alii autem malo et inimico animo: *Quaerebant eum Iudaei interficere; Non potest mundus odisse vos; me autem odit.* Hi bene loquuntur de Christo, alii autem — Habemus etiam duo loca, duo tempora, duo genera personarum:

39) 1 Io 5, 19. 40) Io 3, 20. 41) Cf. 1 Rg 14, 1-15. 42) Ps 44, 8.

male: *Quidam enim dicebant: Quia bonus est, alii autem: Non, sed seducit turbas.* [43] Moyses etiam mundum in duas partes divisit, in caelum et terram; tempus in diem et noctem; aquas in supra firmamentum et sub firmamento; sicut etiam omnes creaturas in habentes imaginem Dei, hoc est homines, et in non habentes, uti sunt omnes aliae corporales creaturae factae in sex diebus. Christus etiam in die iudicii tria haec faciet: duos tantum statuet et assignabit locos, paradisum et infernum; duo tempora, alterum perpetuae lucis in paradiso, alterum perpetuae obscuritatis in inferno: *Ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam;* [44] mundum universum, idest totum genus humanum, in duas partes: *Statuet oves a dextris, haedos autem a sinistris.* [45]

duo loca, idest regnum Dei et regnum diaboli;

Nunc videamus hos duos locos, duo tempora et duo genera personarum hodierni Evangelii. Duo sunt tantum loca in universo, nempe Ecclesia Christi et *synagoga satanae.* [46] Ubi non est Christi Ecclesia, vera fides catholica, ibi synagoga est satanae. Hae igitur sunt duae provinciae, Galilaea et Iudaea, duo regna, Dei et diaboli, duae civitates, Ierusalem et Babel, quarum haec fundata supra amorem sui et saeculi ascendit usque ad contemptum et odium Dei: [47] *Quaerebant eum Iudaei interficere; Me odit mundus quia,* etc.; illa autem fundata supra contemptum sui et saecularium rerum ascendit usque ad perfectum amorem Dei: *Qui adhaeret Deo, unus spiritus est* [48] cum eo.

duo tempora, idest servitii Dei et servitii mundi;

Sicut autem habemus duo loca, ita et duo tempora: alterum quod expenditur in servitio Dei, alterum quod expenditur in servitio mundi; illud est tempus diei, tempus lucis; hoc tempus noctis, tempus tenebrarum: *Nox praecessit,* inquit Paulus, *dies autem appropinquavit; abiiciamus ergo opera tenebrarum et induamur arma lucis, sicut,* etc. [49]

Sic item sunt duo genera hominum: christiani catholici Christum laudant dicentes: *Quia bonus est,* infideles dicunt: *Non, sed seducit*

43) Io 7, 12. 44) Mt 25, 46. 45) Ibid. vr. 33. 46) Apc 2, 9; 3, 9. 47) Cf. Gn 11, 2-9. 48) 1 Cor 6, 17. 49) Rom 13, 12-13. Vulg.: *Adhaeret Domino.*

turbas. Christiani veri bono in Christum animo sunt, diligunt eum, desiderant gloriam ipsius; infideles, e contra, oderunt et persequuntur: *Saule, Saule, quid me persequeris?* [50] Sed tamen qui Christum oderant, perfecto odio oderant: *Quaerebant eum interficere;* palam dicebant: Non est bonus, *sed seducit turbas;* qui autem laudabant, dicebant quidem: *Quia bonus est,* sed non palam, *propter metum Iudaeorum;* [51] et qui diligebant, valde imperfecte diligebant, ita ut Evangelista dicat: *Neque enim fratres eius credebant in eum.* [52] Sic imperfecta valde est nostra fides et caritas in Christum, saepe saepius inferior proprio commodo: *Nemo palam loquebatur propter metum.* Hos fratres suos Dominus mundanos dicit: *Non potest mundus odisse vos,* etc.

duo genera personarum, idest vere fidelium et non fidelium.

VI. *Me odit* [53] *mundus, quia ego testimonium perhibeo de eo, quia opera eius,* etc. Reciprocum reperitur odium inter Christum et mundum. Odit mundus Christum et Christus mundum, sicut legimus quod Deus Esau odio habuit; [54] sic: *Odio est Domino impius et impietas eius.* [55] Diligit Deus mundum quoad naturam, quae bona est, odit quoad culpam, quae mala est. Mundus autem odit Christum et in se et in suis membris, nam mundus inter inimicos salutis nostrae computatur. Nam cum Christus habitet per gratiam in suis: *Vivit in me Christus,* [56] mundus allicit ad peccatum, per quod veluti interficitur Christus. Allicit autem ad peccatum pravis consiliis, exemplis et vituperatione verae pietatis: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum,* hoc primum est; *et in via peccatorum non stetit,* hoc secundum est; *et in cathedra irrisorum non sedit,* [57] sive non habitavit. Irridet mundus pietatem, maxime cum iuvenes videt dare operam ut incipiant secundum Deum vivere. Remittere iniurias, inimicis ignoscere, non vindicare et pro malis bona [58] reddere, turpe mundo est, infamis et honore indignus habetur, cum tantum prae-

Reciprocum odium intercedit inter Christum et mundum.

50) Act 9, 4. 51) Io 7, 13. 52) Ibid. vr. 5. 53) Sequitur in alia pagina stylo latiori. 54) Cf. Mal 1, 3; Rom 9, 3. 55) Sap 14, 9. Vulg.: *Odio sunt,* etc. 56) Gal 2, 20. 57) Ps 1, 1. Ex hebraico. 58) Ms.: *Peiora,* loco: *Bona.*

ceptum Dei sit diligere inimicos, adeo ut dicat Ioannes quod *qui non diligit manet in morte* et *qui odit fratrem suum homicida est,*[59] utique de stirpe Cain.[60] Sic mundus Christum in suis odit et persequitur, ut spiritu satanae plenus.[61]

59) 1 Io 3. 14-15. 60) Cf. ibid. vr. 12. 61) Duabus paginis albis relictis, transit ad feriam sequentem.

FERIA QUARTA INFRA HEBDOMADAM DOMINICAE PASSIONIS

Facta sunt encaenia in Ierosolymis et hiems erat. Et ambulabat Iesus in templo in porticu. [1]

Christus Iudaeis odiosissimus erat.

I. Sicut Ioseph, patriarchae Iacob dilectissimus filius, missus a patre ibat veluti errabundus per campum quaerens fratres suos, qui eum acerrimo sed iniustissimo odio prosequebantur et perdere cupiebant, [2] ita hodie Christus, Dei dilectissimus Filius, per templum deambulat quaerens salutem Iudaeorum, quos ipse tanquam fratres carissimos diligebat, quibus tamen odiosissimus erat. Hinc hodie circumdederunt eum dicentes: *Si tu es Christus, dic nobis palam,* [3] utique ut possent eum accusare et perdere.

Traditur hodie clarissima Christi cognitio.

Est autem hodiernum Evangelium plenum alta et divina philosophia. Quaerebant Iudaei claram Christi cognitionem: *Si tu es Christus, dic nobis palam.* Hinc traditur in hoc Evangelio clarissima Christi cognitio, quoniam res est summae utilitatis Christum cognoscere: *Haec* enim *est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Iesum Christum.* [4] Traditur hic perfecta Christi cognitio cum humanitatis, qua ambulabat in porticu Salomonis: *Et circumdederunt eum Iudaei,* [5] tum etiam divinitatis, de qua ait: *Ego et Pater unum sumus; Homo cum sis, facis teipsum Deum.* [6]

1) Pericope huius diei Io 10, 22-38. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Gn 37, 3-18. 3) Io 10, 24. 4) Ibid. 17, 3. 5) Ibid. 10, 24. 6) Ibid. vrr. 30. 33.

In hodierno Evangelio continentur omnia quae a Vatibus praedicta fuerant.

II. Quaecumque de Christi persona a Divinis Vatibus praedicta sunt, in hodierno Evangelio clarissime continentur. - Quod Messias mittendus erat a Deo: *Donec veniat qui mittendus est,*[7] et quod futurus erat plenus Spiritu Sancto: *Requiescet super eum Spiritus Domini;*[8] *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me,*[9] hoc est quod ait: *Quem Pater sanctificavit et misit.*[10] - Quod Messias futurus erat Deus et homo: *Vocabitur nomen eius Emmanuel;*[11] *Suscitabo David germen iustum... et hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus iustus noster.*[12] Sic dicitur: *Quia tu, homo cum sis, facis teipsum Deum;*[13] *Ego et Pater unum sumus.*[14] - Quod futurus erat verus Filius Dei naturalis et consubstantialis: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te;*[15] *Parvulus natus est nobis et filius datus est nobis... et vocabitur nomen eius Admirabilis... Deus, fortis;*[16] hinc ait: *Quia dixi: Filius Dei sum.*[17] - Quod futurus erat pastor animarum. Per Isaiam dicitur: *Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet et brachium eius dominabitur... Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos et in sinu suo levabit;*[18] et per Ezechielem: *Suscitabo super eos pastorem unum, qui pascat eas; servum meum David ipse pascet eas et ipse erit eis in pastorem;*[19] et alibi: *Servus meus David rex super eos et pastor unus erit omnium eorum.*[20] Hodie autem ait: *Oves meae vocem meam audiunt et ego cognosco eas et sequuntur me.*[21] - Quod Messias futurus erat Salvator: *In diebus illis salvabitur Iuda et Israel habitabit confidenter;*[22] hinc ait: *Ego vitam aeternam do eis, non peribunt in aeternum; non rapiet eas quisquam de manu mea.*[23] - Quod Messias facturus erat opera divina: *Deus ipse veniet et salvabit nos; tunc aperientur oculi caecorum et aures surdorum patebunt;*[24] sic ait: *Opera quae ego facio in nomine Patris mei, ipsa testimonium perhibent de me;*[25] *Si non facio opera Patris mei, nolite credere; si autem facio* opera, *si mihi non vultis credere, operibus credite.*[26]

7) Gn 49, 10. 8) Is 11, 2 9) Ibid. 61, 1. Ex Lc 4, 18. 10) Io 10, 36. 11) Is 7, 14. 12) Ier 23, 5-6. 13) Io 10, 33. 14) Ibid. vr. 30. 15) Ps 2, 7. 16) Is 9, 6. 17) Io 10, 36. 18) 40, 10-11. 19) 34, 23. 20) Ibid. 37, 24. 21) Io 10, 27. 22) Ier 23, 6. 23) Io 10, 28. 24) Is 35, 4-5. 25) Io 10, 25. Vulg.: *Haec testimonium,* etc. 26) Ibid. vrr. 37-38.

Hodiernum Evangelium singulariter loquitur de vera Christi divinitate.

III. Singulariter autem hodiernum Evangelium de Christi vera divinitate loquitur, non per participationem, sicut scriptum est: *Ego dixi: dii estis et filii Excelsi omnes.*[27] Hinc Christus tribuit sibi hodie divinam omnipotentiam: *Ego vitam aeternam do eis et non peribunt in aeternum et non rapiet eas quisquam de manu mea,* quia *Pater, qui dedit mihi, maior omnibus est,* idest potentior, *et nemo potest rapere de manu*[28] Dei; *Ego* autem *et Pater unum sumus,* eiusdem naturae atque substantiae. Sic Christus seipsum facit Deo coaequalem et consubstantialem, sicut postea ait: *Si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et sciatis, quia ego in Patre et Pater in me est,*[29] quod quidem idem est ac: *Ego et Pater unum sumus.*

Prophetae praedixerant persecutiones, quas Christus passurus erat;

Praedixerant autem Divini Vates quod Messias passurus erat graves persecutiones: *Quare fremuerunt gentes et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terrae et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum eius.*[30] Ita hodie *circumdederunt eum Iudaei* ex odio, sicut in *Psalmo* dicitur: *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me; aperuerunt super me os suum sicut leo rapiens et rugiens; circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me;*[31] et alibi: *Circumdederunt me sicut apes et exarserunt sicut ignis in spinis; circumdantes circumdederunt me,*[32] sicut inimicorum exercitus arcem aut civitatem ad impugnandam et expugnandam eam. Sicut exercitus regis Syriae circumdederat civitatem, in qua manebat Eliseus,[33] et exercitus regis Saul circumdederat montem, ubi latebat David,[34] sic circumdatur hodie Christus.

Iudaeorum quoque incredulitatem et impietatem.

Tandem a Divinis Vatibus praedictum fuit quod Iudaei non erant credituri in Christum, propterea ab Isaia Christus dictus est lapis offensionis et petra scandali duabus domibus Israel;[35] itemque quod Iudaei excaecandi erant et indurandi ne in Christum crederent.[36] Hinc ait: *Loquor vobis et non creditis;* ipsi dicunt: *Si tu es Christus, dic nobis palam;* Christus autem: *Loquor vobis,* grae-

27) Ps 81, 6. 28) Io 10, 29. Vulg.: *Quod dedit mihi, maius,* etc. *Qui dedit mihi, maior,* lect. cod. Cf. *Biblia Lovaniensis.* 29) Io 10, 38. 30) Ps 2, 1-2. 31) Ps 21, 13-14. 17. 32) Ps 117, 11-12. 33) Cf. 4 Rg 6, 8-14. 34) Cf. 1 Rg 23, 25-26. 35) Cf. 48, 14. 36) Cf. ibid. 6, 10.

ce est: *dixi vobis, et non creditis;* [37] nec tantum verbis dixi, verum etiam operibus demonstravi: *Opera, quae ego facio in nomine Patris mei, ipsa testimonium perhibent de me; sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis.* [38] Nec solum non crediderunt, sed lapidibus eum obruere voluerunt. [39]

In hodierno Evangelio habemus etiam pulcherrimas tum Christi cum christianorum imagines.

IV. In hodierno Evangelio Ioannes, tanquam diligentissimus et excellentissimus pictor, vivis coloribus ad naturale depingit nobis pulcherrimam Christi imaginem; nec tantum Christi, verum etiam christianorum absolutas imagines, sicut Moyses in sua cosmopoeia naturam descripsit nobis Dei, mundi et hominis. Declaravit enim pro viribus quid Deus, quid mundus, quid homo sit. Quod Deus est aeterna infinitaque et omnipotens natura, prima rerum omnium causa; mundus autem Dei omnipotentis opus a divina voluntate dependens, caelo terraque et mari ac multis rerum generibus consistens; homo tandem simulacrum Dei et mundi huius dominus: *Faciamus hominem ad imaginem... nostram, et dominetur.* [40]

describitur enim quid Christus sit

Ioannes autem Evangelista in suo divinissimo Evangelio Christum, Ecclesiam et christianum hominem describit, ostendens quid Christus, quid Ecclesia et quid homo christianus sit. Christum describit in ipso Evangelii sui initio, quod Verbum sit Incarnatum: *Verbum caro factum est;* Verbum Deo coaeternum, coaequaie, consubstantiale, Verbum omnipotens. Ecclesiam etiam quod sit domus Christi: *Verbum caro factum est et habitabit in nobis;* [41] *Habitare,* ait Paulus, *Christum per fidem in cordibus vestris.* [42] Venit Ioannes Baptista ad domum hanc praeparandam: *Ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.* [43] Christianum autem quod particeps sit gratiae Christi: *De plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia, quia... gratia et veritas per Iesum Christum facta est;* [44] *gratiam,* inquit, *pro gratia,* idest omnem gratiam. Nam fidelibus suis omnem gratiam Christus, *Sol iustitiae,* [45] communicavit, sicut sol lucem astris; sed tamen nullum sidus totam

et quid christianus homo.

37) Io 10, 24-25. 38) Ibid. vr. 26. 39) Cf. Ibid. vr. 31. 40) Gn 1, 26. Vulg.: *Et praesit.* 41) 1, 14. 42) Eph 3, 17. Vulg.: *Christum habitare,* etc. 43) Io 1, 7. 44) Ibid. vrr. 16-17. 45) Mal 4, 2.

lucem accipit, sed partem tantum luminis; ita etiam nobis accidit. Hinc Paulus ait quod *divisiones gratiarum sunt;*[46] *Unicuique prout Deus divisit mensuram fidei;*[47] et: *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.*[48] Solus Christus fontalem habet gratiae plenitudinem, cui Deus Spiritum dedit non ad mensuram.[49] Christianus ergo homo est particeps spiritus et gratiae Christi, similis Christo, sicut stella soli ex luminis participatione.

Plures imagines Christi reperimus in S. Scripturis;

In hodierno autem Evangelio Ioannes Ecclesiae quidem veluti imaginem exhibet in templo renovato ac dedicato. Nam festum celebrabatur dedicationis templi, vel in ipsa civitate Ierusalem celebrante encaenia, festum dedicationis et consecrationis templi illius augustissimi. Sed in describenda Christi persona ac veluti imagine ipsius depingenda, ut verus Christus cognoscatur plurimum immoratur. Plures autem Christi imagines reperimus in Sacris Litteris. Nam ipsum templum imago Christi erat: *Solvite templum hoc; Dicebat autem de templo corporis sui;*[50] Salomon etiam, in cuius porticu hodie Dominus ambulabat, homo divina ac supernaturali sapientia plenus,[51] Christi imago fuit; Prophetae etiam, de quibus ait: *Ego dixi: dii estis; illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est.*[52] Nam quilibet Prophetarum homo erat Spiritu Dei plenus, homo divinus Elias, Moyses, alii. Sic etiam Christi imago scala Iacob,[53] rubus Moysi,[54] arca Testamenti,[55] virga Aaron,[56] urna mannae,[57] Adam in paradiso,[58] Noe in arca,[59] Ioseph in Aegypto,[60] Moyses in deserto, David in regno Israel. Sed hodie a Ioanne depingitur imago Christi numeris omnibus absoluta.

christianus autem homo pingitur hodie sub imagine ovis.

Sed, ut diximus, non solum Christi imaginem depinxit hic Ioannes, verum etiam christianorum: *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis; oves meae vocem meam audiunt... et sequuntur me.*[61] Tria dicit de ovibus: quod credunt, quod audiunt vocem, idest obediunt, quod pastorem sequuntur, idest Christi exempla imitantur: *Christus passus est... vobis relinquens exem-*

46) 1 Cor 12, 4. 47) Rom 12, 3. 48) Eph 4, 7. 49) Cf. Io 3, 34. 50) Io 2, 19. 21. 51) Cf. 3 Rg 5, 12; 2 Par 1, 7-12. 52) Ps 81, 6; Io 10, 34-35. 53) Cf. Gn 28, 12-13. 54) Cf. Ex 3, 2. 55) Cf. ibid. 25, 10-11. 56) Cf. Nm 17, 6-8. 57) Cf. Ex 16, 33-34. 58) Cf. Gn 2, 15. 59) Cf. ibid. 7, 1. 60) Cf. ibid. 41, 39-44. 61) Io 10, 26-27.

plum ut sequamini vestigia eius;[62] *Exemplum dedi vobis;*[63] *Discite a me quia mitis sum*, etc.[64] Sic depingit ingenium, studia, mores hominum vere christianorum: *Oves meae vocem meam audiunt; Statuet oves a dextris... Venite benedicti Patris mei.*[65] Ovis in lege animal est mundum, Deo gratum, aptum sacrificio, animal innoxium, simplex, mansuetum, humile, patiens iniuriarum, hominibus valde utile ad victum et amictum.

Solemne est ut in magnis festivitatibus ornentur templa multis auleis et tapetis vasisque aureis et argenteis, praecipue vero sacris imaginibus, tabulis excellentissimorum pictorum. Sic Ioannes, pictor excellentissimus, ut patet maxime in *Apocalypsi*, hodie sacris imaginibus Christi, Ecclesiae et synagogae ornat templum.

Loquitur Dominus de reprobis et electis,

V. *Facta sunt encaenia in Ierosolymis.* Voluit Dominus festum dedicationis templi sua praesentia honorare et lumine suae doctrinae illustrare. Loquitur autem hic Dominus de divinitate sua, ostendens se esse verum Messiam. Loquitur etiam de reprobis et electis: *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis; oves meae vocem meam audiunt.* Ubi Dominus signa dare videtur, ex quibus dignosci possint reprobi et electi, oves Iacob et oves Laban,[66] cultores Dei et cultores idolorum. Sic enim Dominus signatos esse voluit Hebraeos in carne[67] et in vestibus,[68] in Aegypto signatos in domibus sanguine agni paschalis.[69] Sic signatos legimus electos Dei apud Ezechielem[70] et in *Apocalypsi*,[71] ubi etiam servos satanae legimus signatos signo et charactere bestiae.[72].

loquitur etiam de sua divinitate,

Loquitur Dominus hodie de sua divinitate, quoniam ipse est cui templum illud dedicatum erat. Nam cum dedicatum primo fuit templum Salomonis Domino, descendit Deus et gloria sua illud implevit suaque praesentia manifesta illud honoravit,[73] ostendens se verum Deum praesentem templumque illud acceptantem. Ita Dominus hodie. Praecipue vero quoniam nonnisi verus Deus novit

62) 1 Petr 2, 21. 63) Io 13, 15. 64) Mt 11, 29. 65) Ibid. 25, 33-34. 66) Cf. Gn 30, 35-40. 67) Cf. Ibid. 17, 9-14. 68) Cf. Nm 15, 30; Dt 22, 12. 69) Cf. Ex 12, 5-7. 23. 70) Cf. 9, 4-6. 71) Cf. 7, 3-8. 72) Cf. Ibid. 13, 15-17; 14, 9-11; 16, 2; 19, 20. 73) Cf. 3 Rg 8, 10-11; 2 Par 5, 14; 7, 1-3.

mysteria haec electionis et praedestinationis; haec enim divini pectoris secreta sunt, hinc nulla creatura potuit aperire librum Dei in caelo, nisi solus Agnus Dei,[74] sicut solus Moyses intrare potuit in caliginem, ubi erat Deus,[75] solus Aaron intrare in sanctum sanctorum,[76] ubi erat liber sapientiae Dei. Christus igitur, verus Messias, verus Deus, cum certissime divina haec mysteria noverit, de eis loquitur: *Oves meae vocem meam audiunt et ego cognosco eas,* certissime cognosco quinam sint praedestinati atque praesciti, electi et reprobi, sicut pastor oves suas certo cognoscit; imo ita cognoscit Dominus, sicut pastor oves ab haedis, a capris. Hinc ait quod in die iudicii separabit electos a reprobis, *sicut pastor segregat oves ab haedis.*[77] Ubi Dominus mysterium hoc indicavit ostendens quid sit praedestinatio: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi;*[78] quod sit praeparatio gloriae filiis Dei, sicut alibi dixit: *Sedere ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.*[79] Ubi etiam Dominus praeparationem gloriae ipsam praedestinationem appellavit.

ostendit enim se cognoscere mysteria electionis et praedestinationis

Variis autem in locis Dominus divini huius mysterii causas omnes assignat, efficientem, materialem, formalem, finalem. Efficientem Deum, materialem homines electos, formalem: *Ita Pater, quoniam sic beneplacitum fuit ante te,*[80] finalem gloriam, hoc enim est: *Venite, possidete regnum;* hoc: *Ibunt... iusti in vitam aeternam.*[81] Paulus autem divini huius mysterii causam etiam exemplarem ostendit *ad Romanos* scribens: *Nam* Deus *quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus;*[82] causam etiam meritoriam, dum *ad Ephesios* ait quod Deus nos praedestinavit per Iesum Christum;[83] et praeterea veluti scopum praedestinationis ostendit, dum ad eosdem scribens ait quod Deus nos elegit et praedestinavit in Christo, *ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate.*[84] Causa veluti instrumentalis divini huius mysterii est divinae legis observatio, san-

et causas assignat huius divini mysterii:

efficientem, formalem, exemplarem,

meritoriam et instrumentalem,

74) Cf. Apc 5, 1-8; 6, 1-12; 7, 1. 75) Cf. Ex 19-19; 24, 1-25; 34, 1-2. 76) Cf. ibid. 29-30; Lv 6, 2. 17. 77) Mt 25, 32. 78) Ibid. vr. 34. 79) Ibid. 20, 23. 80) Ibid. 11, 26. Vulg.: *Sic fuit placitum,* etc. 81) Ibid. 25, 46. 82) 8, 29. Vulg.: *Imaginis.* 83) Cf. 1, 5. 84) Ibid. vr. 3.

ctitas vitae: *Venite, possidete regnum. Esurivi enim et dedistis mihi manducare;* [85] *Satagite, fratres, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* [86] Hinc ait hodie: *Oves meae vocem meam audiunt et sequuntur me;* hinc: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* [87]

et media indicat ad finem hunc consequendum.

Hinc ostensa nobis scala est per quam Angeli in caelum ascendebant. Huc spectant macharismi illi Salvatoris: *Beati pauperes spiritu, beati mites, beati qui lugent, qui esuriunt et sitiunt iustitiam, misericordes, mundo corde, pacifici, qui patiuntur persecutionem propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* [88] Sic saepe docet Divina Scriptura quod ad consequendum finem divinae praedestinationis opus est bonis operibus tanquam necessariis mediis. Promiserat Deus Abrahamo innumeram posteritatem per Isaac, [89] et tamen opus fuit ut Isaac precibus a Deo uxori suae Rebeccae fecunditatem obtineret cum esset sterilis. [90] Promiserat populo suo felicissimam terram Chanaan, sed opus fuit longa peregrinatione, opus multis certaminibus cum Chananaeis ad eam obtinendam. Promiserat Davidi regnum, Iosepho gloriam, sed post multos labores multamque patientiam promissa sunt asseculi. Promiserat Paulo salutem omnium animarum, quae erant cum eo in navi, sed, ait Paulus, quod si nautae discessissent a navi, non potuissent salvari. [91]

Ad salutem fide opus est, bonis operibus, caritate et usu Sacramentorum.

Ad finem igitur hunc consequendum opus est necessariis mediis, sicut cibo et potu opus est ad vivendum. Promiserat Deus Adamo in paradiso vitae perpetuam immortalitatem, sed tamen si divina iussa servaret, ut a ligno vetito abstineret et ligno vitae uteretur ad vitam. [92] Hoc est quod Paulus ait, quod Deus *vult omnes homines salvos fieri,* sed tamen *ad cognitionem veritatis pervenire.* [93] Sic fide, bonis operibus, caritate et Sacramentorum usu opus est ad salutem.

Dantur signa electionis et reprobationis.

VI. Haec igitur signa sunt verae electionis: *Oves meae vocem meam audiunt et sequuntur me;* reprobationis vero: *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis,* idest de numero electorum

85) Mt 25, 35. 86) 2 Petr 1, 10. 87) Mt 19, 17. 88) Ibid. 5, 3-10. 89) Cf. Gn 17, 2-4; 18, 17-18; 22, 15-18. 90) Cf. ibid. 25, 21. 91) Cf. Act 27, 9 sqq. 92) Cf. Gn 2, 16-17. 93) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult... agnitionem veritatis venire.*

meorum; nam, ut Lucas in *Actis Apostolorum* ait: *Crediderunt quotquot praeordinati erant ad vitam aeternam.* [94] Hinc etiam Paulus ait: *Quos praedestinavit, hos et vocavit... et iustificavit.* [95] Quod autem ait Salvator, hoc est: si vos essetis ex praeordinatis ad vitam aeternam, cum doctrinam meam audieritis et tot ac tanta signa videritis, utique credidissetis mihi; vos autem non creditis, ergo non[96] estis ex ovibus meis, non estis ex praeordinatis ad vitam. Nam: *Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* [97] quae sunt fides et incredulitas,

Electi Dei faciles sunt ad credendum divinis. Sic Nathanael, cum Christum audisset dicentem: *Vidi te sub ficu*, credidit dixitque: *Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Israel.* [98] Sic samaritis cum Christum audisset dicentem: *Ego sum* Messias *qui loquor tecum,* [99] credidit statim. Sic caecus illuminatus, audito [100] quod Christus ait: *Et vidisti* Filium Dei *et qui loquitur tecum ipse est,* ait: *Credo, Domine! Et procidens adoravit eum.* [101] docilitas ad credendum

Incredulitas autem nimiaque cordis durities ad credendum manifestum est reprobationis signum. Sic enim in Aegypto Moysi crediderunt electi Dei, [102] non autem Aegyptii. Sic Deus verba faciens ad Isaiam de Iudaeorum reprobatione ait: *Excaeca cor populi huius et aures eorum aggrava et oculos claude, ne forte videant oculis suis et auribus suis audiant et corde intelligant et convertantur et sanem eos.* [103] Hinc Paulus ait: *Secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei.* [104] Duritiam ante omnia posuit, idest incredulitatem perfidam, obstinatam. et durities cordis.

Signa autem electorum sunt fides et opera bona: *Vocem meam audiunt et sequuntur me.* Sic enim a fructibus arbor bona cognoscitur. [105] Singulare autem signum electorum veluti impossibilitas ad peccandum: *Non peribunt in aeternum et non rapiet eas quisquam de manu mea,* quia *nemo potest rapere de manu Patris mei,* qui *maior omnibus est,* idest potentior; *ego* autem *et Pater unum su-* Singulare signum electorum est veluti impossibilitas ad peccandum,

94) 13, 48. 95) Rom 8, 30. 96) Ms.: *Non* bis ponitur.
97) Io 8, 47. 98) Ibid. 1, 48-49. 99) Ibid. 4, 26. 100) Ms.: *Auto.*
101) Io 9, 37-38. 102) Cf. Ex 4, 28 sqq. 103) 6, 10. 104) Rom 2, 5. 105) Cf. Mt 7, 16-20.

mus.[106] Nec totus mundus nec totus infernus id assequi possunt, ut electam animam perdant cogendo ad peccatum: *Quis nos separabit a caritate*[107] Dei? Hoc est quod Ioannes ait quod qui ex Deo natus est, non peccat et non potest peccare, quia semen Dei in eo est,[108] sicut nec totus mundus cogere potest amantissimam matrem ut filium unicum et dilectissimum sine causa odio habeat et interimere velit.

non quia peccare omnino non possint, sed quia facile poenitentiam agunt;

Nec tantum simpliciter ait Dominus: *Non peribunt,* sed: *Non peribunt in aeternum.* Non quod iusti et electi peccare omnino non possint, nam peccavit Moyses, peccavit Aaron,[109] peccavit David,[110] peccavit Petrus;[111] sed quia, cum peccarint, facile poenitentiam agunt, ut patet de Davide,[112] de Petro, de Magdalena,[113] sicut ostendit Dominus in parabola filii prodigi.[114] Ita quod impossibile quidem est ut electi ad peccandum vi cogantur, quia Deus non patitur eos tentari supra vires, sed facit cum tentatione etiam proventum;[115] si autem carnis infirmitate peccaverint, facile ad poenitentiam revertuntur, non habent cor durum et impoenitens.

At vero si hoc signum verum est, quam pauci sunt qui moralem hanc habent ad peccandum impossibilitatem! Multi enim sunt, pars hominum maxima, quibus impossibile videtur abstinere a peccatis, tanta est vis inveteratae consuetudinis in peccatis.

hi sunt verae oves Christi, quae difficillime pereunt.

Oves meae vocem meam audiunt. Qui ovium instar natura boni sunt, innoxii, simplices, mites, humiles, fecundi bonis operibus, cum fidem Christi habeant, difficillime pereunt; qui virtutibus et bonis operibus sanctisque moribus praediti et ornati sunt, vix perire possunt. Nam si cum domus aut palatium regis vel Dei templum aedificatur, videat quis lapides quam diligentissime summaque arte expolitos et elaboratos lignaque dolata, facile intelliget destinata ea esse ad molem aedificii suisque locis collocanda esse.

VII. *Facta sunt encaenia,* festum dedicationis. Ab aeterno Deus Sanctam Ecclesiam dedicavit, ut in ea habitaret, hic quidem per gra-

106) Io 10, 28-30. Cf. supra, not. 28, pag. 511. 107) Rom 8, 35. 108) Cf. 1 Io 3, 9. 109) Cf. Nm 20, 12. 110) Cf. 2 Rg 11, 2 sqq. 111) Cf. Mt 26, 69 sqq.; Mc 14, 66 sqq.; Lc 22, 54-62; Io 17, 15-27. 112) Cf. 2 Rg 12, 9-13. 113) Cf. Lc 7, 37 sqq. 114) Cf. ibid. 15, 11 sqq. 115) Cf. 1 Cor 10, 13.

tiam et in caelo per gloriam. Sic oportet ut ipsi quoque nos ipsos dedicemus Deo, ne reprobi efficiamur. Sed hieme celebratur festum hoc, cum sol incipit ad nos accedere et maiorem lucis et caloris copiam nobis largiri, cum dies crescere incipiunt, cum secundum usum nostrum incipit annus, nam: *Bonum est viro cum portaverit iugum ab adolescentia sua,* [116] sicut Samuel ab infantia Domino dedicatus fuit; [117] quamquam ad sacra munia non est admittendus homo, nisi cum iam perfectum rationis usum fuerit assecutus. Hinc Dominus respuebat in lege fructus novae arboris usque ad quartum annum; fructus quarti anni Domino offerebantur, [118] nam primi fructus novae arboris non possunt esse boni. Levitae non admittebantur ad sacra ministeria templi, nisi cum ad vicesimum quintum annum attigissent, [119] imo nisi trigesimum, sicut in *Numeris* legimus; [120] nam quinque annis forte tamquam novitii instruebantur, ut postea, cum ad trigesimum annum pervenissent, optime disciplinati, absque ullo errore divina ministeria exercerent. [121]

Oportet ut quam citius nos dedicemus Deo, ne reprobi efficiamur.

VIII. *Facta sunt encaenia in Ierosolymis.* [122] Voluit Dominus sua praesentia honorare solemnitatem dedicationis templi, licet non esset divinitus instituta, sed constitutione principum synagogae. [123] Quid igitur garriunt Lutherus et Calvinus servanda non esse festa quae non divinitus, sed humanitus ab Ecclesia sunt instituta? [124] En Christus festum celebravit encaeniorum, tantum abfuit ut reprehenderet diceretque servandum non esse tanquam humanitus institutum. Quam longe igitur hi a Christo absunt! quam minime Christo similes!

Christus honorat sua praesentia festum encaeniorum.

116) Thr 3, 27. 117) Cf. 1 Rg 1, 10 sqq. 118) Cf. Lv 19, 23-25. 119) Cf. Nm 8, 24. 120) Cf. 4, 3. 121) Aliquae lineae albae relinquuntur et sequitur in altera pagina. 122) Quae sequuntur, atramento clariori et stylo latiori exarata sunt. 123) Nam sive agatur de templo primitus a Salomone aedificato, cf. 3 Rg 8, 1 sqq., sive de templo reaedificato a Zorobabele, post reditum a captivitate babylonica, cf. 1 Esr 6, sqq., sive de templo ab Antioco profanato et ex parte diruto ac rursum a Iuda Machabaeo dedicato, cf. 1 Mach 4, 59 sqq. qui huius dedicationis memoriam et festum solemne quotannis octo dies renovari et celebrari iussit, semper agitur de festo non a Deo directe, sed a principibus synagogae instituto. 124) Cf. S. Bellarminus *Controversiae*, t. 2, *De Cultu Sanctorum*, lib. 3, cp. 10, col. 803-804.

Si tu es Christus, idest verus Messias, *dic nobis palam.* [125] Nobilis est in hoc Evangelio disputatio, an Dominus noster sit verus Messias in lege et Prophetis promissus. Iudaei arguunt quod non sit, nam homo blasphemus non potest esse verus Messias, sed potius falsus propheta. Christus autem Dominus noster, inquiunt, fuit homo blasphemus: *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, quia tu, homo cum sis, facis teipsum Deum.* [126] Primis etiam verbis argumentari videntur: *Si tu es Christus, dic nobis palam,* ac si dicerent: verus Messias neminem est formidaturus, sed palam dicturus se Christum esse, praeterquam quod manifestissime venturus est, sicut cum sol oritur. Sed tu non dicis palam, formidare videris dicere manifeste te esse Messiam, cum tamen nulla sit formidinis causa. Nos enim nil magis habemus in votis, quam scire an revera tu sis Christus. *Dic* ergo *palam.* Dominus autem manifeste et dicit et probat se Christum esse suamque divinitatem argumento tuetur: *Loquor vobis,* dico vobis, *et non creditis;* cum saepe saepius auribus vestris inculcem et dicam me esse Christum, vos non creditis, quare falsum est quod asseritis. Deinde probat: *Opera quae ego facio ipsa testimonium perhibent de me.* [127] Ego, inquit, facio opera quae solus Deus facturus erat in mundo; ergo sum Christus. Quare si dictis meis non vultis credere, saltem ipsis operibus credite: *Si non facio opera... nolite credere mihi.* [128]

Contra Iudaeos cum blasphemum dicentes

Dominus se Christum esse et verum Deum probat

Ad opera provocat Christus, nam ab effectibus cognoscuntur causae, a fructibus arbores, a splendoribus stellae, sic ab operibus cognoscendus erat Messias. Sicut in *Deuteronomio* a signis agnoscendus traditur verus propheta: si verax sit et pius Dei non idolorum cultor, [129] sic ab operibus Messias agnoscendus erat: *Deus ipse veniet et salvabit vos. Tunc aperientur oculi caecorum,* etc., [130] sic Dominus respondit Ioanni, cum misit ad eum discipulos, ut sciret an ipse esset ille venturus: Ite, *renuntiate Ioanni... Caeci vident, claudi ambulant,* etc. [131] Omnia quidem opera, quae in Divinis Litteris prae-

ex operibus quibus agnoscendus erat verus Messias,

125) Io 10, 24. 126) Ibid. vr. 33. 127) Ibid. vr. 25. 128) Ibid. vr. 37.
129) Cf. 18, 18. 130) Is 35, 4-5. 131) Mt 11, 4-5; Lc 7, 22.

dicta sunt de Messia, luce clarius impleta sunt in Domino nostro, ut nova legislatio, destructio idololatriae, vocatio atque conversio Gentium ad verum Dei cultum veramque religionem, destructio et ruina synagogae in poenam mortis Christi, etc.

Cum autem agat Dominus in hodierno Evangelio de divinitate sua, manifeste praedicant Divinae Litterae quod Christus revera futurus erat Deus et homo, et propterea voluit Deus Prophetas et principes viros divinitatis titulo donare, [132] quoniam futurus erat homo, princeps Prophetarum et principum, verus Deus, sicut Prophetis multis opera divina miraculaque concessit. [133]

quem S. Litterae praedicant futurum Deum et hominem.

ALIA HOMILIA [1]

Facta sunt encaenia in Ierosolymis. [2]

I. Tria habemus in hodierno Evangelio: historiam, mysterium et metaphoram. Historia est festum encaeniorum; mysterium renovatio Ecclesiae in spiritu; metaphora, qua proponitur Christus sub pastoris imagine et Ecclesia sub persona ovilis et ovium. Quoad historiam, agebatur festum dedicationis, non quidem dedicationis templi Salomonis, quae facta fuit septimo mense, *3 Regum* 8, [3] hoc est in autumno, nam *hiems erat,* inquit Ioannes, [4] cum festum hoc celebrabatur; nec dedicationis templi post babylonicam captivitatem reparati, quae facta fuit die tertia mensis *Adar, 1 Esdrae* 6, [5] *Adar* autem ultimus est mensis anni, *Esther* 3 [6] et 8; [7] sed festum agebatur dedicationis templi, cum renovatum ex parte fuit novumque altare erectum a Iuda Machabaeo, sicut legimus *1 Machabaeorum* 4 [8] et *2 Machabaeorum* 10, [9] nam de hac dedicatione, altaris potius quam templi, institutum legimus solemne festum per octo dies

Habemus hodie historiam, mysterium et metaphoram.

Agitur de festo dedicationis templi;

132) Cf. Ps 81, 6; Io 10, 24-35 133) Aliquae lineae albae relinquuntur et sequitur in altera pagina.

1) Stylo strictiori exarata. 2) Io 10, 22. 3) Cf. vrr. 1-11. 4) Io 10, 22. 5) Cf. vrr. 15 sqq. 6) Cf. vr. 13. 7) Cf. vr. 12. 8) Cf. vrr. 41-59. 9) Cf. vrr. 1-6.

ad instar festi tabernaculorum; facta autem fuit altaris dedicatio die vigesima quinta novi mensis, qui *Casleu* Hebraeis appellatur, in fine autumni et prope hiemis initium, ideo tempus illud liberum cum esset, hiemem appellat Evangelista.

discutitur an festum fuerit secundae vel tertiae dedicationis;

Licet autem probabile multis visum sit celebrationem hanc secundae dedicationis fuisse, probabilius tamen est tertiae dedicationis.[10] Nam licet verius dicatur hiems tertia die Februarii, quam vigesima quinta noni mensis, idest Novembris, tamen, cum in Divinis Litteris annus non soleat nisi in aestatem et hiemem dividi, vigesima quinta Novembris non potest dici aestas; propterea hiems merito dici potuit. Et tunc quidem legimus factam templi dedicationem, sed non mandatum, ut quotannis celebraretur. In tertia autem utrumque legimus.

utralibet fuerit, certe hoc festum divinitus institutum non erat.

Sed utralibet fuerit solemnitas, non fuit divinitus instituta, et tamen Christus praesentia sua honorare eam voluit, non damnare tanquam superstitionem, eo quod divinitus instituta non esset, ut novi nunc evangelistae novique Christi revera pseudochristi et antichristi faciunt. Neque enim primum dedicationis festum divinitus institutum fuit, neque secundum aut tertium, et tamen servata fuere ab universo populo perquam religiose, ex mandato tantum principum synagogae. Christus autem non solum ad festa Paschae, Pentecostes et scenopegiae, quae divinitus instituta erant, Ierosolymam ascendit, verum etiam ad festum encaeniorum, quod ab ecclesia erat institutum, ut facto ipso doceret servanda esse festa, non tantum ex divina, verum etiam ex ecclesiastica institutione. Non est autem minor auctoritas quam Ecclesia accepit a Christo, cum tradidit ei claves regni caelorum,[11] quam auctoritas quam Deus dederat synagogae et principibus eius. Si ergo potuit synagoga praeter festa divinitus instituta multa alia instituere, cur non habet hanc

10) Circa hoc SS. Patres in diversas abeunt sententias. Nam D. Chrysostomus *In Ioannem*, hom. 6, (P. G. 59, 336), Theophylactus *Enarrat. in Evang. Ioannis*, ibid. 124, 78, Eutymius *Comment. in Ioannem*, ibid. 129, 331, tenent agi de templi dedicatione post Babylonicam captivitatem sub principe Zorobabele; e contra Alcuinus *Comment. in Ioannem*, (P. L. 100, 891), et Beda *In Ioannis Evang.*, ibid. 92, 770, tenent festum fuisse tertiae dedicationis a Iuda Machabaeo factae. Ipsemet S. Auctor, qui nunc asserit agi de hac tertia dedicatione, alibi aliud affirmat. Siquidem in *Quadragesimali Primo*, pag. 453, et *Quadragesimali Secundo*, part. 3, pag. 99, asserit agi de secunda dedicatione. 11) Cf. Mt 16, 19. De hac haereticorum sententia cf. supra, not. 124 hom. praeced., pag. 519.

potestatem etiam Ecclesia? Sed nolunt haeretici Ecclesiam matrem habere in terra, ne et Deum patrem habeant in caelo, sed sint cum patre suo diabolo in inferno.

Traduntur hodie mysteria credenda.

II. *Facta sunt encaenia in Ierosolymis.* In hodierno Evangelio, praeter historiam et mysterium in historia contentum, tria traduntur: quid credendum, quid sperandum, quid agendum. Haec enim tria sunt quae in universum traduntur in Sacris Litteris: divina mysteria credenda, divina promissa speranda, divina praecepta facienda. Ita, inquam, in hodierno Evangelio traduntur mysteria credenda: *Si tu es Christus dic nobis palam; Loquor vobis*, graece: *dixi vobis, et non creditis; opera quae ego facio in nomine Patris mei, ipsa testimonium perhibent de me.*[12] Deinde, quoniam Messias in Sacris Litteris saepe pastor est appellatus: Isaiae 40: *Sicut pastor gregem suum pascet*, etc.;[13] Ezechielis 34: *Suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David;*[14] et 37: *Servus meus David rex super eos et pastor unus erit,*[15] propterea ipse sequitur: *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis. Oves meae vocem meam audiunt*, etc.,[16] alludens ad id quod paulo ante dixerat: *Ego sum pastor bonus et cognosco oves meas et cognoscunt me meae;*[17] sed pastor divinus, qui potest dare vitam aeternam: *Vitam aeternam do eis;* pastor diligentissimus: *Cognosco oves meas;* pastor providentissimus: *Non peribunt in aeternum,*[18] defectu pabuli, ut saepe solent perire oves, nam: *Ingredietur et egredietur et pascua inveniet; Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant,*[19] pastor fortissimus ad defendendas oves a furibus, lupis aliisque truculentis feris: *Non rapiet eas quisquam de manu mea;* pastor qui verus est Deus: *Ego et Pater unum sumus.*[20] Ubi manifeste Deum se esse dixit et Iudaei intellexerunt: *Tu, homo cum sis, facis teipsum Deum.*[21]

Christus in S. Litteris appellatus fuit verus pastor animarum;

Christus ad fundandam fidem divinitatis suae non exponit, non moderatur dictum, sed confirmat: *Nonne scriptum est in lege ve-*

12) Io 10, 24-25. 13) Vr. 11. 14) Vr. 23. 15) Vr. 24. 16) Io 10, 26-27.
17) Ibid. vr. 14. 18) Ibid. vr. 28. 19) Ibid. vrr. 9-10. 20) Ibid. vrr. 28. 30.
21) Ibid. vr. 33.

hodie autem scipsum declarat verum Deum et hominem verbis et operibus.

stra: Ego dixi: dii estis? Si ergo illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est... quem Pater sanctificavit et misit in mundum, etc.[22] Probat a minori ad maius. Si fideles, inquit, et iusti propter nonnullam participationem divinarum rerum dii sunt, nec falso quidem, appellati, cum tamen in terra nati sint, quomodo non magis qui in caelo natus est et de caelo missus in terram verus Filius Dei? Haec sunt quae de Christo credenda sunt: quod sit verus Deus et verus homo, pastor Ecclesiae, princeps pastorum,[23] episcopus animarum.[24] Hoc Christus verbis docuit: *Dixi vobis et non creditis;* hoc operibus confirmavit: *Si autem facio, et si mihi non vultis credere,* idest verbis meis, dictis meis, *operibus credite, ut cognoscatis et credatis quia in me est Pater et ego in Patre,*[25] idest quod *ego et Pater unum sumus,*[26] eiusdem naturae et essentiae, una eademque substantia.

Sciendum vero quod haeretici usque hodie cum Iudaeis quaerunt: *Dic nobis palam.* Non enim nisi quae manifestissima sunt credere volunt, et tamen etiam quae clarissima sunt, perturbant, sicut equus pedibus aquam claram. Quid clarius dici potuit de Christi divinitate quam: *Ego et Pater unum sumus*? quod etiam Iudaei intellexerunt. Ariani tamen ad lucem hanc caecuciebant, non intelligebant nec credere volebant Christi divinitatem. *Unum sumus,* dicebant, non natura, sed voluntatum concordia, sicut: Oro, Pater, *ut sint unum, sicut et nos unum sumus.*[27] Sed quomodo valet consequentia: *Nemo potest rapere de manu* Dei, qui *maior omnibus est;*[28] ergo nemo potest rapere de manu mea, quia ego unum sum voluntate? Nunquid non omnis iustus unum cum Deo est voluntate? *Qui adhaeret Deo unus spiritus est*[29] cum eo. Num propterea omnis iustus est omnipotens? Clarissime Christus locutus fuit de veritate corporis sui: *Hoc est corpus meum.*[30] Quid clarius dici potuit? Calviniani tamen negant, non credunt.[30a]

22) Ibid. vrr. 34-36. 23) Cf. 1 Petr 5, 4. 24) Cf. ibid. 2, 25. 25) Io 10, 38. Vulg.: *Pater in me est.* 26) Ibid. vr. 30. 27) Ibid. 17, 22. De hac haereticorum sententia cf. S. Epiphanius *Adversus Haereses,* haer. 69, (P. G. 42, 743). 28) Io 10, 29. Cf. supra, not. 28 praeced., homiliae, pag. 511. 29) 1 Cor 6, 17. Vulg.: *Qui adhaeret Domino,* etc. 30) Mt 26, 26; Mc 14, 22; Lc 22, 19; 1 Cor 11, 24. 30a) Cf. supra, Dom. Quarta, not. 18, pag. 377.

Proponuntur hodie etiam divina promissa speranda

III. Nec tantum credenda, verum etiam speranda ponuntur in hodierno Evangelio: *Oves meae vocem meam audiunt et ego cognosco eas,* et *vitam aeternam do eis... et non rapiet eas quisquam de manu mea; non peribunt in aeternum.*[31] Cognosco eas spirituali cognitione, spirituali cura et providentia, sicut Amos 3 ait: *Tantummodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terrae,*[32] eos enim, nempe fideles, agnoscere voluit sicut rex populares suos, sicut dominus servos suos, sicut paterfamilias filios suos, sicut pastor oves suas. Haec spiritualis est providentia, qua Deus electis suis providet omnia necessaria animae et corpori. Deinde: *Vitam aeternam do eis.* Haec duo speranda sunt: misericordia et providentia Dei in praesenti et vita aeterna in futuro, sicut Abrahae dixit: *Noli timere, Abram, ego protector tuus sum et merces tua magna nimis;*[33] protector in praesenti, merces magna in futuro.

et divina praecepta facienda;

Tandem proponuntur agenda: *Oves meae vocem meam audiunt et sequuntur me,*[34] cum paulo ante dixisset: *Cognoscunt me meae.* Non cognoscitur autem Christus in praesenti saeculo, nisi per fidem: *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis.*[35] Oves igitur Christi Christum cognoscunt per fidem. Agitur autem de experimentali cognitione, de qua dicitur: *Protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.*[36] De filiis Heli, qui sacerdotes erant et doctores legis, ait Divina Scriptura quod erant *filii Belial, nescientes Dominum,*[37] idest non gustaverant nec viderant *quoniam suavis est Dominus.*[38] Sic dici solet quod ad cognoscendum hominem multo opus est sale,[39] idest multa longaque experientia; sic oves pastorem experimento norunt.

signa etiam dantur ad dignoscendas veras oves Christi.

Deinde ait: *Vocem meam audiunt,* idest obediunt iussis meis, *et sequuntur me,* sectantur vestigia mea.

His autem verbis Christus non solum ostendit quid agendum sit, verum etiam dat signa ex quibus dignoscantur oves ipsius. Nam omnes homines oves sunt, sed non omnes oves Christi: *Vos non estis*

31) Io 10, 28. 32) Vr. 2. 33) Gn 15, 1. 34) Io 10, 27.
35) Ibid. vr. 26. 36) Ps 90, 14. 37) 1 Rg 2, 12.
38) Ps 33, 9. 39) Proverbium hodie quoque vulgatissimum, ex Cicerone: « Verum illud est quod dicitur, multos modios salis simul edendos esse, ut amicitiae munus expletum sit», *De Amicitia,* n. 19, idest diu multumque amicos eadem consuetudine uti oportere.

ex ovibus meis; habet etiam satanas suum ovile, suas oves, ut Ioannes ait synagogam satanae.[40] Videat quisquis cuius sit ovis, cuius vocem audiat, quem sequatur. Clamat Christus in Ecclesia, clamat satanas in mundo, nam Ecclesia ovile Christi est, mundus autem ovile satanae: *Venit princeps mundi huius;*[41] *Nunc princeps mundi huius eiicietur foras.*[42]

40) Cf. Apc 2, 9; 3, 9. 41) Io 14, 30. 42) Ibid. 12, 31. Duabus paginis albis relictis, transit ad feriam sequentem.

FERIA QUINTA INFRA HEBDOMADAM DOMINICAE PASSIONIS

Rogabat Iesum quidam Pharisaeus ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisaei. [1]

Exhibetur hodie imago verae conversionis,

I. Pulcherrima imago verae et perfectae conversionis, penicillo calami L u c a e in tabula Mariae Magdalenae a Spiritu Sancto depicta, spectanda proponitur in hodierni Evangelii divina historia: *Et ecce mulier, quae erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod* Iesus *accubuit,* etc. [2] Quae quidem imago a Christo, diligentissimo et peritissimo pictore, diligenter per singulas partes spectata et contemplata, miris modis laudata est et nobilissimo encomio commendata: *Conversus ad mulierem dixit Simoni*: *Vides hanc mulierem?* [3] Contemplare divinam hanc perfectae conversionis imaginem.

quae inter plures imagines pulcherrima est.

Saepe quidem in Sacris Litteris Spiritus Sanctus eiusdem rei multas ad vivum depinxit imagines: dum tenebras convertit in lucem: *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino;* [4] dum petram convertit *in stagna aquarum et rupem in fontes aquarum;* [5] dum synagogam ex Aegypto eduxit; [6] dum Mariam sororem Moysi a lepra mundavit; [7] dum Rahab meretricem ad fidem veri Dei convertit; [8] dum civitatem Ninivem ad poenitentiam reduxit. [9] Sed hodierna haec omnium pucherrima est. Hinc trahit ad se oculos Christi: *Conversus ad mulierem,* et Christus spectandam proponit Simoni: *Vides hanc mulierem?* Mirabile profecto spectaculum. Conver-

1) Pericope huius diei Lc 7, 36 sqq. Cf. Missale Rom. Vulg.: *Quidam de Pharisaeis... accubuisset,* etc. 2) Lc 7, 37. 3) Ibid. vr. 44. 4) Eph 5, 8. 5) Ps 113, 8. 6) Cf. Ex 14, 22 sqq. 7) Cf. Nm 12, 10 sqq. 8) Cf. Ios 2, 1-11. 9) Cf. Ion 3, 1 sqq.

titur vinea Sodomae [10] in vineam Domini Sabaoth, [11] turris Babel [12] in turrim David, [13] Aegyptus in terram promissionis, altare Baal in altare Dei, templum idolorum in sacrosanctum Dei templum, Babylon in Ierusalem, infernus in paradisum, nam prius habitatio daemonum erat.

Chistus laudibus Magdalenam ornat vere conversam et iustificatam.

II. Cum convertisset Dominus tenebras in lucem, opus hoc suum nobili encomio commendavit; [14] ita hodie Christus conversionem Magdalenae multis laudibus ornat: *Lacrimis rigavit pedes meos, capillis tersit, unguento unxit,* osculata est, *dilexit multum; fides tua te salvam fecit.* [15] Hodie Magdalena de tenebris vocata est in admirabile lumen Dei: [16] *Ut cognovit quod* Iesus *accubuit;* nam *Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit* in corde ipsius *ad illuminationem scientiae claritatis Dei,* [17] idest ad claram Dei cognitionem eam perduxit.

Sicut magnus amor causa est magni beneficii,

ita magnum beneficium magni amoris.

Merito autem per illuminationem designatur conversio et iustificatio animae, nam tenebrae quidem peccati, lux autem gratiae symbola sunt. Hac autem illuminationis appositissima similitudine solvitur difficultas, quae veluti nodus gordianus [17a] est in hodierno Evangelio ex conclusione parabolae et illatione ex parabola. Nam ex parabola concluditur, quod cui plus datum est, plus diligit, [18] ita ut magnum beneficium causa sit magni amoris. Postea vero infert: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum,* [19] quod oppositum est, nam hic magnitudo amoris ponitur in causa magni beneficii et doni. Idem autem respectu eiusdem non potest simul esse effectus et causa, ut Petrus sit Ioannis et pater et filius. Sed tamen sunt quaedam causae quae invicem sibi sunt causae, ut si ventus fenestram aperiat et domum intret: quid prius fuit?

Proponitur quaestio:

Et quidem requireret a nobis hodiernum Evangelium ut longam disputationem texeremus de iustificationis animae mysterio, an caritas et dilectio sit effectus iustificationis et remissionis peccatorum, ut indicare videtur parabola, quod magnum beneficium ex me-

10) Cf. Dt 32, 32. 11) Cf. Is 5, 7. 12) Cf. Gn 11, 4. 13) Cf. Ct 4, 4. 14) Cf. Gn 1, 4. 15) Lc 7, 44. 46-47. 50. 16) Cf. 1 Petr 2, 9. 17) 2 Cor 4, 6. 17a) Modus proverbialis, de quo cf. Forcellini-Perin *Onomasticon,* sub voce: *Gordius.* 18) Cf. Lc 7, 43. 19) Ibid. vr. 47.

ra gratia benefactoris in causa fuit magni amoris in beneficiario; an vero sit causa, saltem ut proxima dispositio movens animum benefactoris ad praestandum beneficium, sicut ostendit conclusio parabolae: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Sed non est animus; solum dicimus quod *caritas Dei,* quae *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum,*[20] nec effectus est iustificationis nec causa efficiens, sed formalis, sicut calor in calefacto aere et lumen in illuminato a solis radiis; nam simul et semel in iustificatione infunditur caritas et dimittitur peccatum.

an caritas causa vel effectus sit iustificationis;

Forte autem Dominus non loquitur hic de divina, sed humana et naturali caritate, cuius officia praecedere possunt iustificationem, sicut legimus de Cornelio centurione, quod ex naturali erga Deum pietate multa praestabat caritatis officia,[21] quae et si summo iure non merentur gratiam, merentur tamen de bono et aequo. Vel si de divina loquitur caritate, loquitur de perfecta remissione peccati quoad culpam et poenam, ubi ardens caritas, cum causa esse non possit remissionis quoad culpam, esse tamen potest quoad poenam. Hinc qui ad Poenitentiae sacramentum accedit cum perfecta contritione, utramque remissionem perfecte consequitur; qui autem cum imperfecta, non item, sed remissionem quidem omnis culpae, non autem totius poenae.

Sed quod spectat ad congruam illationem Domini ex parabola, quomodo in illatione invertit quae in parabola disseruerat? Si intelligamus id quod Dominus a Simone petit: *Quis eum plus diligit?*[22] non erit absurda illatio, si, inquam, ita intelligamus: quem putamus ex his duobus foeneratori magis esse amicum? Amicus autem est qui etiam ante acceptum beneficium diligit; et saepe amicitia in causa est et amor ut beneficium conferatur. Sic Dominus optime intulit postea: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Nam qui sperat ab aliquo magnum beneficium, exhibere satagit maioris amoris indicia. Cum igitur Magdalena existimaret multo plura se Christo debere quam Pharisaeus multoque maiorem gratiam expectaret, exhibuit multo maiora caritatis indicia.

utrumque verum esse potest, idest ut amor causa sit beneficii

20) Rom 5, 5. 21) Cf. Act 10, 1. 22) Lc 7, 42.

Quod si illud: *Quis ergo eum plus diliget?* ut iacet intelligamus, potest utrumque esse: ut beneficium sit causa amoris et amor causa beneficii, ut si dominus servum adoptet in filium, quia sibi valde carus est et dominum suum tanquam patrem diligit ex animo; amor hic causa erit illius beneficii. Potest autem simul esse, ut amor causa simul et effectus sit, cum beneficium collatum quidem est, sed ignotum beneficiario, ipse vero ita diligat benefactorem ac si collatum beneficium nosset et ante acceptum beneficium, ita diligit benefactorem ac si accepisset, ut in adoptione occulta. Ita Magdalena prius quam sciret beneficium, dilexit.

et beneficium causa amoris.

III. *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Laudat eam quod ipsa[23] quibus modis potuit remissionem peccatorum sibi acquisivit. Hinc etiam ait: *Fides tua te salvam fecit, vade in pace.* Nam opus est ut in conversione cooperemur Deo. Hinc Dominus tribus parabolis veluti naturam conversionis et verae poenitentiae declaravit: in duabus prioribus, de ove errante et drachma amissa,[24] posuit id quod agit Deus, quasi eam solus operaretur Deus et peccator nihil penitus operaretur; in tertia autem de filio prodigo,[25] id quod peccator agit in conversione, quasi nihil ageret Deus, quia conversio opus est totum Dei et totum peccatoris. Sic hodie foenerator totum debitum gratis donavit et Magdalena perfectam suorum peccatorum remissionem meruit: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit,* etc.

Christus Magdalenam laudat, quia ipsa omnia egit ut remissionem peccatorum acquireret.

Ecce mulier. Magnum miraculum perfecta poenitentia ac multo maius suscitatione Lazari.[26] Describit autem Lucas hodie primo quidem naturam perfectae poenitentiae, deinde vero effectus ipsius. Habet autem vera poenitentia originem a corde: *Convertimi ad me in toto corde vestro.*[27] Est veluti arbor bona faciens fructus bonos, hinc ait Ioannes praedicans in deserto: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum,*[28] et: *Facite* dignos *fructus poenitentiae.*[29] Radix huius arboris in corde est, truncus in ore, rami in manibus: *Facite fructus.*

Magnum miraculum est vera poenitentia.

23) Ms.: *Sibi* adiicitur, quod ponitur postea. 24) Cf. Cf. Lc 15, 4-10. 25) Cf. ibid. vrr. 11 sqq. 26) Cf. Io 11, 1-44. 27) Ioel 2, 12. 28) Mt 3, 2. 8. 29) Lc 3, 8.

Requirit autem vera poenitentia in corde multa. Primo quidem cognitionem peccati, quatenus crimen est laesae maiestatis divinae, hinc legimus hic: *Mulier quae erat peccatrix, ut cognovit.* Haec autem cognitio oritur ex fide, hinc ait: *Fides tua te salvam fecit.* Fide cognoscitur quam ingens malum peccatum sit, quia fide cognoscitur Deus, creditur paradisus, creditur infernus, creditur immortalitas animorum, creditur iudicium Dei, creditur divina providentia. Hinc cognoscitur quam ingens malum peccatum sit, quod meretur iram Dei, privationem gloriae, incursionem in manus daemonum, reatum mortis aeternae in inferno. Ex fide igitur oritur peccati cognitio; ex peccati autem cognitione dolor vehemens et acerbus. Hinc in Magdalena magna copia amarissimarum lacrimarum: *Lacrimis coepit rigare pedes eius:* [30] hunc autem dolorem concomitantur pudor et humilitas, hinc: *Stans retro secus pedes;* [31] non audet coram facie Christi comparere, verecundia, rubore et pudore suffulta stat retro magna cum humilitate, *secus pedes eius,* plena dolore, *lacrimis coepit,* etc.

Vera poenitentia requirit fidem ut cognoscatur malum peccati,

unde oritur dolor et humilitas;

Tandem requirit vera poenitentia in corde ardens desiderium gratiae Dei, vivum erga Deum amorem, veram caritatem: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Vera plane caritas in Magdalena fuit. Magnus necesse est ut sit in muliere amor, qui vincat in muliere pudorem, mundi opinionem, qui hominum linguas dictaque contemnat. Talis fuit amor Magdalenae, dum super convivantes ingressa est lacrimis profusa, dissolutis capillis, nihil verita quid pharisaeus, quid alii convivantes dicturi essent. Vere *dilexit multum,* si quis naturale mulierum ingenium probe noscat. Sic igitur ostensa est vera in corde poenitentia.

requirit etiam ardens desiderium gratiae, caritatem in Deum.

A corde autem ad os ventum est, nam: *Osculabatur pedes eius,* [32] O sancta oscula, signa magna verae pacis, amicitiae et amoris! Sic peccator humili peccatorum suorum confessione Christi pedes pie dulciterque osculatur; sic David peccatum suum coram Nathan confessus fuit, dicens: *Peccavi Domino.* [33]

humilem confessionem culpae

Tandem ad manus deventum est: *Capillis capitis sui tergebat et unguento ungebat.* [34] Manibus suis Christi pedes lavabat, tergebat,

et satisfactionem.

30) Ibid. 7, 38. 31) Ibid. 32) Ibid. 33) 2 Rg 12, 13. 34) Lc 7, 38.

ungebat, omnibus quibus potuit modis Christo obsequia praestabat, ut pro peccatis suis pro virili sua satisfaceret Christo. Sic igitur ad vivum ostensa est in Magdalena verae perfectaeque poenitentiae natura.

Cum auxilio gratiae vera poenitentia possibilis et facilis est

IV. Postea vero ostenditur quod, licet homini absque Dei gratia et misericordia impossibilis sit conversio et vera poenitentia - hoc enim illud est: *Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque;* [35] potest enim homo debitum contrahere cum Deo, sed non solvere; potest seipsum interficere, sed non vivificare - tamen cum praesenti Dei auxilio poenitentia cum vera tum etiam perfecta, nedum possibilis, verum etiam facilis est. Hinc ostenditur in muliere, quae viro multo imbecillior et infirmior est carneque multo fragilior. Nec tantum in muliere ostenditur, sed in muliere peccatrice, quae in peccatis callum iam egerat, habitum contraxerat, qui veluti altera natura est. Habitus autem iam obfirmatus difficile admodum removetur, quod in loquela vel maxime manifestum est. Nam si graecus vel germanus quis in Italiam venit tenera aetate, addiscet quidem italicam latinamque linguam et probe adeo pronunciabit, ut italus natura videatur; si autem iam matura aetate veniens italicam linguam addiscat, quoniam iam habitum iam contraxit naturalis linguae, quam difficillime relinquet modos pronunciationis naturalis linguae. Hoc est quod Ieremias ait, quod sicut aethiops non potest mutare pellem suam nec pardus varietatem colorum, sic nec homo cum didicerit malum. [36]

et maxime iucunda tum Deo cum ipsi peccatori,

Divina tamen opitulante gratia, poenitentia et possibilis et facilis peccatori est, ut in Davide, in Ninivitis, in Paulo, [37] in Magdalena nostra manifestum est. Nec tantum possibilis facilisque ostenditur, verum etiam iucunda cum Deo tum etiam peccatori. Deo quidem, nam Christus cibum et potum intermisit ut Magdalenae poenitentiam contemplaretur et commendaret; multo iucundius [38] Christus suscipit peccatores et peccata dimittit quam esuriens comedat et sitiens bibat. Sicut etiam in conversione samaritidis Dominus ostendit; nam cum esuriret et sitiret, invitatus a discipulis ut

35) Ibid. vr. 42. 36) Cf. 13, 23. 37) Cf. Act 9, 1-7. 38) Ms.: *iucundius* repetitur.

manducaret, ait: *Ego alium cibum habeo manducare quem vos nescitis. Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius.* [39] Hoc idem ostendit Dominus tribus illis parabolis de ove a pastore inventa, itemque de drachma et de filio prodigo in domum patris reverso: gavisus fuit pastor, gavisa mulier, gavisus pater; sic, inquit, *gaudium* magnum *in caelo* est *coram Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente.* [40] Iucunda poenitentia etiam ipsi peccatori. Iucundiores Magdalenae erant lacrimae quam convivantibus epulae; non praesentes epulae eam trahebant, nil delectabant, sed amarae lacrimae, sed pedes Christi lacrimis lavare, capillis tergere, unguento ungere. Iucundior peccatoris animo vera poenitentia quam cibus esurienti, potus sitienti.

Ideo utilissima.

Tandem ostenditur quam utilis poenitentia sit. Nam per eam acquiritur remissio peccatorum: *Dimittuntur ei peccata multa;* salus animae: *Fides tua te salvam fecit;* pax conscientiae: *Vade in pace;* [41] acquiritur gratia et amicitia Dei, imo laus et honor apud Deum; hinc hodie Christus Magdalenam, non tantum benigne venientem suscepit et obsequia ipsius acceptavit, sed etiam defendit, protexit, laudavit, praetulit pharisaeo, dulcissime consolatus fuit.

Hodie Magdalena lacrimis suis baptizata, facta est vera christiana.

Hodie Magdalena per poenitentiam conversa est in alteram mulierem, sicut de Saule legimus quod, unctus oleo a Samuele, mutatus fuit in virum alterum; [42] mundata a lepra, sicut Maria soror legislatoris Moysi; sicut Naaman syrus ad aquas Iordanis, [43] sic Magdalena ad aquas lacrimarum. Sicut caecus natus ad aquas Siloe lumen oculorum recepit, [44] sic Magdalena ad has aquas. Imo sicut ad aquas piscinae ab Angelo conturbatas sanabatur homo *a quacumque detinebatur infirmitate,* [45] ita Magdalena hodie sanctificata est ab omnibus peccatis suis ad aquas lacrimarum suarum. Hisce aquis baptizata est factaque vera christiana.

V. Duplex convivium habemus in hodierno Evangelio exhibitum Christo: alterum quidem corporale a pharisaeo: *Rogabat Iesum*

39) Io 4, 32. 34. 40) Lc 15, 7. 10. 41) Ibid. 7, 50. 42) Cf. 1 Rg 10, 9.
43) Cf. 4 Rg 5, 14. 44) Cf. Io 9, 1-7. 45) Cf. ibid. 5, 4.

Duplex convivium habemus Christo exhibitum: corporale a pharisaeo, spirituale a Magdalena;

quidam pharisaeus ut manducaret cum illo; et ingressus domum pharisaei, discubuit; alterum vero spirituale a Magdalena: *Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me.* Haec est mensa coram divino propitiatorio parata,[46] quoniam sic delectatur Deus remittere peccata poenitentibus ex animo, sicut esuriens et sitiens cibo et potu. Hinc Dominus, visa Magdalena, intermisit convivium corporale pharisaei et coepit cum voluptate vesci epulis spiritualis convivii Magdalenae. Spiritus Deus est, corde et spiritu pascitur ac delectatur. Ipsum autem hodiernum Evangelium spirituale convivium lautum ac splendidum est multis spiritualibus epulis opipare refertum.

referuntur trium personarum actiones:

Referuntur hic trium personarum actiones: pharisaei, Magdalenae et Christi. Pharisaeus tres habet actiones: rogat Christum, temere iudicat de Christo: *Hic, si esset propheta, sciret utique quae et qualis est mulier quae tangit eum, quia peccatrix est;*[47] recte respondet Christo requirenti ab eo iudicium de duobus debitoribus: *Quis ergo eum plus diligit? Aestimo quia is cui plus donavit... Recte iudicasti.*[48] Pharisaeus hic vitae sanctitatis genus profitebatur, sed tamen non est omnino mundus a sorde, peccator et ipse erat, debitor quinquaginta denariorum: *Quasi pannus menstruatae universae iustitiae nostrae,* quoniam immundi omnes nos, ait Isaias;[49] *Cuncta cogitatio cordis* humani *intenta* est *ad malum omni tempore,*[50] ait Dominus.

pharisaei,

qui opus bonum operatus fuit, sed temerariis iudiciis maculatum,

Nec tamen censendum est quod omne opus bonum peccatum sit, sicut deliri et amentes haeretici autumant et affirmant,[50a] nam hodie Dominus laudavit opera bona Magdalenae; sed quod raro opera nostra bona sunt ab omni peccato pura et aliena. Opus bonum fuit pharisaei, quod rogabat Christum ut manducaret cum illo, et meruit exaudiri: *Ingressus domum pharisaei discubuit.* Sed tamen opus hoc bonum temerariis iudiciis maculatum fuit; temere enim iudicavit de Christo, temere de Magdalena, quia peccatrix erat. Erat peccatrix, fuit peccatrix, nec recte satis argumentabatur: *Si esset propheta, sciret.* Nam Samuel ignoravit quemnam ex filiis Isai Deus

46) Cf. Ex 25, 23-30. 47) Lc 7, 39. 48) Ibid. vr. 43. 49) 64, 6.
50) Gn 6, 5. 50a) Sic Lutherani Cf. S. Laurentius a Br. *Hypotyposis*, par. 3, pag. 171.

in regem elegerat: natu maximum putavit, cum tamen Deus natu minimum elegisset;[51] propheta Nathan, et tamen ignoravit quod non erat voluntas Dei ut David templum aedificaret;[52] propheta Elias, et ignorabat quod in Israel erant septem millia virorum, qui non curvaverant genua Baal;[53] propheta Eliseus, et ignorabat quod mortuus esset filius sunamitidis.[54] Temere iudicavit quod Christus mulierem non cognosceret, cum verus esset Deus, qui scrutatur renes et corda[55] et *omnia nuda et aperta sunt oculis eius.*[56] Sic omnis humana sanctitas externa potius est in oculis hominum quam interna in oculis Dei.

Magdalenae, quae ad Christum accessit ad quaerendam salutem.

Actiones Magdalenae plures sunt: *Ut cognovit quod* Iesus *accubuit in domo Simonis, attulit alabastrum unguenti, et stans retro secus pedes eius, lacrimis coepit rigare pedes eius et capillis capitis sui tergebat et osculabatur pedes eius et unguento ungebat.*[57] Est Magdalena veluti phoenix[58] quaedam evangelica. Sola enim ipsa ad Christum venisse reperitur ad quaerendam ab eo salutem animae et remissionem peccatorum; sola Christum visa est agnovisse salvatorem animarum, fontem gratiae et misericordiae. Alii omnes ad quaerenda corporalia beneficia ad Dominum accedebant; ipsa agnovit quam ingens malum peccatum sit, et magna lacrimarum copia testata est: *Lacrimis coepit rigare pedes.* Quae tanta vis lacrimarum, mulier? Quae causa tanti doloris? Quid mali accidit? Fortunis ne omnibus privata es? parentibus an liberis carissimisque pignoribus orbata? pateris mortalem aliquam persecutionem a tuis? Multo, inquit, peiora passa sum. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam*:[59] plangebat, quia peccatricem se agnoscebat, quia peccando Dei gratiam, imo Deum ipsum amiserat, divinam iram et indignationem incurrerat, a divina iustitia damnata erat et daemonibus tradita, ut in infernum portarent perpetuo cruciandam flammis aeterni ignis. Hinc ad Christum veluti ad asylum et tribunal divinae gratiae et misericordiae confugit.

51) Cf. 1 Rg 16, 6-13. 52) Cf. 2 Rg 7, 1-13. 53) Cf. 3 Rg 19, 18. 54) Cf. 4 Rg 4, 26-28. 55) Cf. Ps 7, 10; Apc 2, 23. 56) Hebr 4, 13. 57) Lc 7, 37-38. 58) Alludit ad proverbium «Phoenice rarior», de quo cf. P. Mannuccius *Adagia*, col. 949, rem rarissimam significans, ut etiam Ovidius habet: «Vivax phoenix, unica semper avis». *Amor.*, lib. 2, eleg. 6, vr. 54. 59) Ps 118, 136.

et Christi.

Actiones etiam Christi multae sunt: exaudit orationem pharisaei, suscipit poenitentiam Magdalenae, cognoscit occultas cogitationes in corde Simonis, arguit temerarium ipsius iudicium, commendat opera Magdalenae, remittit peccata et tandem iustificatam et sanctificatam peccatricem dimittit in pace: *Dimittuntur tibi peccata tua; fides tua te salvam fecit, vade in pace.* Omnes autem actiones Christi refertae sunt divinis mysteriis.

In duplici statu ostenditur Magdalena: in statu: peccati et postea in statu gratiae.

VI. *Ecce mulier.*[60] Proponitur Magdalena quasi novum et insolitum miraculum. Nunquid miraculum est mulierem esse peccatricem? A muliere peccatum in mundo sumpsit exordium.[61] Sed miraculum est mulier peccatrix vere et ex animo poenitens, ita ut ex magna peccatrice fiat magna virtutis et sanctitatis cultrix. Sic in duplici statu ostenditur nobis hodie Magdalena: prius in statu peccati, postea in statu gratiae, sicut prima abyssus prius in statu tenebrarum, postea lucis.[62] Detinebant autem eam in statu peccati fragilitas carnis, quia *mulier;* ignorantia mentis, quia *ut cognovit,* utique quod ante ignorabat; occasiones mundi, quia *in civitate;* libera erat, propterea dicitur *mulier,* non uxor, non filia, non soror, non serva; mulier erat sui iuris et in civitate, in mundo qui *totus in maligno positus est;*[63] commoditates corporis, quia dives erat, ut ostendit unguentum; ac tandem tentationes diaboli, nam septem erat spiritibus obsessa et de ea Dominus hodie septem daemonia eiecit.[64] Sic erat infelix mulier veluti vivus quidam infernus; sed divino miraculo facta est paradisus.

60) Atramento clariori. 61) Cf. Gn 3, 1-6. 62) Cf. ibid. 1, 2-3. 63) 1 Io 5, 19.
64) Cf. Mc 16, 9.

ALIA HOMILIA [1]

Fides tua te salvam fecit, vade in pace. [2]

I. Proponitur nobis in hodierno Evangelio Mariae Magdalenae conversio, iustificatio, sanctificatio per remissionem peccatorum: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* [3] Sic a peccatis mundatam, iustificatam, sanctificatam peccatricem Dominus a se in pace [dimittit].

Proponitur conversio et sanctificatio Magdalenae.

II. Quoniam autem multa sunt quae ad iustificationem peccatoris spectant, multa etiam in hodierno Evangelio ponuntur in causa huius iustificationis. Primo quidem tribuitur haec divinae misericordiae: *Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque.* [4] Gratia donum Dei est; nam si gratia ex operibus esset, ut Paulus ait, iam gratia non esset gratia, sed debitum, sicut merces operariis. [5] Secundo tribuitur operibus, quia lacrimis rigavit pedes Domini, quia tersit capillis, quia unxit unguento, quia osculata fuit. Tertio tribuitur caritati: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Quarto tribuitur fidei: *Fides tua te salvam fecit, vade in pace.*

Multa ponuntur in causa huius iustificationis.

In iustificatione nanque, praeter substantiam iustificationis, quae consistit in dono gratiae et remissione peccatorum, sicut illuminatio aeris, etc., considerantur etiam causae. Efficiens, Deus: *Gratiam et gloriam dabit Dominus,* [6] Christus, ut Deus verus. Instrumentalis et meritoria, Christi humanitas sanctitasque; Sacramenta etiam sunt causae instrumentales, sed tanquam instrumenta separata, Baptismus, Poenitentia. Causa finalis, Deus: *Omnia propter semetipsum creavit Altissimus,* [7] sic pro gloria Dei suscitatus fuit Lazarus; [8] salus etiam hominis causa finalis est, sed secundaria: *Fides tua te salvam fecit.* Naturalis, homo, mulier, *quae erat in civitate peccatrix;* [8a] formalis, ipsa Dei gratia dono data, quae hominem revera iustum et

Considerantur causae iustificationis: efficiens, meritoria, instrumentalis, finalis, formalis;

1) Atramento clariori exarata. 2) Lc 7, 50. 3) Ibid. vr. 49. 4) Ibid. vr. 42. 5) Cf. Rom 11, 6. 6) Ps 83, 12. 7) Prv 16, 4. Vulg.: *Omnia... operatus est Dominus.* 8) Cf. Io 11, 4. 8a) Lc 7, 37.

sanctum facit, sicut sapientia Salomoni divinitus collata sapientem eum reddidit.[9]

Insuper in adultis requiruntur fides, spes et poenitentia.

Praeter haec autem in adultis, - nam agitur hic de adulti hominis iustificatione - requiruntur praeviae dispositiones ac praeparationes animi ad suscipiendam gratiam, sicut praeparatur cera ad impressionem sigilli, lignum viride ad concipiendum ignem, praeparatur infirmus potionibus ad sanitatem, praeparatur adolescens ad philosophiam grammaticis institutionibus logicisque. Sic agitur in hodierno Evangelio de praeviis dispositionibus et praeparationibus ad iustificationem. Praeparavit enim se Magdalena lacrimis, unguento multisque bonis operibus ad percipiendam remissionem peccatorum. Praeparatur adultus ad iustificationem fide, credendo in Christum, sic ait: *Fides tua;* praeparatur spe divinae misericordiae: *Confide, fili: dimittuntur tibi peccata tua;*[10] praeparatur poenitentia, vera cordis contritione et intimo animi dolore ex naturali in Deum caritate: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Sic optime praeparata ad iustificationem, accessit Magdalena ad Christum, propterea vere iustificata fuit.

Divinam gratiam iure mereri non possumus, sed Deus eam petentibus non denegat.

III. Dicuntur autem in hodierno Evangelio duo, quae pugnantia videntur: alterum quod ex mero dono Dei remissionem peccatorum perceperit: *Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque;* alterum quod ex meritis bonorum operum, nam recensitis bonis operibus ipsius, ait: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Hoc autem facile expeditur, si quod a theologis dicitur meritum de condigno a merito de congruo distinguatur. Accedit mendicus ad divitem ut eleemosynam accipiat: petit, orat, obsecrat, ad commiserationem ostendit plagas aperitque quibuscumque modis potest necessitatem suam nullumque non movet lapidem ut eleemosynam accipiat. Sed tamen quidquid agat, nullum acquiret ius ut dives lege teneatur dare ei quid petit, ut mercenario tenetur mercedem dare, sed commiseratione motus dat huic pauperi, non autem alii, aut illi quidem multo maiorem, quoniam tot talibusque precibus tamque humili supplicatione illam visus est meruisse. Ita in iustificatione accidit. Divinam gratiam iure mereri

9) Cf. 3 Rg. 3, 5-12; 2 Par 1, 12. 10) Mt 9, 2.

non possumus; Deus tamen ex infinita caritate et liberalitate sua, «facientibus quod in se est non denegat gratiam». [11] Sicut autem humanum corpus in utero matris ad suscipiendam animam rationalem multis modis praeparatur, ita homo ad suscipiendam gratiam Spiritus Sancti.

Gratia, quae in iustificatione percipitur, hodie donum Dei appellatur.

Donavit utrisque. Cum in Divinis Litteris gratia, quae in iustificatione percipitur, multis nominibus appelletur, hic tamen singulariter Dei donum dicitur, sicut etiam Regius Vates ait: *Gratiam et gloriam dabit Dominus*, et Christus samaritanae: *Si scires donum Dei.* [12] Sed appellatur multis nominibus ad insinuandam ac demonstrandam divini huius doni magnitudinem. Sed sufficit hic scire quod donum hoc vitam salutemque aeternam affert, sicut Dominus eam appellavit aquam vivam salientem in vitam aeternam. [13] Hinc Paulus: *Gratia autem Dei vita aeterna,* [14] et: *Spiritus vivit propter iustificationem, Romanis* 8. [15]

Gratia non est imputatio iustitiae Christi nobis facta.

Cum autem donum gratiae Dei multis nominibus in Sacris Litteris extollatur, non pudet novatores dicere nihil esse, sed per putativam et imputativam iustitiam ex Christi meritis iustos apud Deum nos reputari, licet vitiorum et peccatorum sordibus pleni simus, modo credamus tantum remissa nobis esse peccata. [16] Sed dico: si hodie Christus Magdalenae revera nihil donavit, quid donum tantopere magnificat? Quid igitur? Sic Deus alucinatur et fascinatur, ut iustos reputet eos qui peccatorum sordibus scatent? ut sanos reputet morbidos et viventes iudicet mortuos?

Fides tua te salvam fecit. Non dicit Christus: sola fides, sed alludit ad incredulitatem eorum qui, cum audissent Dominum dicentem: *Dimittuntur tibi peccata tua, coeperunt... dicere intra se: Quis est hic qui etiam peccata dimittit?* [17] et ad incredulitatem Simonis, qui intra se dicebat: *Hic, si esset propheta, sciret,* etc. [18] Nam Magdalena credidit Christum verum esse prophetam et vere posse peccata dimittere divina qua pollebat auctoritate.

11) Axioma theologicum, unanimi consensu a theologis acceptum, de quo cf. Suarez *De Gratia*, lib. 4, cp. 12. 12) Io 4, 10. 13) Cf. ibid. vr. 14. 14) Rom 6, 23. 15) Vr. 10. 16) Cf. S. Bellarminus *Controversiae*. t. 4, *De Iustificatione*, lib. 2, cp. 1, col. 776-778; Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symbolorum*, n. 820-821. 17) Lc 7, 48-49. 18) Ibid. vr. 39.

Hodiernum Evangelium simile est Evangelio filii prodigi.

IV. Hodiernum [19] Evangelium est valde simile Evangelio filii prodigi; [20] quod enim hic per historiam, ibi per parabolam traditur. Tres personae ibi ponuntur: pater et duo filii; tres personae etiam hic: Christus, Simon et Magdalena. Agitur ibi de poenitentia peccatoris veraque conversione, de misericordia et visceribus pietatis Dei erga peccatores poenitentes; similiter hic. Convivium ibi instruitur; convivium hic; murmurat ibi filius natu maior contra patrem, eo quod exceperit tanta cum laetitia filium, qui tam perdite vixerat; murmurat hic pharisaeus contra Christum: *Hic, si esset propheta, sciret utique quae et qualis est mulier quae tangit eum, quia peccatrix est.* [21] Rationibus ibi pater clementissimus convicit filium natu maiorem et factum suum iustificavit: *Fili, tu semper mecum es et omnia mea tua sunt. Exultare autem et gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat et revixit, perierat et inventus est;* [22] similiter hodie Christus, proposita parabola, rationibus pharisaeum convincit. Continetur etiam hic mysterium parabolae pharisaei et publicani: *Descendit hic iustificatus,* etc. [23]

Cum convivio corporali habemus hodie convivium spirituale,

V. *Rogabat Iesum quidam pharisaeus,* etc. In convivio voluit Isaac benedicere filium suum; benedixit autem non Esau maiorem, sed Iacob minorem; [24] ita Christus hodie in convivio benedicit Magdalenam, non pharisaeum. Video autem in hoc corporali convivio etiam spirituale, sicut in homine, praeter corpus et carnem externumque hominem, reperitur etiam anima, spiritus, homo interior, et in Christo praeter humanitatem divinitas. Externum convivium factum est Christo a pharisaeo, spirituale autem a Christo universali Ecclesiae.

in quo plurimi proponuntur cibi spirituales.

In hoc autem convivio spirituali multa sunt fercula, sed sub triplici apparatu. Nam habemus in hodierno Evangelio tria: historiam conversionis Magdalenae eiusque poenitentiae ex animo; parabolam: *Simon, habeo tibi aliquid dicere: duo debitores,* etc; [25] tandem encomium illustre in laudem virtutum sanctae huius peccatricis:

19) Stylo strictiori. 20) Cf. Lc 15, 11 sqq. 21) Ibid. 7, 39. 22) Ibid. 15, 31 sq. Vulg.: *Epulari autem,* etc. 23) Ibid. 18, 14. 24) Cf. Gn 27, 1 sqq. 25) Lc 7, 40.

Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, etc.[26] In primo apparatu sunt plures cibi suavissimi. Primo enim proponitur cibus benignitatis et humanitatis Christi: *Rogabat Iesum quidam pharisaeus ut manducaret cum illo; et ingressus domum pharisaei discubuit.* Magna plane esset benignitas et humanitas regis aut Pontificis Optimi Maximi si, invitatus ad prandium a privato homine, in domum ipsius dignaretur ei gratificari. Invitatus fuit rex Assuerus ad convivium a regina Esther in domum ipsius, et ivit semel et iterum;[27] sed nunquam in Sacris Litteris legimus regem invitatum a persona privata. Referunt quidem historiae Octavianum Augustum invitatum a cive romano ad convivium, non detrectasse, cumque nimis frugaliter exceptus fuisset, tum dixisse ei qui eum invitaverat: «Non putabam me adeo tibi familiarem esse!». Quod quidem summae modestiae tribuitur in tanto principe.[28] Cum autem Christus princeps sit divinae, infinitae maiestatis, non detrectavit convivium privati hominis nec satis benevoli, ut ipse optime noverat. Vidit tamen quod non malo animo ipsum invitarit; sic domum ipsius adivit: *Ingressus domum pharisaei discubuit.* Exaudit Dominus orationes nostras, non dedignatur nos, licet immeritos et indignos; sic: *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei.*[29]

Idest benignitas et humanitas Christi.

Alius etiam oblatus est in hoc convivio cibus, misericordiae divinae erga peccatores: *Ecce mulier quae erat in civitate peccatrix,* etc. Agit cum peccatrice hac Dominus sicut pater cum filio prodigo, peccatricem enim poenitentem benignissime suscipit, ad se accedere permittit, cum prius nec sanctos quidem ad se accedere permitteret: *Ne appropies huc, locus enim in quo stas, terra sancta est.*[30] Sed nunc immemor iniuriae quam filia patri, sponsa marito intulerat, memor clementiae, licet Deus zelotes esset, benignissime eam suscipit et tractat.

misericordia divina erga peccatores.

Proponitur etiam poenitentia remedium praeservans a morte et revocans a morte ad vitam. O si tale remedium reperiri posset in vita huius saeculi! Ostenditur autem hoc remedium non solum efficax et potens, verum etiam facile, ita ut mulier supra modum fra-

poenitentia perfecta.

26) Ibid. vr. 44. 27) Cf. Est 5, 4-8; 7, 1. 28) Cf. A. Macrobius *Saturnalia,* lib. 2, cp. 4, pag. 291. 29) Tit 3, 4. Vulg.: *Benignitas et humanitas apparuit,* etc. 30) Ex 3, 5.

gilis praestare potuerit, et quidem perfecte, nam praestitit perfectam poenitentiam, qualem Deus per Ioelem requirit: *Convertimini ad me in toto corde vestro,* etc. [31]

Ostenduntur etiam debita peccati,

In secundo apparatu plures sunt cibi: *Duo debitores erant cuidam foeneratori.* [32] Creditor Deus ponitur, quia summus benefactor; haec Dei bonitas est; debita sunt peccata pro quibus satisfaciendum est divinae iustitiae; hic alter est cibus, nempe divina iustitia: *Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque;* haec Dei liberalitas et misericordia, qua dimittit peccata et dat gratiam; hoc docuit etiam Dominus in parabola decem millium talentorum. Cibus etiam est, quod humanum iudicium, licet aliquando alucinetur et erret, sicut Simon: *Hic si esset propheta,* tamen aliquando etiam recte iudicat, unde ait ei: *Recte iudicasti;* [33] quod divina bonitas digna sit amore et eo maiori quo maiora sunt ipsius beneficia, et quod Deus cupit a nobis amari, propterea suis nos beneficiis cumulat: *Quis ergo eum plus diligit?* [34] Summi autem beneficii loco ducendum est quod Deus cupiat a nobis amari, et propterea nobis benefaciat.

divina iustitia et misericordia;

audiuntur Christi laudes pro bonis operibus

Tandem in tertio apparatu etiam sunt multi cibi. Nam laus homini cibus est suavis admodum; laus autem a magno principe cibus est supra quam credi potest suavis; sed laus magna a maximo principe explicari non potest qualem quantamque afferat homini iucunditatem. Christus summus est princeps, *Rex regum et Dominus Dominantium;* [35] laudat summopere bona opera, ita ut nec unum quidem illaudatum relinquat: *Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam,* etc., [36] ubi mirabili utitur artificio Christus ad eam laudandam, multiplici adhibita antithesi. Cibus etiam suavis est meritum bonorum operum: *Propter quod dico tibi: Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum;* cibus suavis divina consolatio: *Et conversus ad mulierem dixit: Remittuntur tibi peccata tua;* cibus suavis est promissio salutis aeternae: *Fides tua te salvam fecit;* cibus suavis collatio pacis internae per gratiam et remissionem peccatorum: *Vade in pace,* iam assecuta es gratiam optatam.

et ostenditur divina consolatio ex remissione peccatorum.

Ostenditur in hodierno Evangelio Magdalena vera phoenix, nam sola ipsa invenitur ad Christum accessisse consequendae divinae

31) 2, 12. 32) Lc 7, 41. 33) Ibid. vr. 43. 34) Ibid. vr. 42.
35) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 36) Lc 7, 44.

gratiae et remissionis peccatorum ergo; phoenix igne combusta et renovata: [37] *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum; In meditatione mea exardescet ignis.* [38] Meditatione divinorum beneficiorum et peccatorum suorum accendit in corde suo ignem divini amoris. [39]

In Magdalena proponitur pulcherrima imago verae poenitentiae,

VI. *Rogabat Iesum,* etc. Divus Lucas in hodierna evangelica historia agit non solum historicum et chronistam, verum etiam pictorem, medicum atque militem. Ut pictor depingit vivis coloribus in tabula mulieris peccatricis pulcherrimam imaginem verae perfectaeque poenitentiae, de qua Ioel propheta: *Convertimini ad me in toto corde vestro,* etc.; depingit hanc imaginem in tabula tali, quoniam, sicut Dominus ait, iusti *non indigent poenitentia,* Lucae 15. [40] Alias idem Lucas depingit nobis hominis conversionem et peccatoris poenitentiam, sed parabolice, in parabola filii prodigi; sed hodie hoc ipsum agit historice; ad vivum, ad naturale, pulcherrimam, elegantissimam, summo artificio studioque depictam penicillo sui calami exhibet hanc imaginem. Non potest esse vera poenitentia sine fide, sine caritate, sine humilitate, sine dolore cordis, sine operibus satisfactionis. Hae omnia hic habentur.

et ostenditur quomodo curanda sit mortalis infirmitas peccati.

Agit etiam medicum, ostendens quomodo curanda sit mortalis peccati infirmitas, licet gravissima, licet incurabilis et desperata. Ut medicus vere methodicus, visitato infirmo, cognitis morbi causis, describit receptum, numerat ingredientia ut componatur medela aut pharmacum, quo sumpto, si statim sanatur infirmus, profecto ostenditur optimum esse praesentaneumque remedium. Ita plane hodie. En mulier infirma, gravissimis ac pestilentibus febribus affecta; et ecce magnum miraculum: statim sana facta: *Fides tua te salvam fecit. Vade in pace.* Quonam remedio? Utique poenitentiae, optimum remedium electis optimisque ingredientibus compositum. Sunt autem ingredientia quae numerat Dominus, unde salutem factam esse affirmat.

37) Iuxta fabulam, phoenix, avis in Arabia nobilis, senescens, vivit enim annis 509, casia turisque surculis nidum construit, replet odoribus (addunt alii accendere solis radiis alarum agitatu) et supermoritur, et deinde ex ossibus renascitur. Cf. Forcellini - Perin *Lexicon Totius Latinitatis,* sub hac voce. 38) Ps 38, 4. 39) Sequitur in altera pagina stylo valde latiori. 40) Vr. 7.

Ad veram poenitentiam requiruntur fides, caritas et bona opera.

Tandem Lucas hodie ex medico fit miles calamumque in gladium spiritus vertit pugnans contra inimicos veritatis, qui fidem laudant sine operibus, quia Christus ait: *Fides tua te salvam fecit.* At vero Lucas non solum fidem, verum etiam et opera et dilectionem caritatemque, quae media est inter fidem et opera, recenset, contra eos qui dicunt poenitentiam nihil aliud esse quam resipiscentiam, peccati recognitionem. At Lucas una cum hac profert lacrimas multaque alia signa doloris et amoris. Dicunt haeretici superstitionem esse omnem cultum, qui non continetur in verbo Dei expresso.[41] Sed quis praecepit huic mulieri Christum adire cum unguento, Christi pedes tenere, osculari, lavare lacrimis, tergere capillis, retro secus pedes Domini stare?[42]

41) De his haereticorum sententiis cf. S. Laurentius a Br. *Hypotyposis*, part. 2, pag. 353-354; part. 3, pag. 34. 102. 185; S. Bellarminus *Controversiae*, t. 3, *De Poenitentia*, lib. 4, cf. 16, col. 1138-1139. 42) Reliqua parte paginae alba relicta, transit ad feriam sequentem.

FERIA SEXTA
INFRA HEBDOMADAM DOMINICAE PASSIONIS

Collegerunt pontifices et Pharisaei concilium et dicebant: Quid facimus, quia hic homo, etc. [1]

Ostenditur hodie perversitas humanae prudentiae.

I. Agitur in hodierno Evangelio de prudentia humana et de sapientia divina. Ostenditur quam stulta atque perversa sit humana prudentia, cum divinae sapientiae opponitur; luna est eclipsata comparata soli, aurum fulgens, sed adulterinum. *Collegerunt pontifices.* Hodiernum concilium est instar statuae regis Nabuchodonosor, quae magna quidem et mirabilis videbatur, sed quoniam pedes habuit fragiles ac fictiles, facile corruit et in nihilum redacta fuit. [2]

Non tenetur homo semper facere quod Deus vult, sed quod praecipit.

Video autem in hodierno Evangelio quoddam paradoxum, quod homines faciendo voluntatem Dei peccant, sicut Moyses et Aaron iussi a Deo petram percusserunt et percutientes peccaverunt. [3] Erat voluntas Dei ut moreretur Saul, miles tamen, qui eum ad preces ipsius interemit, punitus fuit morte a David. [4] Non tenetur semper homo facere quod Deus vult, sed quod Deus praecipit ut homo velit. Vult Deus ut homo moriatur, non tamen ut a quovis occidatur. Etiam si ex divina revelatione sciret quis velle Deum ut pater, ut mater, frater, soror, filius, filia moriatur, ipse tamen ob dilectionis praeceptum, ex caritate tenetur satagere ut vivere possit, et filius qui patris mortem desideraret aut procuraret, etiam si sciret voluntatem Dei esse ut moriatur, procul dubio ex prava voluntate peccaret. Tanti momenti est in humanis actionibus finis et intentio animi! David

1) Pericope huius diei Io 11, 47-54. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Dn 2, 31-35. 3) Cf. Ex 17, 5-7; Nm 20, 7-13. 4) Cf. 2 Rg 1, 1-15.

voluit, pietate ductus, aedificare templum Domino, quod Deus minime volebat, et tamen Deus voluntatem illam Davidis remuneravit,[5] quia Dei gloriam quaerebat.

Hodiernum concilium coactum fuit a Deo, ab hominibus, a daemonibus;

II. Hodiernum concilium coactum fuit a Deo, ab hominibus et a daemonibus; sed a Deo pro gloria Christi et salute electorum: *Ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum;*[6] ab hominibus in odium Christi, ex mundana prudentia quae, spretis divinis legibus, nonnisi propria quaerit et quod sibi existimat expedire; a daemonibus in odium Christi et perditionem hominum. Quatenus autem humanum est, hodiernum concilium esse videtur sicut statua Nabuchodonosor: habet bonum principium, nam bonum est cogere concilia pro optimo regimine reipublicae, sed habuit malum, imo pessimum finem, nam conclusio concilii fuit: *Cogitaverunt ut interficerent*[7] Christum. Quatenus autem divinum est, simile videtur sanctuario Domini, ubi in ingressu altare sacrificiorum reperiebatur, ubi veluti carnificina exercebatur, sed postea in interioribus partibus inveniebantur altare incensi aureum, mensa panum, candelabrum aureum, arca et propitiatorium divinum,[8] sacratissima ac divinissima mysteria. Ita plane hodie.

malum habuit principium, sed optimum finem.

Est hodiernum concilium sicut columna ignis et nubis in medio castrorum,[9] sicut nubes in qua Deus descendit supra montem Sinai, extrinsecus caliginosa, intus autem clarissima.[10] Concilium hoc, quatenus divinum est, videtur malum habuisse principium, sed optimum finem, sicut sacrificium Abrahae impium videri potuit, ut pater unicum filium propriis manibus necaret et flammis exureret,[11] sicut fortuna Ioseph in Aegypto.[12]

Deus non praecepit mortem Christi, tantum permisit,

Tractatum fuit in hodierno concilio, consultatum ac tandem conclusum de morte Christi, quam quidem Deus non praecepit, sicut praecepit Abrahae ut Isaac sacrificaret et summo sacerdoti ut sacrificia offerret, nec tamen prohibuit, sicut prohibuit ne ignis laederet sanctos iuvenes in fornace[13] et ne leones Danielem devorarent,[14] sed permisit. Principes autem permittere dicuntur quae nec praeci-

5) Cf. ibid. 7, 1 sqq. 6) Io 11, 52. 7) Ibid. vr. 53. 8) Cf. Ex 25, 1 sqq.; 40, 14-27. 9) Cf. ibid. 14, 19-20. 10) Cf. ibid. 24, 15 sqq. 11) Cf. Gn 22, 1-18. 12) Cf. ibid. 39, 7, sqq.; 41, 14-45. 13) Cf. Dn 3, 91-93. 14) Cf. ibid. 6, 16-23; 14, 29-40.

piunt nec prohibent, sicut esse meretrices in civitate; ita divina providentia permittit mala in mundo. Sic permisit mortem Christi, sicut permisit ut Cain Abelem occideret,[15] ut satanas Iob sanctum affligeret,[16] ut Iephte filiam suam virginem sacrificaret,[17] ut nautae Ionam in mare proiicerent.[18]

Sed cum excusari non possit princeps qui permittit damnari ultimo supplicio hominem innocentem, cuius innocentiam probe novit, quomodo Deus permisit Christi innocentissimi iniustissimam mortem? Huius rei causa et ratio in hodierno Evangelio redditur: *Ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum,* quia mors Christi mundo futura erat summe utilis. Sic enim permisit Iosephum a fratribus iniquo odio vendi et in Aegyptum duci, quoniam ibi utilissimus futurus erat gentilitati suae.[19] Christi autem passio mundo fuit summe utilis. Hinc per Caipham Spiritus Sanctus loquitur: *Expedit vobis ut unus moriatur homo,* etc. Utile fuit toti navi ut Ionas in mare proiiceretur, sic enim tota navis a tempestate salvata est, ab ira maris et naufragio servata. Videntur autem hodie pontifices et Pharisaei sicut nautae in navi Ionae: videbatur eorum respublica in maximo periculo posita, sicut navis Ionae in mari: *Venient Romani,* etc.[20]

quia futura erat mundo utilissima.

III. Agitur in hodierno Evangelio de causis atque effectibus passionis et mortis Christi. Videtur autem sicut fons dulcis simul et amarae laticis, videtur sicut arbor quae simul bonam et malam radicem habet, simul bonos et malos fructus producit, quae paradoxa videntur. Imo videre hic mihi videor quod bona arbor producit malos fructus, mala autem arbor fructus bonos, nam ex multitudine miraculorum et divinorum operum Christi concludit concilium interficiendum esse Christum: *Ab illa die cogitaverunt ut occiderent eum.* Sic mala hominum ac daemonum voluntas ex bonis elicit mala, e contra vero, ex iniustissima morte Christi educitur salus mundi: *Expedit vobis; Moriturus erat pro gente,* et *ut filios Dei,* etc.[21] Sic voluntas Dei ex malis bona elicit, sicut in principio ex tenebris lu-

Causae passionis Christi fuerunt mala voluntas hominum ac daemonum

15) Cf. Gn 4, 8. 16) Cf. Iob 1, 12-19; 2, 7-8. 17) Cf. Iud 11, 34-39.
18) Cf. Ion 1, 11 sqq. 19) Cf. Gn 37. 1 sqq.; 45, 1 sqq. 20) Io 11, 48.
21) Ibid. vr. 51.

et optima voluntas Dei;

cem eduxit.[22] Causae mortis Christi sunt voluntas Dei optima, hominum autem pessima, caritas Dei et hominum cupiditas, quae *radix est omnium malorum;*[23] cupiditas autem principum causa regnandi, quae statua est aurea, quam in Babylone omnes adorant,[24] idolum Dagon deus Philisthaeorum, qui una cum arca Dei stare non poterat.[25] Hinc varios fructus haec arbor produxit: *Positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel.*[26]

effectus autem maxima utilitas.

In hodierno Evangelio proponitur nobis passionis et mortis Christi maxima utilitas: *Expedit vobis,* etc. *ut filios Dei congregaret,* etc., qua de re saepe Divinae Litterae loquuntur: *Sicut Moyses exaltavit serpentem... ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis,* etc.;[27] *Venit Filius hominis dare animam suam* in *redemptionem pro multis;*[28] *Hic est sanguis... qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum;*[29] Redemit nos *et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo;*[30] *Sanguis Christi... emundabit conscientias nostras.*[31] Fructus passionis Christi praefiguratus est in benedictione Abrahae post sacrificium,[32] in sanguine agni paschalis,[33] in serpente exaltato,[34] in sacrificio expiationis,[35] in ipso templo, nam iuxta altare sacrificiorum, quod Christi crucem designabat, erat vas aquae lustratoriae, postea autem sequebantur divina mysteria usque ad propitiatorium Domini.

nam ex ea habemus Sacramenta, veram fidem et meritum nostrum ex meritis Christi.

Primus effectus, Baptismi sacramentum: *Secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti.*[36] Alter effectus, candelabrum aureum, lumen fidei et cognitionis Dei: *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis;*[37] sic centurio in passione Christum cognovit et confessus fuit: *Vere Filius Dei erat iste;*[38] sic latro dicens: *Memento mei, Domine,* etc.[39] Tertius, altare incensi, meritum orationum nostrarum apud Deum ex Christi meritis, nam filius iure postulare potest a principe stipendia quae pater meruit et ad aliquid impetrandum a principe merita patris proponere, cuius institutus est heres.

22) Cf. Gn 1, 2-3. 23) 1 Tim 6, 10. 24) Cf. Dn 3, 1-7. 25) Cf. 1 Rg 5, 1-5. 26) Lc 2, 34. 27) Io 3, 14-15. 28) Mc 10, 45. 29) Mt 26, 28; Mc 14, 24. 30) Apc 1, 5. 31) Hebr 9, 14. 32) Cf. Gn 22, 15-18. 33) Cf. Ex 12, 7-14. 34) Cf. Nm 21, 8-9; Io 3, 14. 35) Cf. Lv 16, 1 sqq. 36) Tit 3, 5. 37) Io 8, 28. 38) Mt 27, 54. 39) Lc 23, 42. Vulg.: *Domine, memento mei.*

IV. In hodierno Evangelio tria videntur pertractanda. Unum est coactio concilii, quod erat concilium Sanhedrin, magnum Iudaeorum concilium septuaginta seniorum ex lege;[40] alterum est causa quae agitatur, an expediret reipublicae Christum vivere et in Christum credere necne; tertium est conclusio concilii: *Expedit ut unus homo moriatur pro populo... Ab illa ergo die cogitaverunt*, etc. In his autem elucet quam varia sint Dei et hominum consilia quoad principia, media et fines exitusque. Omnium hominum,[41] maxime principum, consilia a divinis consiliis maxime discrepant; hinc per Isaiam Dominus ait: *Sicut exaltantur caeli a terra, ita exaltatae sunt viae meae a viis vestris*, etc.;[42] et alibi: *Vae, filii desertores, ut faceretis consilium, et non ex me, et ordiremini telam, et non per spiritum meum!*[43]

Tria videnda sunt: concilii coactio, causa et conclusio.

In conciliis pro republica recte administranda, praeter auctoritatem, duo vel maxime referuntur: prudentia et aequitas; illa perficit intellectum, haec autem voluntatem; prudentia nanque sine iustitia astutia est malitiae plena, iustitia autem sine prudentia animal caecum est. Divina consilia plena sunt infinita tum sapientia tum bonitate, humana autem caeca sunt atque perversa, nam saepe oriuntur ex prava animi cupiditate. Sicut autem nebula et caligo in aere impedit ut nec in meridie sol videatur, caelo nubibus obducto, ita plane cupiditas animum impedit ut nec clarissima videat. Patet in hodierno concilio: clarissimam lucem divinitatis Christi in divinissimis miraculis non viderunt, odio et cupiditate obcaecati. Cernitur in eis tum caecitas mentis tum perversitas voluntatis. Hac de causa humana consilia saepe infelicissimos exitus sortiuntur. Patet in Adam,[44] in Pharaone persequente Hebraeos,[45] in fratribus Ioseph,[46] in Ieroboam,[47] in Aman persequente Iudaeos et aliis,[48] maxime autem in hodierno concilio, ubi liquido patet quod humana prudentia, quae divinae providentiae legibus renuit subiacere, in causa est ut regna funditus corruant.

In magnis conciliis praeter auctoritatem requiruntur prudentia et aequitas;

in hoc autem cernitur caecitas mentis et perversa voluntas;

40) Forte ex Nm 11, 16-25 a Moyse institutum. 41) Ms.: *Omnium*, loco: *Hominum*. 42) 55, 9. 43) Ibid. 30, 1. 44) Cf. Gn 3, 1 sqq. 45) Cf. Ex 14, 5 sqq. 46) Cf. Gn 37, 18 sqq. 47) Cf. 3 Rg 12, 26-28; 13, 1-5. 48) Cf. Est 5, 10 sqq.; 7, 1 sqq.

unde ostenditur quam discrepent humana consilia a divinis.

In eo etiam humana consilia a divinis discrepare videntur, quod humana quidem ad optatum finem assequendum aptissima media atque expedientissima reperire videntur, ut patet hodie; nam si Christi causa Iudaeorum respublica periclitabatur, eo remoto, omnis adimebatur timor, sic prudenter conclusum videbatur ut unius capitis periculo totius gentis saluti consuleretur. Et tamen pro voto non successit, mors enim Christi non salutem, sed interitum attulit reipublicae Iudaeorum. E contra autem, divina sapientia in consiliis suis media assumere videtur ineptissima, veluti ad ignem accendendum ligna madefacere,[49] ut Elias fecit,[50] et ad caecum illuminandum lutum adhibere, ut Christus;[51] sic pro salute mundi statuit mortem Christi; mori eum voluit ut verus Filius Dei, verus Messias, verus Deus crederetur, quod reputabatur stultitia, et tamen medio hoc, ineptissimo hominum opinione, sortitus est optatissimum finem. David ad pugnandum contra Goliam arma visus est elegisse ineptissima, Golias autem optima; et tamen non Golias optimis armis munitus, sed David inermis victor remansit.[52] In hodierno concilio Christus est veluti aurum in fornace, ubi carbones videntur aurum adurere, et tamen aurum illibatum remanet, carbonibus consumptis. Remansit Christus, periere principes Iudaeorum, imo universa Iudaeorum respublica periit, in fumum abiit, ad nihilum redacta est omnis ipsius gloria, omne decus et ornamentum igne conflagravit ad instar Pentapolis.[53]

Prophetavit Caiphas divinitus inspiratus.

V. Sententia Caiphae hodie: *Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo et non tota gens pereat,* quam ipse, cum esset pontifex, prophetando pronunciavit, fuit veluti quaedam epistola, caelitus ad concilium hoc missa, sed scripta occultis litterarum notis. Sic enim principes magni ponderis negotia scribere solent, ut epistolae, forte fortuna interceptae, intelligi non possint, nisi ab iis qui norunt significationes occultarum notarum. Sic lecta quidem fuit haec epistola in concilio, quod mors Christi utilis futura erat reipublicae, sed non intellecta; prophetavit Caiphas loquens, sicut asina Balaam,[54] non intellexit. Sic fuit lex Moysi universa epistola quaedam caelitus

49) Ms.: *Madefare.* 50) Cf. 3 Rg 18, 30-39. 51) Cf. Io 9, 1-7. 52) Cf. 1 Rg 17, 39-51. 53) Cf. Gn 19, 24-28. 54) Cf. Nm 22, 20-30.

missa, sed scripta sub occultis litterarum notis, ita ut legi quidem possit, sed absque Dei spiritu minime intelligi. Hoc est quod Paulus ait: *Omnia in figura contingebant illis.*[55] Tabernaculum Sanctam designabat Ecclesiam, sacrificia et oblationes passionem Christi, terra promissionis paradisum. Iussit Deus Abrahamo ut terram promissionis perambularet in longitudine et latitudine,[56] ita ut veluti cruce eam signaret, quoniam crucis merito Salvator nobis paradisi gloriam acquisivit. Sic hodie: *Expedit ut moriatur, ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.*

sed sensum prophetiae suae non intellexit.

VI. *Collegerunt pontifices et Pharisaei concilium.* Senatus est sapientum et prudentum, veluti theatrum humanae sapientiae et prudentiae, quae divinae providentiae renuit esse subiecta, sed veluti Agar est in domo magni patriarchae Abrahami, quae dominae suae Sarae humiliter, ut par erat, subiecta esse nolebat, sed dominari.[57] Quare cum dominam suam irritasset, domo eiecta fuit una cum filio, qui Isaac natum ex repromissione persequebatur cupiens fieri heres.[58] Erat domus Israel vere domus Dei, in qua Deus per fidem habitabat. Principalis domina domus huius erat Sara, quae princeps interpretatur; divina providentia domum hanc regebat et gubernabat. Sed tamen erat etiam Agar ancilla; ad regimen domus huius uti voluit Deus etiam humana prudentia. Hinc dedit populo principes et magistratus tum sacros tum saeculares, Moysen et Aaron eorumque successores, quos magna cum dignitate, honore, gloria, tum etiam auctoritate et potestate exornavit. Et quidem quamdiu in hac domo Abrahae Agar haec dominae suae subiecta mansit, in magna pace actum est. Quamdiu reipublicae Iudaeorum principes divinam providentiam agnoverunt et venerati sunt, feliciter omnia succedebant pro voto; cum autem contra divinam providentiam humana prudentia cervicem erigebat et cum ea contendere praesumebat ac veluti de principatu deturpare, hinc omne malorum genus.

Cernitur in hoc concilio pugna humanae prudentiae cum divina providentia;

Saepe autem divina providentia et humana prudentia veluti ad singulare certamen in circo et vallo congressae sunt, tamquam duae

55) 1 Cor 10, 11. 56) Cf. Gn 13, 17. 57) Cf. ibid. 16, 3-4.
58) Cf. ibid. 21, 9-14.

saepe hoc evenit, sed haec semper victrix exiit.

Amazonae;[59] et divina quidem providentia semper humanae prudentiae concessit electionem tum loci tum armorum, semper tamen victrix remansit. Sic tandem Agar ancilla una cum filio domo eiecta est, sic omnis reipúblicae Iudaeorum gloria ad nihilum redacta est et principatus omnis in fumum abiit. Ubinam Iudaeorum regnum? ubi templum? ubi pontifices et Pharisaei? ubi principes? Tantorum autem causa malorum nonnisi humana prudentia extitit contraria divinae providentiae.

unde hoc perversum concilium causa fuit ruinae Iudaeorum.

Coactum fuit hodie generale concilium, agebatur de summa rerum, de salute stabili aut irreparabili ruina totius reipublicae: *Si dimittimus eum sic... venient Romani et tollent nostrum locum et gentem.*[60] Non recurrunt ad divinam providentiam, a qua status dependent et regna, imo caelum et terra totumque universum, sed ad humanam prudentiam. Hanc enim divinae providentiae longe praeferunt et anteponunt altare contra altare; ita pertractant negotia reipublicae ac si non esset Deus in mundo, qui universa regit et moderatur; sed humana tantum prudentia rempublicam regere volunt tamquam domini absoluti, tamquam reges, non proreges et praefecti. Sic navis haec recta ab imperito nauta passa est irreparabile naufragium; sic funditus corruit et collapsa est Iudaeorum respublica.

Valde perniciosa est humana prudentia quae divinam providentiam non agnoscit,

VII. Ostenditur autem in hodierno Evangelio quam caeca, quam perversi ac praeposteri iudicii, quam perniciosa sit humana prudentia, quae divinam providentiam non agnoscit. Caeca est corruptoque iudicio: *Vae qui dicunt bonum malum et malum bonum, ponentes lucem in tenebras et tenebras in lucem, ponentes dulce in amarum et amarum in dulce!*[61] Erat Christus reipublicae Iudaeorum summe utilis tamquam optimus medicus, qui nedum infirmos a quocumque morbo curabat, sed etiam mortuos suscitabat; cum enim audissent quod Lazarum suscitaverat, collegerunt concilium hoc.[62] Cum autem esset Christus universo populo summe utilis, ipsi eum perniciem pestemque reipublicae existimabant, ac si sol tenebras

59) Alludit ad fabulam, iuxta quam Amazones mulieres fuerunt bellicosissimae et viribus potentes, quae ex Scythia in Graeciam irruerunt et inde magnam Europae partem invaserunt, a Theseo tandem debellatae. Cf. Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 7, cp. 9, pag. 626; Forcellini-Perin *Onomasticon*, sub hoc nomine. 60) Io 11, 48. 61) Is 5. 2. Vulg.: *Vae qui dicitis*. Invertit ordinem. 62) Cf. Io 11, 41-47.

posset offundere, arborem vitae putabant arborem mortis, quia Lazarum, nobilem virum et inter Iudaeos primarium, suscitavit ac si proditorie ac per summum scelus interfecisset. Sic pleno concilio, uno ore, nemine contradicente, damnant ut moriatur: *Expedit ut moriatur,* ne respublica pereat.

Nec tantum caeca est corruptoque iudicio humana prudentia, in hoc maxime differens a divina providentia, cuius iudicium rectissimum semper et optimum est, verum etiam perverso ac praepostero iudicio est. Nam praefert mundum Deo, timet Romanos et non timet Deum omnipotentem; praefert temporalia aeternis, corporalia spiritualibus, vitia ipsa virtutibus. Sed quam similis est prudentiae satanae, quae divinae sapientiae per diametrum opposita est. Divina enim sapientia non solum ex bonis elicit, sed etiam ex malis ipsis bona, sicut ex tenebris lucem eduxit, ex peccatis poenitentiam; sic mala convertit in bona. Satanica autem prudentia non solum ex malis elicit mala, sicut mala arbor malos fructus facit, verum etiam ex bonis mala, sic enim invidia diaboli mors intravit in mundum.[63] Invidia autem oritur ex bono alterius, sic ex bonis divitiis luxuriam, gulam, sic lucem convertit in tenebras. Similiter hodie humana prudentia in hoc concilio ex bonis trahit malum, sicut pessimi sophistae ex veris praemissis falsas conclusiones: *Quia hic homo multa signa facit,*[64] multa beneficia praestat reipublicae, *expedit ut moriatur.* O summam perversitatem! Vere potestas et sapientia cum animo perturbato gladius est in manu furiosi!

similis enim est prudentiae satanae,

Tandem humana prudentia contumax et rebellis divinae providentiae perniciosissima est reipublicae, a fundamentis eam evertit. Divina providentia fundavit et aedificavit Iudaeorum rempublicam, ut luce clarius est in Divinis Litteris; humana autem prudentia eam destruxit et ad nihilum redegit, sicut experientia ipsa manifeste demonstrat. Hoc fuit in causa quod iratus fuit Deus cum populus a Samuele regem petiit, dicens: *Da nobis regem sicut ceterae habent nationes.* Ait nanque Dominus: *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.*[65] Regem petierunt qui eorum rempublicam humana pru-

et ad extrema mala perducit, sicut patet in synagoga

63) Cf. Sap 2, 24. 64) Io 11, 47. 65) 1 Rg 8, 5. 7. Vulg.: *Constitue nobis... sicut et universae,* etc.

dentia moderaretur instar aliorum regnorum; contempserunt divinam providentiam, quae optimos iudices providebat eis ad moderandam eorum rempublicam, et elegerunt humanam prudentiam. Sic mundus impius, qui in maligno totus positus est, [65a] non vult agnoscere divinam providentiam, sed humana regi prudentia, caeca, perversa, perniciosa. Hoc est quod per Ieremiam quaeritur Deus dicens: *Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquae vivae et foderunt sibi cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas.* [66]

In hoc concilio agitur de rationibus Status,

VIII. *Collegerunt pontifices et Pharisaei concilium*, theatrum humanae sapientiae atque prudentiae, sed eius quae non sapit quae Dei sunt. Agitur hic tantum de rationibus status, [67] de causis regnandi. Sunt autem huiusmodi rationes veluti faces et lanternae, quas accenderunt Iudaei ad comprehendendum Christum. Concilium hoc hodiernum videtur esse hominum illorum, quos Isaias caecos et induratos corde dixit. Nam cum Isaias vidisset gloriam Dei supra templum, ait quod domus tota contremuit fumoque repleta fuit ac tunc omnis terra repleta fuit gloria Domini. [68] Concilium hoc templum est tremens hodie et fumo repletum, fumo oculos obcaecante. Hinc missus fuit Propheta labiis purgatus, ut Iudaeos caecos, surdos et corde induratos redderet, idest praenunciaret. [69] Hinc Ioannes ait, 12 capite, quod Iudaeorum primores non poterant credere, quia Isaias ait: *Excaeca cor populi huius,* [70] hoc est, quia caeci erant et obdurati corde, sicut Isaias praedixit; propheta enim [71] ea quae futura praedicit non cogit ut fiant, sicut nec visus cogit ita esse quae videt. Prophetae autem *videntes* dicebantur, [72] ita videbant futura sicut nos praesentia.

quae excaecant mentes et obdurant corda principum,

Ostenditur autem in hoc Evangelio quid sit obcaecari et quid indurari, nam obcaecari est fidem amittere et errores concipere, sicut Iudaei conceperant: *Si dimittimus*, etc.; obdurari autem corde est pravis affectibus vitiisque habere cor occupatum, superbia, ambitione, invidia, avaritia, quae hic manifesta sunt.

sicut hodie ostenditur.

65a) Cf. 1 Io 5, 19. 66) 2, 13. 67) Cf. supra Feria Secunda infra Hebdomadam Passionis, not. 21, pag. 487. 68) Cf. 6, 1-4. 69) Cf. ibid. vrr. 9-10. 70) Cf. 12, 39-40. 71) Ms.: *Prophetia nam.* 72) Cf. 1 Rg 9, 19; 2 Rg 15, 27; 4 Rg 17, 13; Is 30, 10, et alibi.

II. ALIA HOMILIA [1]

Collegerunt pontifices et Pharisaei concilium. [2]

Concilium istud magnum fuit historia, mysterio et conclusione.

I. Magnum revera concilium hoc quoad consultatores, quoad consultationem et quoad finem consultationis, idest determinationem et conclusionem concilii; sed magnum historia, magnum etiam mysterio quoad haec tria. Magnum quoad consultatores ratione dignitatis, auctoritatis et prudentiae ac sapientiae in agibilibus mundi; magnum quoad consultationem ratione negotii, quod summum videbatur, agebatur enim de salute totius reipublicae: *Venient Romani et tollent nostrum locum et gentem;* [3] tandem magnum quoad conclusionem: *Expedit vobis ut unus moriatur pro populo.* [4] Sed quoad historiam, in consultatoribus magna quidem est auctoritas, in consultatione magna prudentia secundum carnem, in conclusione magna perversio iudicii et iustitiae magnus error, unde totius reipublicae irreparabilis ruina, navim enim impegerunt in scopulum et miserabile passa est naufragium.

Stulte ex hoc concilio arguunt novatores Concilia generalia Ecclesiae errare posse.

Ex errore huius concilii arguunt Lutherani et Calviniani posse errare generalia Concilia, nec standum esse decretis et determinationibus generalium Conciliorum. [5] Sed si errare potest generale Concilium, iure in Christi nomine celebratum, ergo errare poterit tota Ecclesia; non ergo erit, ut Paulus ait, *columna et firmamentum veritatis;* [6] errare poterit Spiritus Sanctus, qui praesidet Conciliis generalibus, ut patet in primo concilio: *Visum est Spiritui Sancto et nobis;* [7] errare poterit Christus, qui ait: Ubicumque fuerint *duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum;* [8] hoc autem dixit cum de auctoritate Ecclesiae ageret. [9] Sed quid dicent quod, cum hodiernum concilium imago esset generalis concilii in Ecclesia, sicut synagoga imago erat Ecclesiae et principatus synagogae imago ecclesiastici principatus, non tamen permisit Deus errare concilium

1) Atramento clariori et stylo latiori exarata. 2) Io 11, 47. 3) Ibid. vr. 46. 4) Ibid. vr. 50. 5) Cf. S. Bellarminus op. cit. t. 2, *De Conciliorum auctoritate*, lib. 2, cp. 2, col. 49; cp. 8, col. 59; S. Laurentius a Br. *Hypotyposis*, part. 2, pag. 268. 6) 1 Tim 3, 15. 7) Act 15, 28. 8) Mt 18, 20. 9) Cf. ibid. vrr. 15-17.

hoc in determinatione? Nam ait: *Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit.* [10] Non permisit Deus errare principem synagogae in concilio, quia princeps erat et pontifex.

Cernitur in concilio isto gloria Christi et caecitas Iudaeorum,

II. *Collegerunt pontifices*, etc. Hodiernum concilium est sicut fornax Babylonis, in qua visus fuit Filius Dei: [11] hic ardet ambitio et avaritia; est sicut mare Rubrum, in quo perierunt Aegyptii, salvi facti sunt Hebraei: [12] pereunt hic Iudaei, salvantur christiani: *Ut filios Dei congregaret in unum;* [13] est sicut templum Domini, supra quod vidit Isaias maiestatem Christi, cui Seraphim canebant trisagium, ac tunc commota fuerunt superliminaria domus a voce clamoris et domus repleta est fumo. [14] Haec enim videmus hodie: plena erat universa Iudaea gloria Christi ex fama resurrectionis Lazari, [15] hinc timent pontifices, hinc domus repleta est fumo, quo excaecantur videntium oculi. Caecitas Iudaeorum manifesta est in hoc concilio eorumque vanus timor et tremor.

elucet etiam ineffabile Dei consilium et depravatum ingenium humanum,

Hodiernum concilium est veluti theatrum ingeniorum, sed cum hominum tum etiam Dei, nam hic elucet magnum et ineffabile Dei consilium, sed ita tamen quod humanum ingenium, vitiis depravatum, ex bonis etiam mala eruat, sicut hodie Iudaei: *Quid facimus quia hic homo multa signa*, idest miracula, *facit?* [16] populo magna beneficia praestat? *Expedit ut moriatur.* Divinum autem ingenium etiam ex malis eruit bona, ex pessimo Iudaeorum facinore mundi salutem.

unde qua humanum pessimum est, qua divinum optimum.

Duo sunt concilia in hodierno Evangelio: humanum et divinum. Humanum est instar hominis corpore pulcherrimi, sed animo turpissimi, ut fuit Absalom; [17] divinum autem instar hominis corpore quidem deformis, sed animo optimo praediti, qualem antiqui designabant per Silenum, [18] qualis illis fuit Socrates, [19] nobis autem Elias, [20] Ioannes Baptista. [21] Nam specie quidem humanum concilium

10) Io 11, 51. 11) Cf. Dn 3, 91-92. 12) Cf. Ex 14, 23 sqq. 13) Io 11, 52. 14) Cf. Is 5, 1-4. 15) Cf. Io 11, 41-46. 16) Ibid. vr. 47. 17) Cf. 2 Rg 13, 27-29; 14, 25. 18) Iuxta fabulam Bacchi nutritius et paedagogus, semper asino uti solitus semperque ebrius et petulanter ludens. Cf. Ovidius *De Arte Am.*, lib. 1, vrr. 543-544; Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 5, cp. 8, pag. 391-392. 19) In *Theaeteto* Platonis pingitur «simo naso et prominentibus oculis». Pag. 80. 20) Cf. 4 Rg 1, 7-8. 21) Cf. Mc 1, 6.

splendidum erat in oculis hominum, in oculis autem Dei intrinsecus turpissimum propter vitia eorum; divinum autem concilium, cum lateat in humano pessimo, optimum est.

Sicut [22] hinc scimus quemlibet hominem esse ad imaginem Dei, quoniam primus homo ita conditus est, [23] alioquin ex Divinis Scripturis probari non posset, ita inde scimus omne concilium rite celebratum in Christi nomine, cum Spiritus Sancti assistentia divinaque auctoritate firmatum esse et errare non posse, quoniam tale fuisse legimus primum concilium in Ecclesia Christi celebratum: *Visum est Spiritui Sancto et nobis.* Sicut igitur Spiritus Sanctus, qui a Christo Spiritus veritatis dictus est, [24] qui Ecclesiae daturus erat omnem veritatem, [25] errare non potest; ita nec concilium. Appendix

III. ALIA HOMILIA

Collegerunt pontifices et Pharisaei concilium. [1]

I. Habemus in hodierno Evangelio historiam concilii et mysterium. Quoad historiam habemus concilii huius causas et effectus. Et causae quidem bonae videntur, effectus autem pessimi sunt, veluti contra naturam. Accidit ut bona arbor malos fructus suos faciat et pulcherrima mulier ex viro aeque specioso filium concipiat pariatque turpissimum monstrumque supra modum deforme et turpe. Bonum videtur concilium hoc, si causas consideremus, quia legitima auctoritate coactum, a pontificibus, ex viris ecclesiastica dignitate, doctrina et auctoritate praeditis ad iudicandum ferendumque suffragium et consultativum et decisivum, nam collectum fuit magnum synhedrium ex omnibus principibus sacerdotum et senioribus populi scribisque et doctoribus legis. Movit etiam eos legitima et gravissima

Habemus concilii huius causas et effectus:

causae bonae videntur,

22) Stylo valde strictiori. 23) Cf. Gn 1, 26-27; 9, 6. 24) Cf. Io 14, 17; 15, 26; 16, 13. 25) Cf. ibid. 14, 26.

1) Io 11, 47.

sed effectus pessimi sunt,

causa, nempe religionis, de fide veri Messiae. Finis etiam, nempe reipublicae conservatio, bonus fuit. Sed effectus pessimi sunt. Caeca et impia consultatio, caeca item et impia conclusio. Caeca consultatio: *Hic homo multa signa facit*[2] sanando infirmos, illuminando caecos, suscitando mortuos; facit omnia signa, ex quibus cognoscendus est verus Messias. Ex his praemissis haec sequitur conclusio: ergo credamus in eum, cum iam Dei gratia et beneficio iam venerit quem tantopere expectamus, veluti si in consultatione de creando principe diceretur: talis fuit semper utilissimus reipublicae et de eo omnium optime meritus, pro republica multa fecit. Hinc sequitur: ergo honorandus est; nam si quis ex illis praemissis inferret: ergo eiiciendus[3] in exilium est, privandus honoribus, de medio tollendus, pessime concluderet. Ita plane: *Hic homo multa signa facit,* quibus ostendit se verum esse Messiam quem expectamus: ergo credamus in eum. At non ita concludunt, sed: non dimittamus eum ultra progredi, insurgamus contra eum.

nam quia Christus multa signa faciebat contra eum insurgunt,

Hebraei videntes in Aegypto quod Moyses multa signa faciebat, quibus probabat se missum a Deo, crediderunt ei,[4] nihil timentes potentiam Aegyptiorum, nec ita concluserunt: hic homo multa signa facit, ergo erit in causa perditionis nostrae; imo potius: ergo erit in causa salutis nostrae. Christus autem multo maiora quam Moyses edebat miracula, ergo multo maiora bona speranda erant ab eo, quam olim speraverant et secundum suam spem consecuti fuerunt a Moyse. Hi vero non ita concludunt, sed contra: hic facit multa signa, ergo erit in causa perditionis nostrae; confert in nostram rempublicam multa beneficia, ergo insurgendum est contra eum. Quis unquam ita argumentatus est?

timentes reipublicae perditionem,

Sed unde nostis quod, cum faciat multa signa, erit in causa perditionis et ruinae reipublicae? Quia, inquiunt, si pergat, *omnes credent in eum.*[5] Quid mali? Omnes Hebraei in Aegypto crediderunt Moysi propter signa; sed si credent omnes in eum, insurgent contra eum Romani tanquam contra seditiosum et regni usurpatorem. Sed talia signa facit, ut credant in eum omnes, credent etiam Romani; quomodo enim credent omnes, si Romani non credent? At forte di-

2) Ibid. 3) Ms.: *Eiiciendum.* 4) Cf. Ex 4, 29. 5) Io 11, 48.

cunt omnes, idest Iudaei. Bene. Credentes in eum facient eum suum principem, ducem et regem. Bene, ita fecerunt Hebraei in Aegypto cum Moyse. Insurgent in nos Romani. Bene, insurrexerunt etiam in Hebraeos Aegyptii. *Tollent nostrum locum et gentem,*[6] idest penitus rempublicam nostram evertent. Sed non potuere Aegyptii perdere Hebraeos, duce Moyse, imo, salvatis Hebraeis, ipsi periere Aegyptii.[7] Unde ergo certo scitis quod Romani, licet contra vos insurrecturi sunt, quod victuri sint? Nam insurrexerunt Aegyptii potentissimi contra imbelles Hebraeos, nec tamen vicerunt, sed victi sunt, Deo pro Hebraeis pugnante, quoniam Moysen Dei legatum receperant ipsique crediderant. An non creditis Deum potentiorem esse nunc Romanis, sicut olim Aegyptiis? Si ergo hic multis signis probat se missum a Deo esse, sicut Moyses, credendum ei est nihilque timendum. Sicut Moyses divina virtute fretus defendit Hebraeos contra potentiam Aegyptiorum, Samuel contra potentiam Philisthaeorum,[8] sicut Elias dictus est exercitus Israel[9] itemque Eliseus,[10] sic poterit hic quoque, qui talia tantaque miracula facit.

Amplius, quomodo scitis quod, si in eum minime credatis vos, sed de medio tollatis, Romani non sint credituri in eum nec venturi contra vos? Imo omnino contrarium evenit. Nam et Romani, vobis non credentibus, crediderunt, et rempublicam vestram funditus everterunt. Sic caeca omnino est eorum consultatio.

quod, e contra, Romani fecerunt;

Nec tantum caeca, verum etiam impia, ita enim consultant ac si non esset iustitia, non esset ulla divina providentia, non esset omnino Deus. Consultant more politicorum ethnicorum, atheistarum; nam si credebant verum esse Messiam a Deo missum, impium est praeferre temporale regnum fidei et religioni divinae: pereat religio ne pereat regnum. Si vero credebant falsum Messiam, dicendum erat: curandum ne pereat religio et fides verusque Dei cultus. At nihil penitus tale cogitant, sed tantum temporalia, et spiritualia ut temporalibus inservirent accomodabant. Sic caeca et impia fuit Iudaeorum hodierna consultatio.

caeca vero et impia fuit eorum consultatio

6) Ibid. 7) Cf. Ex 14, 1 sqq. 8) Cf. 1 Rg 7, 3 sqq. 9) Cf. 4 Rg 1, 12.
10) Cf. ibid. 13, 14.

Conclusio item concilii huius similiter caeca fuit et iniqua. Iniqua quidem, quoniam lata fuit mortis sententia in innocentem, nullius criminis reum nullo servato iuris ordine, sed summa cum iniuria. cum ipsis etiam constaret Christi innocentia; nullum enim afferunt crimen, sed solum praetexunt publicum bonum. Deinde falsa fuit sententia non enim mors Christi causa fuit salutis, sed perditionis et ruinae irreparabilis totius reipublicae Iudaeorum, ut in praesentiarum cernimus. Sic *stultam fecit Deus sapientiam huius saeculi;*[11] sic arbor haec, quae bona videbatur, malos fecit fructus.

et iniqua etiam conclusio.

II. Videtur concilium hoc hodierni Evangelii veluti theatrum esse humanae et divinae sapientiae, imo vallum quoddam et campus martialis, in quo, veluti in Circo Flaminio,[12] in arenam ad singulare certamen descendunt duae potentissimae veluti Amazonae,[13] divina, inquam, sapientia et humana prudentia, cui divina sapientia et locum concedit et arma certaminis, quod fieri non solet secundum leges monomachiae, sive duelli, ut aiunt. Procedit humana prudentia fortis et armata, sicut gigas Goliath; divina vero prudentia sive sapientia, sicut David inermis et imbellis. Factum tunc certamen illud singulare et mirabile; Goliath pugnabat pro principatu et regno Philisthaeorum, David pro principatu et regno Hebraeorum. Concessit David Goliae locum et arma pro suoipsius libito; elegisse visus fuit Goliath ad consequendam victoriam optima media, arma militaria validissima, optima ad defensionem et offensionem; David vero noluit arma Saulis regia, sed baculum tantum accepit et aliquos lapides ac si contra canem pugnaturus accederet. Illius videbatur certissima victoria, huius autem mors certissima.[14] Sed contra accidit.

In hoc concilio cernitur pugna humanae et divinae prudentiae:

Ita plane in hodierno Evangelio: ingreditur in hunc martialem campum humana prudentia armata nobilitate, dignitate, auctoritate, viribus et omni armorum genere ad propugnandam temporalem reipublicae Iudaeorum felicitatem. Multos habet fautores, eligit arma optima, nihil obstare videbatur, nisi [vita] unius tantum hominis, pauperis de plebe viri. Sed *expedit,* inquit, *ut unus moriatur homo,*

illa decertabat pro temporali reipublicae felicitate,

11) 1 Cor 1, 20. Vulg.: *Huius mundi.* 12) Circus, locus muris septus, in quo equi pugilesque exercebantur. Cf. Forcellini-Perin *Onomasticon,* sub nomine: *Flaminius.* 13) Cf. supra, hom. 1 huius Feriae, not. 59, pag. 548. 14 Cf. 1 Rg 17, 37-52. 15) Io 11, 50.

etc.; [15] hoc sublato, salva res omnis erit. Divina autem sapientia inermis ingreditur, imbellis, sola, absque ullo favore; armis utitur quae ineptissima videri poterant et erant, sicut David; propugnabat gloriam Christi, ut eum ostenderet verum esse Filium Dei verumque Deum summa pietate ab omnibus adorandum, et ad hoc non utitur gloria transfigurationis, non ministerio Angelorum, non maiestate qua venturus est ad iudicandum, sed ignominia mortis crucis. Et tamen quis vincit? Humana prudentia an divina sapientia? Clarum est, res ipsa loquitur.

haec autem pro gloria Christi.

Ad acquirendam felicitatem multis utitur mediis humana prudentia: divitiis, honoribus, voluptatibus, sed frustra; spiritus Dei sapientia, paupertate, humilitate, poenitentia, et his mediis eam consequitur. Magni refert ad consequendum optatum finem optima media invenire, sed in his decipitur humana prudentia, ut patet hodie, non autem divina sapientia, ut hinc etiam manifestum est.

In lucta carnis et spiritus saepe vincit caro.

Collegerunt pontifices, etc. Adfuere in hoc concilio etiam nonnulli occulti disciputi Christi, ut Nicodemus, [16] Ioseph ab Arimathea [17] et forte alii, qui non consenserunt; sed maior pars vicit meliorem. Ita saepe in nobis accidit. Cogitur in corde nostro concilium ad deliberandum de salute nostra, de instituenda vita secundum virtutem. Sed saepe maior pars vincit meliorem. Multae sunt cogitationes, desideria; affectus carnis multos habet fautores: interiores sensus et exteriores, multaque in mundo, quae invitant animum ad vitia. Spiritus non sic, opus habet Divini Spiritus favore.

Expedit [18] *vobis ut unus moriatur homo*, etc. Prudenter sibi consulere videntur rectores synagogae, sicut nautae navis, in qua erat Ionas; comperto quod illius causa orta esset tempestas, decreverunt illum in mare proiicere ne omnes in naufragio perirent. [19] Nec tamen peccarunt illi, quia, agnita Dei voluntate, pie et religiose hoc fecerunt, illo etiam suadente, ad placandam iram Dei. Quod si ita Iudaei

Appendix

16) Cf. ibid. 7, 45 sqq. 17) Cf. Lc 23, 50-51. 18) Atramento clariori et stylo valde latiori. 19) Cf. Ion 1, 10 sqq.

Christi mortem procurassent, pie Christum veluti sacrificantes, sicut Abraham filium suum Isaac,[20] ut Deo morem gereret, non utique peccassent; sed ac si Deus non esset in mundo, nec iustitia aut fides et religio, sed tantum commodum temporale. Sic versant in hoc concilio causam mortis Christi.[21]

20) Cf. Gn 22, 1-10. 21) Reliqua dimidia pagina et altera albis relictis, transit ad Dominicam sequentem.

DOMINICA IN PALMIS

I. In hodierna evangelica historia describitur a Matthaeo gloria mirabilis triumphi Christi Domini nostri.[1] Ubi tria nobis consideranda se offerunt: primo quidem persona triumphantis: *Ecce rex tuus;*[2] secundo vero apparatus et pompa triumphi, ac tertio causa tam mirabilis triumphi tantique honoris hodie Christo exhibiti.

Describitur hodie gloriosus triumphus Christi.

II. Quoad primum, viso hoc spectaculo, *commota est universa civitas dicens: Quis est hic? Populi autem dicebant: Hic est Iesus propheta a Nazareth Galilaeae.*[3] Pueri autem acclamantes dicunt: *Hosanna filio David! Benedictus qui venit in nomine Domini;*[4] *Benedictum quod venit regnum patris nostri David.*[5] Zacharias vero: *Ecce rex tuus venit tibi iustus et salvator, ipse pauper.*[6] Sed: *Quis est iste rez gloriae? Dominus fortis et potens, Dominus potens in praelio; Dominus virtutum,* exercituum, *ipse est rex gloriae;*[7] ille de quo Regius Vates ad Deum: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius.*[8] Rex, sicut ipse ait: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra,*[9] de quo in *Apocalypsi*: *Rex regum et Dominus dominantium;*[10] de quo Angelus: *Regnabit in domo Iacob in aeternum et regni eius non erit finis;*[11] de quo Ieremias: *Regnabit rex et sapiens erit, et faciet*

Consideratur persona triumphantis.

1) Cf. 21, 1-9. 2) Ibid. vr. 5. 3) Ibid. vrr. 10-11. 4) Ibid. vrr. 9. 15. 5) Mc 11, 10. 6) 9, 9. Vulg.: *Veniet.* 7) Ps 23, 8. 8) Ps 8, 6-8. 9) Mt 28, 18. 10) 19, 16. 11) Lc 1, 32-33.

Christus rex acclamatur, quia vere rex maximus est.

iudicium et iustitiam in terra;[12] de quo tandem Isaias: *Factus est principatus super humerum eius et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis;*[13] Rex cui, ut Daniel ait, dedit Deus omnia regna mundi.[14] Rex non factus, sed natus: *Ubi est qui natus est rex Iudaeorum?*[15] Rex cuius veluti imagines extitere Adam in paradiso,[16] Melchisedech in Salem,[17] Ioseph in Aegypto,[18] Moyses in deserto, Iosue in terra promissionis, David, Salomon; non per successionem et substitutionem, ut Iosue qui Moysi successit,[19] sed per naturam, ut homo rex animalium, sol rex stellarum. Sicut natura caelum maius est et clarius terra, ita Christus maior est omni creatura. Rex optimus, rex fortior Samsone,[20] potentior Davide,[21] sapientior, ditior, fortunatior Salomone.[22] Rex vere ter maximus, iustus, salvator, pauper, amator non pecuniarum sed popularium suorum.

sed supra modum amabilis,

In rege tria vel maxime desiderantur: potentia, virtus et fortuna; sed humanitas supra modum principem reddit amabilem. A rege tria expectantur: iustitia, pax et abundantia; sed quod omnes maxime expetunt, regis gratia et benevolentia est.

absolutus, quia nemini subiectus,

Ecce rex tuus, pius, non tyrannus, inhumanus, crudelis, sanguinarius, truculentus, ut princeps mundi huius, cuius imagines extitere Nembrod venator,[23] Pharao,[24] Sennacherib,[25] Herodes;[26] rex unicus, princeps, monarcha absolutus, nemini subiectus; rex universae creaturae, vitae et mortis; Dominus, qui *ventis et mari imperat et obediunt ei;*[27] qui febribus imperat[28] et morti ipsi.[29]

gloriosissimus,

Ecce rex tuus venit tibi. Rex gloriosissimus, sicut in transfiguratione apparuit;[30] rex infinitae maiestatis: *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua et omnes Angeli* eius *cum eo.*[31] Rex omnipotentissimus, ut infinita ipsius miracula testantur, miracula enim opera sunt omnipotentiae. Rex ditissimus: *Domini est terra et plenitudo eius;*[32] *Tui sunt caeli et tua est terra.*[33]

12) 23, 5. 13) 9, 6. 14) Cf. 2, 44. 15) Mt 2, 2. 16) Cf. Gn 2, 15. 17) Cf. ibid. 14, 18. 18) Cf. ibid. 41, 37 sqq. 19) Cf. Ex 34, 9. 20) Cf. Idc 16, 24-30. 21) Cf. 1 Rg 17. 34-50. 22) Cf. 3 Rg 3, 5-13; 2 Par 1, 7-12. 23) Cf. Gn 10, 8-10. 24) Cf. Ex 1, 8 sqq.; 5, 5 sqq. 25) Cf. 4 Rg 18, 13, sqq. 26) Cf. Mt 2, 16-18. 27) Lc 8, 25. 28) Cf. ibid. 4, 38-39. 29) Cf. Mc 5, 39-42; Lc 7, 11-15; Io 11, 38-44. 30) Cf. Mt 17, 1-5; Mc 9, 1-3; Lc 9, 28-35. 31) Mt 25, 31. 32) Ps 23, 1. 33) Ps 88, 12.

Sed quomodo dicitur pauper: *Ipse pauper*? Quoniam cum suapte natura rex iste sit infinita potentia, sapientia et bonitate praeditus, ut in mysteriis arcae testamenti praefigurabatur,[34] terrenis divitiis non egebat. In mundi initio Deus hominem constituit principem ditissimum et pauperrimum; ditissimum quidem: *Dominetur piscibus maris,* etc.;[35] pauperrimum vero, quia nudum in paradiso collocavit,[36] non egebat ibi terrenis divitiis, quae principibus indicia sunt non potentiae, sed infirmitatis, veluti multae vestes homini, baculus, conspicilia, infirmitatis indicia sunt. Thesauri et aeraria regibus necessaria sunt, maxime propter bella gerenda; sed rex iste ad bella gerenda non opus habet copiis peditum aut equitum, solus pugnat, sicut Samson contra Philisthaeos, sicut sol contra tenebras. Regibus necessariae sunt divitiae ad sustentandam familiam, civitatem, rempublicam, maxime tempore caritatis et famis; sed rex iste absque commeatu sustentavit numerosissimum exercitum Hebraeorum quadraginta annis in deserto,[37] cibavit turbas famelicas miraculo,[38] sustentat universum mundum providentia sua, sicut eum creavit ex nihilo. Sunt regibus tandem divitiae necessariae ad ditandos bonisque cumulandos servos fideles amicosque suos; sed rex iste electos suos beatificat aeterna vita perpetuaque felicitate et gloria in paradiso, sicut sol stellas in caelo: *Fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum.*[39]

et tamen pauperrimus bonis terrenis, quia non indigebat,

Ipse enim mundum sustentat providentia sua.

III. Rex iste hodie tribus honestissimis titulis decoratur: *Ecce rex tuus venit tibi iustus et salvator, ipse pauper.* Tituli principum et regum hodie sunt ab his valde diversi natura. Dicuntur serenissimi, altissimi, potentissimi, invictissimi triumphatores, semper augusti; honestantur titulo altitudinis, serenitatis, maiestatis; non sic Christus. Sicut etiam stemmata et insignia gentilitia principum diversa sunt a stemmate Christi. Nam regum insignia sunt aquilae, leones, ursi, tigrides, dracones; Christi autem stemma agnus est: *Ecce Agnus Dei,*[40] sed Agnus cum septem oculis et septem cornibus,

Tribus decoratur titulis rex iste hodie, appellatur enim iustus,

34) Idest in virga, in tabulis legis et in vase mannae. 35) Gn 1, 26. Vulg.: *Praesit piscibus,* etc. 36) Cf. ibid. 3, 7. 37) Cf. Ex 16, 35. 38) Cf. Mt 14, 15-21; Mc 6, 35-44; Lc 9, 12-17; Io 6, 5-13. 39) Mt 13, 43. Vulg.: *Iusti fulgebunt,* etc. 40) Io 1, 29. 36.

ut in *Apocalypsi legimus.*[41] Hic noster rex a mundanis regibus differentissimus est, quoniam ait: *Regnum meum non est de hoc mundo;*[42] rex caeli, rex paradisi est, rex non fortuna ut reges mundi, sed natura ut Deus. Gloria regum mundanorum tota extrinsecus est a fortuna, nam natura aequales aliis hominibus sunt; Christi autem maiestas interna est, non externa; hinc *iustus et pauper* dicitur. Regius Vates in *Psalmo liliorum* regem hunc nostrum, cum a multis commendasset, nempe a pulcritudine: *Speciosus forma;* ab eloquentia: *Diffusa est gratia in labiis tuis;* a fortuna: *Benedixit te Deus in aeternum;* a potentia: *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime;* singulariter tamen a iustitia et virtutibus animi eum laudat: *Propter veritatem et mansuetudinem et iustitiam deducet te mirabiliter dextera tua;* itemque: *Virga directionis,* idest rectitudinis, *virga regni tui. Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae prae consortibus tuis.*[43]

imo auctor iustitiae, salutis, gratiae et gloriae,

Nec tantum *iustus* dictus est rex noster iste, verum etiam rex iustitiae et *Sol iustitiae;*[44] hinc dictus est postea salvator, sicut Melchisedech *rex iustitiae* et *rex pacis.*[45] Duo enim haec, iustitia et pax, in Divinis Litteris saepe coniunguntur: *Iustitia et pax osculatae sunt;*[46] *Orietur in diebus eius iustitia et abundantia pacis;*[47] *Suscipiant montes pacem populo et colles iustitiam,*[48] nam, ut Isaias ait: *Erit opus iustitiae pax.*[49] Sic proponitur rex iste nobis auctor iustitiae et salutis, gratiae et gloriae, nam: *Gratiam et gloriam dabit Dominus.*[50]

et pauper.

Haec autem duo meruit nobis Christus paupertate, humilitate, mansuetudine sua; hinc tertio loco *pauper* dicitur, sic: *Gratia et veritas per Iesum Christum facta est,*[51] veritas promissionum divinarum, et ipse Christus plenus erat gratia et veritate, idest gloria, nam: *Vidimus gloriam eius gloriam quasi unigeniti a Patre.*[52] Quare in primo titulo regis nostri designatur divina sanctitas, in secundo felicitas, in tertio caritas: *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei;*[53] itemque: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri.*[54]

41) Cf. 5, 6. 42) Io 18, 36. 43) Ps 44, 3-4. 7-8. 44) Mal 4, 2. 45) Hebr 7, 2. 46) Ps 84, 11. 47) Ps 71, 7. 48) Ibid. vr. 3. 49) 32, 17. 50) Ps 83, 12. 51) Io 1, 17. 52) Ibid. vr. 14. 53) Tit 3, 4. Vulg.: *Benignitas et humanitas apparuit,* etc. 54) Ibid. 2, 11.

IV. Quod autem spectat ad apparatum et pompam triumphi, constat[54a] triumphus hic Christi simplicissimo apparatu, humillima pompa. Loco enim currus triumphalis aut regii equi, in hoc triumpho est humilis asellus; phalerarum auro et gemmis splendentium loco, pallia Apostolorum; loco principum et procerum regem comitantium atque stipantium, humiles piscatores, circumambulones duo discipuli. Apparatus, plurima turba vestimenta sua prosternebant in terra; loco exercituum armatorum, populi qui praecedebant et sequebantur, gestantes palmas et ramos olivarum; loco regalis palatii, templum Domini.[55] Acclamationes populi tantummodo plusquam triumphales fuerunt: *Hosanna filio David! Benedictus qui venit in nomine Domini.*

Describitur apparatus huius triumphi,

Sic fuit triumphus hic Christi differentissimus a triumphis mundanorum regum, sicut Christus semper a mundo differre latissimo discrimine voluit. Hinc non triumphali curru tracto a cervis aut leonibus sive elephantibus vehitur aut superbo Caesaris equo, habente anteriores pedes humanis similes,[56] aut Alexandri Bucephalo.[57] Non ostendit signa laetitiae, sed moestitiae: *Videns civitatem flevit.*[58] Non procedit sub conopeo aut umbella, sive, ut dicunt, baldachino regio, sed sub pedibus sterni pallia voluit, ut non terram sed caelum videret. Ingreditur cum triumpho in civitatem inimicorum suorum; in palatio suo in die triumphi largitur munera in signum clementiae, sed prius severitatis opera exercet eiiciens de templo mercatores; postea largitur munera claudis et caecis.[59]

qui differentissimus fuit a triumphis mundanorum regum,

Ad eum excipiendum in civitatem non pergunt obviam ei principes et proceres, ut moris est, sed tantum populares et pueri civitatis, quoniam triumphus hic Christi opus fuit Dei non mundi; etiam tamen multo gloriosior Christus super asellum, quam Caesar aut Alexander in superbissimo equo aut curru. Nam hic Christus adoratur ut verus Deus, ideo ad templum pergit: *Veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis et Angelus testamenti, quem vos vultis.*[60] Deus autem Angelos inequitare dicitur;[61] tanta est

nam asellum equitans, adoratur ut verus Deus.

54a) Ms.: *Autem* iterum ponitur. 55) Cf. Mt 21, 8; Mc 11, 8-9. 56) Cf. Plinius *Hist. Nat.*, lib. 8, cp. 42, pag. 143. 57) Cf. A. Gellius *Noctes Atticae*, lib. 5, cp. 2, pag. 131. 58) Lc 19, 41. 59) Cf. Mt 21, 12-14. 60) Mal 3, 1. 61) Cf. Ps 17 (hebr. 18), 11; Ps 79 (hebr. 80), 2; Ps 98 (hebr. 99), 1; Is 37, 16,

autem Dei maiestas, ut eius comparatione Angeli vix humile sint iumentum. Solus Christus hodie equitat, quia ipse solus regni Dei princeps et monarcha.

Causa huius triumphi fuit suscitatio Lazari.

Quod spectat ad causam huius triumphi, Ioannes ait causam fuisse Lazari suscitationem: *Propterea,* inquit, *obviam venit ei turba, quia audierunt eum fecisse hoc signum.* [62] Est igitur triumphus devictae et superatae mortis, hinc dicitur rex salvator. Sed cum mors peccatum sequatur, sicut umbra corpus, non potest destrui mors, nisi etiam corpus peccati destruatur, quod causa est mortis, nec peccatum, nisi satana devicto et inferno etiam superato. Est etiam triumphus devicti mundi: *Confidite, ego vici mundum;* [63] *Haec est victoria quae vincit mundum, fides nostra;* [64] *Ecce mundus totus post ipsum vadit.* [65]

Hodiernus triumphus continet etiam multa mysteria.

V. Hodiernus hic Christi triumphus mysterio vacare non potest. Videns Samuel pallium a Saule scissum ait: *Scidit Dominus regnum Israel a te.* [66] Ahias propheta scidit pallium suum in duodecim partes et dedit decem partes Ieroboamo, eo quod Dominus daturus erat illi decem tribus regni Israel. [67] Eliseus voluit ut rex Israel sagittam iaceret contra Syriam et baculo terram percuteret, quoniam percussurus erat regnum Syriae. [68] Patriarcha Iacob posuit manum dexteram super Ephraim, qui erat ad sinistram, et manum sinistram super Manasse, qui erat ad dexteram, quoniam ille futurus erat multo potentior. [69] Sic in Sacris Litteris multa mysteria legimus. Hodiernus itaque Christi triumphus, praeter historiam, multa mysteria continet allegoriae, tropologiae, anagogiae. Nam per anagogiam quidem designat triumphalem Christi ingressum in caelestem Ierusalem post passionem et resurrectionem suam; per allegoriam vero adventus ipsius in mundum et ingressus in regnum Sanctae Ecclesiae: *Dabit illi Dominus sedem David;* [70] *Ecce rex tuus,* nam sicut paradisus in caelo, ita etiam Ecclesia in terra regnum Christi est; per tropologiam tandem ingressus Christi in animam nostram per fidem et caritatem. [71]

62) 12, 18. 63) Ibid. 16, 33. 64) 1 Io 5, 4. 65) Io 12, 19. Vulg.: *Abiit.* 66) 1 Rg 15, 28. 67) Cf. 3 Rg 11, 30-31. 68) Cf. 4 Rg 13, 14-19. 69) Cf. Gn 48, 8-20. 70) Lc 1, 32. 71) Aliquae lineae albae relinquuntur et pergit ad alteram paginam.

II. ALIA HOMILIA

Ecce rex tuus venit tibi. [1]

Hodie Christus ostenditur rex

I. In triumphali Christi ingressu hodie in Ierusalem ostenduntur principaliter duo mysteria, veluti duo magna luminaria in caelo [2] ac duae arbores in paradiso; [3] alterum quidem est quod ostenditur quidnam sit Christus; alterum vero quidnam sit Ecclesia Christi, quinam veri christiani. De Christo ostenditur quod sit rex: *Hosanna filio David! Benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel;* [4] *Ecce rex tuus venit;* rex vero praefiguratus in David, propterea dicitur filius David, et prophetatus a Zacharia: *Ecce rex tuus.* [5] O quot figurae et quot vaticinia in Divinis Litteris huius regis extant!

et mortis triumphator

Nec tantum rex, verum triumphans ingreditur regiam civitatem, totius regni caput, Ierusalem, cum pompa triumphali ob devictam et superatam mortem, quia Lazarum suscitavit a monumento. [6] Mors triumphatrix est regum omnium; Christus autem triumphator mortis, ideo *Rex regum et Dominus dominantium.* [7]

undequaque mirabilis,

Nec solum rex triumphator, sed mirabilis: *Cum intrasset Ierosolymam, commota est universa civitas dicens*: *Quis est hic?* [8] Christus rex mirabilis hominibus: *Porro homines mirati sunt dicentes*: *Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei?* [9] postquam Dominus *imperavit ventis et mari et facta fuit tranquillitas magna.* [10] Mirabilis etiam Angelis: *Quis est iste rex gloriae?* iterum replicant: *Quis est iste rex gloriae?* [11] quoniam, ut Ioannes ait, rex iste, qui *Rex regum est et Dominus dominantium*, habet *nomen quod nemo novit, nisi ipse,* vocatur nanque *Verbum Dei,* [12] Verbum incomprehensibile et ineffabile.

Nec tantum rex mirabilis, verum etiam monarcha habens utrumque gladium, omnem iurisdictionem temporalem et spiritualem, Do-

1) Mt 21, 5. 2) Cf. Gn 1, 16. 3) Cf. ibid. 2, 9. 4) Mt 21, 9. 5) 9, 9. 6) Cf. Io 12, 17-18. 7) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 8) Mt 21, 10. 9) Ibid. 8, 27. 10) Ibid. vr. 26. Vulg.: *Facta est.* 11) Ps 23, 8. 10. 12) Apc 19, 12-13.

monarcha cum plena iurisdictione.

minus civitatis et Ecclesiae, rex et sacerdos, sicut Melchisedech,[13] sicut Moyses.[14] Hinc hodie non solum in civitatem ingressus fuit, sed etiam venit in templum ibique exercuit potestatem suam eiiciens inde vendentes et ementes, qui domum profanarant et in speluncam latronum converterant.[15] Sic Christus ostenditur monarcha, Dominus absolutus spiritualis et temporalis iurisdictionis.

Rex vere Optimus Maximus, sicut Deus, Christus ostenditur;

II. Ut autem multa paucis comprehendam, ostenditur Christus rex Optimus Maximus, sicut Deus Optimus Maximus princeps est totius universi. Ostenditur, inquam, primo quidem rex verus, Dominus naturalis; deinde rex maximus, rex optimus: *Benedictus qui venit rex*[16] Israel; *Ecce rex tuus*, rex verus, non tyrannus, non usurpator regni per vim et metum, sicut satanas *princeps mundi huius* dicitur,[17] sed tyrannus est.

appellatur absolute Dominus, quia Rex Maximus,

Sicut Adam legitimus rex fuit et mundi totius princeps: *Dominetur universae terrae*,[18] Christus non tantum sicut Adam, sed sicut Deus dominus est universae creaturae: *Gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subiecisti sub pedibus eius.*[19] Hinc hodie *Dominus* appellatus est absolute: *Dicite quia Dominus his opus habet;*[20] non dicitur dominus huius aut illius rei, sed absolute *Dominus*, quoniam rex est et dominus verus caeli et terrae: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra.*[21] Hinc vere rex magnus, habens *in capite suo diademata multa*,[22] tanquam rex multorum regnorum: *Rex regum et Dominus dominantium; Ut in nomine Iesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum;*[23] rex maximus: *Dominus exercituum*, quem sequuntur omnes caelestes exercitus; rex maximus, qui solo imperio soloque iussu, imo nutu voluntatis omnia potest, hinc de ore huius regis gladius egreditur *ex utraque parte acutus*,[24] qui solo verbo potest omnes hostes suos prostrare, sicut solo verbo et iussu potuit universa creare. Verus rex maximus, maxima basis totius universi: *Factus est principatus super humerum eius.*[25] Non ipse susten-

qui solo verbo omnia creat et sustentat,

13) Cf. Gn 14, 18. 14) Cui postea, ex praecepto Dei, Aaron sacerdos suffectus fuit. Cf. Ex 28, 1. 15) Cf. Mt 21, 12-13; Mc 11, 15; Lc 19, 45-46. 16) Lc 19, 38. 17) Io 12, 31; 14, 30; 16, 11. 18) Gn 1, 26. Vulg.: *Praesit.* 19) Ps 8, 6-8. 20) Mt 21, 3. 21) Ibid. 28, 18. 22) Apc 19, 12. 23) Phil 2, 10. 24) Apc 1, 16; 19, 15. 25) Is 9, 6.

tatur a regno, sed ipse regnum universum sustentat, sicut radix universam arborem, sicut sol rex dicitur, regnum autem ipsius dies, lux; ipse universum regnum suum sustentat, nihil a regno accipit, dat regno quidquid habet boni. Sic Paulus de Christo ait: *Qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius, portans omnia verbo virtutis suae,*[26] non sicut de Atlante fabulati sunt poetae, quod caelum universum sustentat,[27] sed sicut de Deo vere dixerunt Aegyptii, quod caelum terramque sustentat,[28] et Isaias ait quod tribus digitis sustentat universum orbem.[29] Rex maximus est, quoniam rex omnipotens, infinitae potentiae, sicut verus Deus.

Sed etiam rex optimus: *Ecce rex tuus venit tibi iustus;* rex maxime beneficus: *Iustus et salvator;*[30] rex mitissimus sicut Moyses:[31] *Rex tuus venit tibi mansuetus,* sic enim interpretatur Evangelista[32] illud Prophetae: *Ipse pauper.* Non est rex superbus, inexorabilis, inaccessibilis: *Venit tibi mansuetus*: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde;*[33] hinc iumentum maxime humile et mansuetum elegit hodie, non superbum et bellacem equum, non aureum currum gemmis ornatum ad decorandam pompam triumphi, sed asinum humilem et maxime mansuetum. Rex pius, dulcis corde, hinc hodie *videns civitatem flevit super eam*[34] praevidens ruinam ipsius extremam et irreparabilem incredulitatis et perfidiae causa. Tandem rex optimus, quia *rex tuus,* quia *venit tibi,* non sibi. Nihil enim sibi adventu in hunc mundum acquisivit rex noster iste, sed omnia nobis; arbor est optima, aliis, non sibi, fructificans; sol mundum illuminans et calefaciens, non seipsum, perpetuo nanque motu in caelo sol nihil sibi acquirit, omnia nobis; sic rex noster iste de caelo venit, nobis inde attulit omne genus bonorum; mundana bona ex alto contempsit, hinc pauper et humilis mundoque valde ignobilis esse voluit.

et Optimus, quia beneficentissimus et humillimus

Nec tantum nullis mundi huius frui bonis, sed nostri causa multa extremaque pati mala voluit. In signum autem infinitae erga nos caritatis non solum patienter propter nos aequoque ac forti animo multa maximaque perpessus est incommoda, sed laeto et exul-

et maxima quaeque incommoda pro nobis pertulit.

26) Hebr 1, 3. 27) Cf. Hyginus *Fabulae*, fab. 150, pag. 35; Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 4, cp. 7, pag. 282; Ovidius *Fast.*, lib. 5, vr. 189. 28) Cf. Pierius Valerianus *Hieroglyphica*, lib. 1, pag. 620-622. 29) Cf. 40, 12. 30) Zach 9, 9. 31) Cf. Nm 12, 3. 32) Mt 21, 5. 33) Ibid. 11, 29. 34) Lc 19, 41.

tanti animo. Hinc hodie laetus et festivus, veluti ad nuptias invitatus, ad laetissimas epulas, pergit ad passionem et mortem, ut seipsum tradat in manus inimicorum suorum flagellandum, conspuendum, crucifigendum nostri causa, pro salute totius generis humani. Exaltandus serpens erat in ligno,[35] occidendus paschalis agnus,[36] moriturus ipse ne sui perirent: *Ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.*[37] Sic Christus rex optimus et maximus, quoniam verus Deus, qui ut homo rex visus est Patriarchis atque Prophetis.[38]

Ostenditur in turba fideli quid sit Ecclesia Christi;

III. Quid autem sit etiam Ecclesia Christi luculenter ostenditur in turba fideli, quae Christum comitabatur in hac pompa triumphali, quae Christum verum Messiam agnoscebat et confitebatur: *Hic est Iesus propheta a Nazareth Galilaeae;*[39] *Benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel;*[40] nam *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*[41] Nec tantum comitabantur Christum laudantes, verum etiam gestantes in manibus palmas et ramos olivarum, vestimenta etiam prosternentes in via in honorem Christi.[42] Christiani sunt qui Christum cognoscunt per fidem et confitentur, qui fidem habent et opera, qui Christo praestant pro sua virili quaecumque possunt obsequia. Opera autem christianorum tria singularia sunt: oratio, eleemosyna et ieiunium, mortificatio carnis cum victoria vitiorum, nam *qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.*[43] Sic hi cum Christo in veram civitatem Ierusalem, veram pacis visionem, caelestem Ierusalem ingrediuntur, facti participes gloriae et triumphi Christi.

et in asino ab Apostolis soluto quid sit homo peccator.

Ostenditur etiam in hodierno Evangelio quid sit homo peccator in asino ligato, ad quem solvendum Christus duos Apostolos misit. Asinus rudis factus est omnis homo peccati causa: *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est,* etc.;[44] sed sub satanae

35) Cf. Nm 21, 9; Io 3, 14. 36) Cf. Ex 12, 3-13. 37) Io 11, 52. 38) Hoc sentiunt plerique SS. Patres: S. Clemens *Constitut.*, lib. 5, cp. 20, (P. G. 1, 895-899); S. Irenaeus *Contra Haereses*, lib. 4, cp. 20, ibid. 7, 1036-1041; S. Athanasius *De Communi Essentia*, ibid. 28, 42-43; S. Basilius *Contra Eunomium*, lib. 5, ibid. 29, 722-723; S. Cyrillus Alex. *In Ioannem*, lib. 8 ibid. 74, 98; Tertullianus *Adversus Praxeam*, cp. 14, (P. L. 2, 170-172); S. Ambrosius *Super Lucam*. lib. 1, ibid. 15, 1543-1544; *De Spiritu Sancto*, lib. 3, cp. 22, ibid. 10, 814; S. Augustinus *De Trinitate*, lib. 2, cp. 10 sqq., ibid. 42, 855-866. 39) Mt 21, 11. 40) Io 12, 13. 41) Rom 10, 10. 42) Cf. Mt 21, 8; Mc 11, 8. 43) Gal 5, 24. 44) Ps 48, 13. 21.

potestate ligatus est, non fruitur naturali sua libertate. Affectus inordinati et passiones vitiaque animi vincula sunt tenacissima, quibus Philisthaei Samsonem ligabant.[45] Ad hunc autem asinum solvendum duos misit Dominus Apostolos,[46] sicut olim Moysen et Aaron. Opus est ministro verbi et ministro Sacramenti. Ab his solutus et adductus asinus, fit Christi iumentum ornatum Apostolorum vestibus: *Empti estis pretio magno, glorificate et portate Deum in corpore vestro.*[47] Sic asinus Christum vehens cum Christo ingressus est in Ierusalem. Corpus etiam et sensus noster particeps erit gloriae Dei in caelo.

Triplici de causa Christus mundo attulit laetitiam: quia iustus,

IV. *Exulta satis filia Sion.*[48] Ostendit Divinus Vates adventum Christi in mundum causam esse magnae supra modum laetitiae triplici de causa: quia *iustus*, quia *salvator*, quia *pauper*. Quia *iustus*, idest omnino sanctus, imo iustificator et sanctificator, *Sol iustitiae*, auctor gratiae: *Gratia et veritas per Iesum Christum facta est;*[49] auctor pacis et reconciliationis cum Deo, optimus sequester et mediator inter Deum et hominem. Gratia autem Dei radix est bonorum omnium, sicut peccatum origo omnium malorum quae in mundo sunt. Christus iustus dicitur sicut Adam peccator. Sicut enim peccatum Adami transivit in omnes suos posteros, ita et gratia Christi, ut Paulus ait.[50]

quia salvator,

Altera vero causa, quia *salvator*, quia rex semper victor et triumphator, quia destructor mortis et auctor vitae. Victoria de hostibus reportata semper magnae est in causa laetitiae. Hinc Isaias ait: *Laetabuntur coram te, sicut qui laetantur in messe, sicut exultant victores capta praeda, quando dividunt spolia... sicut in die Madian.*[51] Hinc Regius Vates: *Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis.* Qua de causa? *Quoniam Dominus excelsus, terribilis, rex magnus super omnem terram; subiecit populos nobis et gentes sub pedibus nostris.*[52] Demerso Pharaone cum exercitu suo in mari Rubro, supra quam dici potest laetatus fuit populus Dei et in Domino exultavit.[53]

45) Cf. Idc 16, 9-12. 46) Cf. Mt 21, 1-2; Mc 11, 1-2; Lc 19, 29-30. 47) 1 Cor 6, 20.
48) Zach 9, 9. 49) Io 1, 17. 50) Cf. Rom 5, 18-19. 51) 9, 3-4. 52) Ps 46, 2-4.
53) Cf. Ex 15, 1-21.

quia pauper.

Tandem tertia causa, quia *pauper*. Hoc enim signum est evidens maximae ac plane infinitae omnipotentis regis nostri huius erga nos caritatis, nam cum dives esset in omnibus, egenus propter nos factus est,[54] ita ut hodie ad honestandam pompam triumphi sui[55] alieno iumento usus est: *Dominus his opus habet*. Si filius regis potentissimi, mutato habitu abiret Constantinopolim tanquam mercator pietatis ergo, ad christianos captivos redimendos, plurimum ei deberent captivi ab eo redempti, non solum quia libertatis beneficio eos ex caritate donavit, verum etiam quia ad beneficium hoc praestandum tot commoda reliquit totque incommoda subiit. Ita plane Christo nos maxime debemus, etc.

Maximi interest Christum vere cognoscere.

Sancta fidelisque turba hodie Christo talia praestitit pietatis obsequia, quia Christum vere Regem Optimum Maximum agnovit. O deplorandam hominum amentiam! Mundanum principem magni faciunt, Christum autem Deum verum non item, quia nec cognoscunt! O utinam vel hoc vere de Christo cognosceremus, quod Rex noster est, Rex autem Optimus Maximus! Hoc enim vel solum sufficit ad pietatem, sicut patet hodie et patuit etiam in Magis, etc.[56]

BREVIS ALLOCUTIO[1]

Multa consideranda sunt hodie.

In hodierno Christi triumpho tria nobis consideranda sunt: quis sit triumphator, quae causa triumphi, ob quam victoriam, et in quo pompa triumphi huius consistat. Tria autem haec quoad historiam, nam alia considerari possunt quoad mysterium huius historiae. Significat autem gloriosum ac triumphantem Christi ingressum in caelestem Ierusalem, occurrentibus sibi Angelis, etc.

Christus appellatur rex iustus,

Sed quoad historiam, triumphator Christus est, de quo Vates: *Ecce rex tuus*,[2] idest ille qui rex tuus est, verus Messias, Deus et homo. *Iustus*: assignat causas laetitiae; *iustus* autem dicitur, non solum propter inhaerentem iustitiam, verum etiam per effectum, sicut

54) Cf. 2 Cor 8, 9. 55) Ms.: *Suo*. 56) Cf. Mt 2, 1-11.

1) Atramento clariori et stylo valde latiori exarata. 2) Zach 9, 9.

Ieremias testatur: *Suscitabo David germen iustum... et faciet iudicium et iustitiam* et *vocabunt eum: Dominus iustus noster,*[3] idest iustificator noster. Quare *iustus* dicitur etiam propter iustificationem nostram, unde Paulus ait quod Christus *factus est nobis a Deo sapientia et iustitia et sanctificatio et redemptio,*[4] idest qui nos iustificat, sanctificat et redimit. Iustificatio autem dicitur per remissionem peccatorum et divinae gratiae donum; magnae autem causa laetitiae est remissio peccatorum. Hinc Regius Vates: *Redde mihi laetitiam salutaris tui,*[5] idest salutis tuae quam affert peccatorum remissio, ubi placatur ira Dei et tollitur causa malorum omnium.

Non appellatur autem iustus solum, verum etiam *salvator*, quoniam *gratiam et gloriam dabit Dominus;*[6] collator est vitae aeternae ac felicitatis perpetuae, qui collator est iustitiae et gratiae. Tres igitur in triumphatore hoc sunt causae laetitiae: prima est dignitas et auctoritas personae: *Rex tuus;* secunda donum iustitiae et gratiae per remissionem peccatorum; tertia donum salutis et vitae. salvator,

His additur quarta: *Ipse pauper.* Non est causa laetitiae in principe paupere, si pauper est necessitate, sed utique si pauper est voluntate, si divitias non curat, sed ex alto contemnit. Maxima autem est in Christo causa laetitiae, quoniam cum dives esset, egenus propter nos factus est, ut Paulus ait.[7] Vocem autem hanc *pauperis* interpretatus est Evangelista: *Venit tibi mansuetus,*[8] sicut ipse Dominus ait: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.*[9] Modestia reddit principem summe amabilem et gratum, magna causa laetitiae. et pauper.

3) 23, 5-6. 4) 1 Cor 1, 30. 5) Ps 50, 14. 6) Ps 83, 12. 7) Cf. 2 Cor 8, 9.
8) Mt 21, 5. 9) Ibid. 11, 29.

III. ALIA HOMILIA [1]

Ostenditur hodie Christus rex, ostenditur regnum ipsius, ostenduntur subditi.

I. In hodierno Evangelio tria ostenduntur: Christus rex mirabilis, regnum ipsius et populares ac subditi. Ostenditur qualis rex sit Christus, quale regnum ipsius, quales ipsius, ut aiunt, vassalli, fideles populi. Tria haec de primo etiam homine ostenduntur: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram et dominetur*: ecce rex; *piscibus maris et volatilibus caeli et bestiis*: ecce populares; *universaeque terrae*: [2] ecce regnum. Sic etiam Regius Vates: *Gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subiecisti sub pedibus eius.* [3] Sic de David ostenditur in Sacris Litteris dignitas regalis, regnum, nempe terra promissionis, et populares, Hebraei. Sicut sol rex dicitur, regnum eius caelum, populares sidera, ita Deus rex est: regnum ipsius mundus universus, populares omnes creaturae.

Christum regem omnes Scripturae praedicant;

II. Christum regem omnes Scripturae praedicant et docent, ita ut nil magis praedicent quam Christum regem. Nunc quidem mysticis figuris, ut Adam, Melchisedech, Ioseph, Moyse, Iosue, David, Salomone, Assuero, Cyro et aliis; nunc apertis oraculis: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion;* [4] *Factus est principatus super humerum eius;* [5] *Suscitabo David germen iustum et regnabit rex;* [6] *Ecce in nubibus caeli quasi Filius hominis*, etc. [7] Sic saepissime Dominus noster in Sacris Litteris rex dictus est, quoniam magni refert ipsum revera regem credere.

et R. Vates hunc regem describit potentissimum ac speciosissimum,

Regius Vates, *Psalmo 44*, hunc nobis regem describit: *Dico*, inquit, *opera mea regi*. Sed cuinam regi? nam et ipse rex erat et quidem potentissimus: *Speciosus*, inquit, *forma prae filiis hominum;* [8] loquor, inquit, de rege speciosissimo, formosissimo, *in quem desiderant Angeli prospicere.* [9] Nec tantum corpore, verum etiam

1) Stylo strictiori. 2) Gn 1, 26. Vulg.: *Et praesit*, etc. 3) Ps 8, 6-8. 4) Ps 2, 6. 5) Is 9, 6. 6) Ier 23, 5. 7) Dn 7, 13. 8) Vrr. 2-3. 9) 1 Petr 1, 12.

animo, qui sermone aperitur: *Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea* quod *benedixit te Deus in aeternum.* Rex potentissimus: *Accingere gladium tuum super femur tuum, potentissime.* Rex summae maiestatis: *Specie tua et pulcritudine tua,* hebraice: *maiestate tua et decore tuo, intende, prospere procede et inequita,* idest dominare. Rex virtutibus omnibus, quae maxime regem decent et ornant, absolutus: *Propter veritatem et mansuetudinem et iustitiam;* regem enim decet summa veritas in dictis, modestia in gestu, integritas in vita. Rex, cuius divina est auctoritas: *Sedes tua, Deus, in saeculum saeculi.* Rex incorruptissimae integritatis et iustitiae, optimi et candidissimi animi: *Virga aequitatis virga regni tui, dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem.* Rex tandem fortunatissimus: *Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae prae consortibus tuis.* [10] Regem ostendit summae virtutis et summae fortunae; haec enim duo principem revera magnum faciunt, propterea Salomon duas erexit columnas, Iachin et Boaz. [11] Haec duo legimus de David, quod fortis prudensque erat nimis et Dominus erat cum eo; [12] haec duo de Gedeone: *Dominus tecum, virorum fortissime,* [13] sic *gladius Domini et Gedeonis,* [14] sic rex Israel sagittam salutis misit contra Syriam, sed coniuncta manu Elisei cum manu regis. [15]

iustissimum et optimum,

sanctissimum et fortunatissimum.

Haec duo legimus in primo bello contra Amalec in deserto. Pugnabat Iosue, sed orabat Moyses, et tunc vincebat Iosue cum Moyses orabat, [16] ut sciamus quod victoria in bellis a fortuna potius, idest a Dei gratia et favore, quam ab humana virtute est. Hinc in hodierno Evangelio Dominus noster rex ostenditur potentissimus, sed divina virtute in seipso. Sicut sol contra tenebras pugnat ipse solus et nudus, nullo alieno adminiculo usus, et vincit, quod nec omnes stellae possunt, solus videtur Christus absque exercitu peditum equitumque, absque principibus, ducibus, tribunis, chiliarchis, pentacontarchis, ecatontarchis, absque consiliariis et ministris, absque thesauris, quoniam, sicut sol, per seipsum omnia potest; ipse est sicut de Elia [17] et Eliseo [18] legimus: *Currus Israel et equites eius,* idest potentissimus exercitus, quoniam divina potentia praeditus; sicut Elias, cuius po-

In hodierno Evangelio Christus ostenditur potentissimus, sed divina virtute in seipso,

10) Ps 44 (hebr. 45), 3. 6-8. 11) Cf. 3 Rg 7, 21. 12) Cf. 1 Rg 16, 18. 13) Idc 6, 12. 14) Ibid. 7, 20. 15) Cf. 4 Rg 13, 15-17. 16) Cf. Ex 17, 8-13. 17) Cf. 4 Rg 2, 12. 18) Cf. ibid. 13, 14.

tentia sita erat in lingua, sicut fortitudo Samsonis in capillis,[19] sic etiam virtus Moysi contra Pharaonem in lingua erat, nam ipsius dictis etiam insensata et inanimata elementa parebant; hinc Balac rex Moabitarum, cum haec scivisset, accersivit contra eum Balaam, qui eadem linguae potentia praeditus dicebatur, ut dicto tantum posset innumeros exercitus profligare et perdere.[20] Sic Christus; hinc dicitur habere in ore gladium ancipitem.[21]

quoniam mortem superavit et satanam vicit;

Potentia Christi ostenditur contra mortem, quoniam Lazarum suscitavit, propterea enim cum triumpho susceptus est hodie.[22] In *Apocalypsi* 6 legimus visum fuisse Christum Ioanni supra equum album, quem sequebatur equus rufus, sanguinarius, qui pacem tulerat de terra; deinde equus niger, qui tulerat abundantiam magnamque famem et rerum caritatem induxerat, ac tandem equus pallidus mortis et inferni.[23] Quis potest vincere satanam, cum non sit potestas super terram quae comparetur ei?[24] Quis famem et necessitatem rerumque caritatem? Quis mortem ipsam et infernum? Solus Deus. At potuit Christus satanam vincere eiiciendo daemonia, vincere necessitatem et famem curando incurabiles infirmitates[25] et multiplicando panes,[26] vincere mortem ipsam suscitando mortuos.[27] Ipse ergo verus est Deus. Quam ergo potens princeps! *Quis est iste rex gloriae? Dominus fortis et potens, Dominus virtutum,* exercituum, idest omnipotens, *ipse est rex gloriae.*[28]

ostenditur ideo verus Deus,

et quidem amatissimus

Nec tantum potentissimus ostenditur rex iste noster summaeque virtutis, verum etiam fortunatissimus. Regnum enim acquisivit hodie non bello et armis, sed divino favore, a populis rex exceptus est et acclamatus,[29] quoniam fortuna omnis a Deo est, qui pia religione colitur. Ostenditur princeps religiosissimus et piissimus, nam recta tendit in templum ingressus civitatem ibique magnum religionis zelum ostendens, purgavit a profanatoribus, omnes enim eiecit de templo mercatores.[30] Sic, tamquam princeps revera optimus maximus, ostenditur amatissimus a populo, hinc clamant omnes: *Hosanna filio David! Benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel, ho-*

19) Cf. Idc 16, 17. 20) Cf. Nm 22, 5-6. 21) Cf. Apc 1, 16; 19, 15.
22) Cf. Io 12, 17-18. 23) Cf. vrr. 1-8. 24) Cf. Iob 41, 24.
25) Cf. Mt 4, 24; 8, 16; Mc 1, 34-39; Lc 4, 40-41. 26) Cf. Mt 14, 15-20; Mc 8, 18-20; Lc 9, 12-17; Io 6, 5-13. 27) Cf. Mt 11, 4-5; Lc 7, 22. 28) Ps 23, 7. 9.
29) Ms.: *A fortuna.* 30) Cf. Mt 21, 8-13; Mc 11, 8-16; Lc 19, 36-46; Io 12, 12-13.

sanna in excelsis; [31] optatissimo enim regi precantur a Deo omnem salutem omnemque felicitatem prosperamque fortunam.

Nec tantum amatissimus, verum etiam amantissimus ostenditur, nam pro salute sui populi magna cum laetitia, ac si ad nuptias iret, pergit ad pugnam, ad mortem ipsam. Sic felices se existimabant populi hodie. Et merito, quoniam talem a Deo regem acceperant. **et amantissimus.**

III. Regnum vero huius nostri regis ostenditur Sion et Ierusalem: *Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem,* [32] quoniam rex est Ecclesiae triumphantis in caelo et Ecclesiae militantis in terra: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra;* [33] sic Angelus dixit: *Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur; et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis;* [34] sic: *Dedit illi regnum,* inquit Daniel, *potestas eius potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum, quod non corrumpetur.* [35] Regnum Christi paradisus est: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum... Hodie mecum eris in paradiso.* [36] **Regnum huius regis Ecclesia est sive triumphans in caelis,**

Regnum Christi etiam Sancta Ecclesia catholica: *Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius.* [37] Sic per Ierosolymam, quae civitas sancta dicitur, civitas magni Dei, [38] in qua templum, vera religio, cultus divinus, sacrificia, sacerdotium, sedes pontificia, doctrina sacra, vera tandem fides et legis Dei observatio, Christi regnum designatur. Sic Sancta Ecclesia catholica regnum Christi verum in mundo est; quidquid est extra hanc veram Ecclesiam, non Christi regnum est, sed satanae synagoga. **sive militans in terris;**

Aiunt haeretici, qui Ecclesiam in invisibilem Platonis rempublicam converterunt: quaenam est vera Ecclesia? ubi est vera Ecclesia? Dico: quaenam erat vera Ierusalem? Videatur ipsius fundatio, situs aliaeque circumstantiae et manifestum erit.

Tandem in hodierno Evangelio ostenduntur quinam sint veri subditi et populares nostri huius regis, nempe qui credebant in eum

31) Mt 21, 9; Mc 11, 10; Lc 19, 38; Io 12, 13. 32) Zach 9, 9. 33) Mt 28, 18. 34) Lc 1, 32-33. 35) 7, 14. 36) Lc 23, 42-43. Vulg.: *Domine, memento mei,* etc. 37) Mt 21, 43. 38) Cf. 2 Esr 11, 1; Tob 13, 11; Ps 45, 5; Ps 47, 2-9; Ps 86, 3; Dn 3, 28; Mt 27, 53.

veri autem subditi sunt fideles Veteris ac Novi Testamenti.

et eum confitebantur: *Hic est Iesus propheta a Nazareth Galilaeae;* [39] *Corde creditur ad iustitiam, ore autem,* etc.; [40] *qui praecedebant et qui sequebantur* dicebant: *Hosanna filio David,* [41] coram inimicis Christi nihil timentes. Per eos qui praecedebant designantur fideles ante Christi adventum in mundum, nam omnes Patriarchae, omnes Prophetae, omnes iusti et fideles sub Veteri Testamento subditi fuerunt huius nostri principis; per eos autem qui sequebantur, fideles sub Novo Testamento designantur: Apostoli, discipuli, viri apostolici, martyres, confessores, virgines, omnes Sancti, omnes fideles. Signa autem verorum fidelium sunt: confessio christianae fidei, etiam coram inimicis Christi, sequela ipsius Christi: sequebantur eum tamquam milites ducem et imperatorem, habebant ramos palmarum et olivarum in manibus, prosternebant vestimenta in via, laudabant Christum ex animo. [42]

39) Mt 21, 11. 40) Rom 10, 10. 41) Mt 21, 9; Mc 11, 9.
42) Duabus paginis albis relictis, transit ad feriam sequentem.

FERIA SECUNDA INFRA HEBDOMADAM MAIOREM

Fecerunt autem ei coenam ibi, etc. [1]

I. Sicut Abraham Angelis paravit convivium, [2] ita hodie Christo, qui est *magni consilii Angelus,* [3] coena parata fuit a fidelibus. Fuit autem coena haec multo ditior operibus pietatis quam epulis, ubi illud elucet quod Paulus ait: *Magnus quaestus est pietas cum sufficientia,* [4] et item: Pietas ad omnia valet, *promissionem habens eius, quae nunc est, vitae et futurae.* [5] Nam pietatem vel maxime Magdalenae Dominus non solum boni et aequi consuluit gratumque sibi pietatis obsequium demonstravit, verum etiam et in praesens laudavit et in futurum perpetuo laudandum praedixit.

Paratur Christo haec coena in obsequium pietatis.

Sicut autem duo sunt praecepta caritatis, Dei amor et proximi, duo rami eiusdem arboris ex eadem radice eodemque trunco, duae fistulae eiusdem fontis, duo oculi eiusdem faciei, ita pietatis duo sunt opera, nam est pietas erga Deum, quam Magdalena hodie in Christo exercet, et est pietas erga proximum, erga pauperes, de qua Iudas: *Quare unguentum istud non veniit trecentis denariis et datum est egenis?* [6] Et Christus utramque complexus ait: *Bonum opus operata est in me; nam pauperes semper habetis vobiscum et cum volueritis, potestis illis benefacere.* [7] Sicut autem caritatis praeceptum erga Deum potius est altero erga proximum, nam: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo... hoc est primum et maximum* in lege, *secundum autem simile est huic*: *Diliges proximum tuum,* [8] ita Do-

Duo sunt opera pietatis: erga Deum et erga proximum, sed illud huic praeferendum est.

1) Pericope huius diei Io 12, 1-9. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Gn 18, 1-8. 3) Is 9, 6. Ex hebr. 4) 1 Tim 6, 6. Vulg.: *Est quaestus magnus*, etc. 5) Ibid. 4, 8. Affert ordine inverso. 6) Io 12, 5. Vulg.: *Quare hoc unguentum*, etc. 7) Mc 14, 6-7. Vulg.: *Semper enim pauperes*, etc. 8) Mt 22, 37-39.

minus hodie pietatem erga Deum praefert pietati erga proximum, contra iudicium Iudae et discipulorum aliorum.

In Magdalena elucet pietas vera, in Iuda autem ficta;

II. Elucet etiam in hodierno Evangelio vera pietas in Magdalena vel maxime, ficta autem in Iuda, qui lupus erat sub ovina pelle, propheta et sacerdos Baal sub habitu prophetae et sacerdotis Dei, nam *avaritia est idolorum servitus.*[9] Erat hic Iudas sicut satan astitit inter filios Dei,[10] nam: *Unus vestrum diabolus est,*[11] sed satan transfiguratus in angelum lucis:[12] *Quare unguentum istud non veniit trecentis argenteis et datum est egenis?* Fingit tangi se cura pauperum, et tamen dixit hoc, *non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat*[13] et latro, falsus propheta, qui decepit virum Dei in Samaria.[14] Simulata autem iustitia duplex iniquitas est,[15] quoniam et falsitas et iniquitas est. Talis erat Iudas, *filius perditionis.*[16]

sed Christus optime discernit veram a falsa.

Sicut autem initio Dominus divisit lucem a tenebris,[17] ita hodie discernit veram pietatem a falsa, sicut in lege latum discrimen est inter cultum veri Dei et cultum idolorum, inter sacerdotes ministros Dei et ministros gentilium falsorumque deorum. Novit autem hoc Dominus, quoniam ipse scrutator est cordium: *Homo videt quae foris sunt, Deus autem intuetur cor.*[18] Nam, quod spectat ad exteriora, Iudas similis erat aliis Apostolis, Christi discipulus, comes perpetuus, a latere Christi nunquam discedebat, sub eodem tecto, in eadem mensa cum aliis comedebat, et tamen lupus erat inter oves, diabolus inter Angelos.

Bethania Ecclesiam figurat, ubi sunt qui in gratia et qui in peccato vivunt.

III. *Venit Bethaniam, fecerunt autem ei coenam ibi.*[19] Bethania, quae d o m u s a f f l i c t i o n i s sive h u m i l i a t i o n i s aut e x a u d i t i o n i s interpretatur, Sanctam significat Ecclesiam, ubi sunt qui vivunt, qui moriuntur et suscitantur. Paradisus locus est vitae et gratiae tantum, infernus locus mortis et peccati, Ecclesia locus vitae et mortis, peccati et gratiae. Caelum locus perpetuae lucis, terra tenebrarum, aer hic medius, simul capax est lucis et tene-

9) Eph 5, 5. 10) Cf. Iob 1, 6. 11) Io 6, 71. Vulg.: *Ex vobis unus,* etc. 12) Cf. 2 Cor 11, 14. 13) Io 12, 6. 14) Cf. 3 Rg 13, 11-26. 15) Proverbium ex S. Augustino *Enarrat. in Psalmos,* in ps. 63, (P. L. 36, 765). 16) Io 17, 12. 17) Cf. Gn 1, 4. 18) 1 Rg 16, 7. *Vulg.: Videt ea quae parent,* etc. 19) Io 12, 2.

brarum. Ecclesia domus Dei per fidem est: *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.*[20] Fides autem suapte natura non includit necessario gratiam iustificantem, nec excludit necessario peccatum. Potest quis fidem habere sine operibus, sine gratia, sine caritate, manens in peccato. Multi sunt in Ecclesia qui fidem habent et in peccatis vivunt et perseverant etiam in peccatis. Decem virgines omnes acceperunt lampades, sed non omnes oleum in vasis suis. Quae oleum non acceperunt, exclusae fuerunt a nuptiis.[21]

Gratia tres habet gradus: initium, medium et finem.

Necessario autem omnis fidelis vel in gratia reperitur vel in peccato, sicut aer vel in lumine vel in tenebris. Gratia autem tres habet status: initium, medium, finem, sicut arbor nascitur, crescit et tandem fructus bonos facit, sicut semen iactum in terram bonam nascitur, crescit in spicam, tandem dat, plena spica, maturum frumentum in messe. Triplex iste status gratiae designatur hodie per Mariam, Martham et Lazarum.

Gratia otiosa non manet sed semper crescit;

Quoniam autem gratia non manet otiosa: *Gratia* Dei *in me vacua non fuit,*[22] a fructibus et operibus bonis cognoscitur, sicut ostendit Dominus in parabola seminatoris, quod semen iactum in bonam terram fecit fructum aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum.[23] Hinc hodie Maria tulit libram unguenti et effudit supra Christum et domus repleta est ex odore unguenti, Martha ministrabat, Lazarus discumbebat cum Christo.[24] Cibus autem Christi est spiritualis: *Meus cibus est ut faciam voluntatem eius, qui misit me, ut perficiam opus eius.*[25] Sic Lazarus spiritualibus rebus et iis quae placent Christo delectatur, maxime autem Sacramentorum frequentia.

ita etiam peccatum, ut patet in Iuda,

Sicut autem gratia non manet otiosa in fidelibus, ita nec peccatum. Hinc etiam Iudas agit hic suas partes: fremit, murmurat: *Ut quid perditio haec? Potuit* unguentum *istud venundari et dari pauperibus;*[26] imo sicut crescit gratia usque ad summum, ita et peccatum. Hoc est quod in parabola zizaniorum legimus: *Sinite utraque crescere usque ad messem.*[27] Crescit gratia, crescit virtus, crescit etiam peccatum, proficit iniquitas. Sic habemus in hodierno Evangelio

20) Eph 3, 17. Vulg.: *Christum habitare*, etc. 21) Cf. Mt 25, 1-12. 22) 1 Cor 15, 10. 23) Cf. Mt 13, 3-8; Mc 4, 3-8; Lc 8, 5-8. 24) Cf. Io 12, 2-3. 25) Ibid. 4, 34. 26) Mt 26, 8-9. 27) Ibid. 13, 30.

qui primo inescatus fuit amore pecuniae,

progressum iniquitatis in Iuda. Cum enim coepisset, profecit usque ad summum. Principium iniquitatis in Iuda fuit, quoniam, cum loculos haberet et ea quae mittebantur portaret, [28] positus inter Christum et mammonam, inter Deum et pecuniam, coepit animus ipsius satanae opera ad pecuniam magis propendere, coepit pecuniae amore inescari. Sicut autem ille ait:

« Quae non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames? » [29]

et ut Paulus ait: *Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes,* [30] *circa fidem naufragaverunt,* [30a] Iudas igitur pecuniae amore inescatur, cum prius quae mittebantur portaret coepit asportare, coepit pecuniolas suffurari: *Fur erat,* [31] et latro. Accensus fuit a satana in corde ipsius ignis avaritiae, qui *nunquam dicit: sufficit.* [32]

deinde avaritia excaecatus, ex parvis initiis ad summum nefas devenit, ut Christum proderet,

Quoniam vero avaritia hominem excaecat, nam caeca est omnis cupiditas, caecus omnis amor, Iudas eo caecitatis devenit, ut temporalia lucra multo pluris faceret quam Christum. Hinc hodie trecentis denariis aestimavit unguentum, quod Magdalena supra Christum largissime effudit, ipsum vero Christum triginta denariis vendidit: [33] decuplo pluris unguentum aestimavit quam Christum. O mentis vertiginosae praeposterum summeque perversum iudicium! Quam latum discrimen est inter animam vere fidelem et animam peccati causa infideli deteriorem, inter Magdalenam et Iudam! Illa pro nihilo ducit unguentum valde copiosum et pretiosum in obsequium Christi effundere tam largiter, ut ipsum etiam vas alabastrinum fregerit, ut unguenti nihil omnino in vase remaneret, evidens plane indicium ardentis in Christum caritatis, de qua legimus: *Si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam,* [34] idest nihil se egisse aestimabit; Iudas autem decuplo pluris unguentum facit quam Christum, hinc ad summum illud nefas, quod summa est omnis iniquitatis, devenit, ut Christum proditorie Iudaeis, capitalibus Christi inimicis, triginta argenteis vendi-

28) Cf. Io 22, 6. 29) Virg. *Aeneid.*, lib. 3, vrr. 109-110. « Quid non mortalia », etc. 30) 1 Tim 6, 10. 30a) Ibid. 1, 19. 31) Io 12, 6. 32) Prv 30, 16. 33) Cf. Mt 26, 15; Io 12, 5. 34) Ct 8, 7.

derit. Sic Iudae iniquitas ex parvis initiis, facta accessione, ad summum devenit decursu temporis.

Nam nemo repente fit summus,[35] tum natura tum ars tempore opus habet ut perfectionem assequatur numeris omnibus; ita etiam in moribus, in virtutibus, in vitiis. Hinc Sancta Ecclesia, quae in supernaturali virtute consistit, per scalam Iacob designatur: Hic domus Dei est;[36] hinc Regius Vates ait: *Ibunt de virtute in virtutem;*[37] hinc Deus per Isaiam: *Filios enutrivi et exaltavi,* hebraice *magnificavi et exaltavi;*[38] hinc Paulus ait: *Quos iustificavit, illos et magnificavit.*[39] Sic ascendebatur ab atrio, ubi vasa erant aquae lustralis et purgatoriae, in sanctum, ubi altare incensi, mensa panum et candelabrum aureum, postea in sanctum sanctorum, ubi arca, ubi propitiatorium, ubi cherubim gloriae, ubi liber legis, ubi urna mannae, ubi virga virtutis Dei;[40] sicut in hoc mundo ascenditur semper ad nobiliores substantias, a terra ad nobiliora elementa, in caelum, in paradisum, ad choros Angelorum, ad Deum ipsum.

nam tum in virtutibus cum in vitiis nemo repente fit summus.

Vita autem poenitentium merito designatur per atrium, quoniam ibi duo erant vasa aquae lustralis, qua sordes abluebantur et purificabantur sacerdotes et ministri Domini in templum ingressuri, et altare sacrificiorum in quo, ad satisfaciendum Domino pro peccatis, sacrificia iugiter offerebantur ex animalibus, iuxta legis praescriptum. In peccato nanque duo sunt: culpa et poena. Ad abluendas culparum sordes opus est lacrimarum aquis, sicut Magdalena lacrimis coepit rigare pedes Domini,[41] ad satisfaciendum autem pro poenis opus est sacrificio; sed, ut Regius Vates ait: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.*[42]

Atrium templi figurabat vitam. poenitentiae,

Vita autem activa in ipso sancto designata est, nam haec consistit quidem in Dei cultu, in oratione, sed singulariter in operibus misericordiae corporalibus et spiritualibus. Mensa panum designat opera misericordiae corporalia, candelabrum spiritualia.

sanctum vitam activam,

Vita tandem contemplativa in sancto sanctorum, cum *nostra conversatio in caelis est,*[43] cum Angelorum more fidelis anima vivit in

35) Proverbium, de quo cf. S. Bernardus *De Gradibus humilitatis et superbiae*, cp. 9, (P. L. 182, 956). 36) Cf. Gn 28, 12-17. 37) Ps 83, 8. 38) 1, 2. 39) Rom 8, 30. Vulg.: *Glorificavit. Magnificavit* lect. cod. 40) Cf. 3 Rg 6, 1 sqq.; 8, 4-9; Hebr 9, 2-7. 41) Cf. Lc 7, 38. 42) Ps 50, 19. 43) Phil 3, 20.

sanctum sanctorum vitam contemplativam.

mundo, cum nonnisi Christi obsequio ex ardenti caritate cum Magdalena delectatur. Sic virtus crescit semper ad meliora.

Sed vitium similiter ad deteriora: *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.*[44] Solus Lucifer de repente factus fuit in malitia summus cum suis daemonibus, sicut et Seraphim in caelo cum aliis sanctis Angelis summi in virtute. Ceterum nos homines sumus, non Angeli. Primum hominem Deus perfectum creavit et primam mulierem, sicut solem et lunam; alios autem non sic, sed naturali cursu perficiendos.

BREVIS ALLOCUTIO [1]

Fecerunt autem ei coenam ibi. [2]

Domus Bethaniae Ecclesiam figurat,

Depingit nobis hic Ioannes elegantem imaginem Ecclesiae Christi in domo hac Bethaniae, ubi facta est hodie coena Christo, nam Christi Ecclesia nihil aliud est nisi multitudo fidelium famulantium Christo, ubi Christus colitur et honoratur.

coena autem opera pietatis designat,

Fecerunt autem ei coenam ibi. Opera pietatis et divini cultus in Ecclesia per coenam designantur, quoniam grata sunt Christo, sicut cibus esurienti, hinc ait: *Meus cibus est ut faciam voluntatem eius, qui misit me;*[3] hinc in conversione samaritidis invitatus ab Apostolis noluit cibum sumere, ut incoeptum compleret opus, et in conversione Magdalenae, cum esset in mensa, desiit cibum sumere ut opera Magdalenae commendaret,[4] sicut etiam hodie contra murmurationem Iudae commendat opus Mariae.[5]

facta enim fuit ex fide, caritate et gratitudine;

Fecerunt autem ei coenam ibi. Per coenam hanc, uti diximus, designantur opera pietatis divinique cultus, quae ab universis fidelibus exhibentur Christo. Fecerunt autem coenam hanc Christo fideles in Bethania ex fide et caritate et gratitudine animi; quoniam credebant in Christum eumque diligebant et memores miraculi suscitationis Lazari erant, coenam hanc paraverunt Christo. Haec enim sunt quae a fidelibus in Ecclesia exhibentur Christo: opus fidei credendo ex

44) Ps 73, 23.

1) Atramento clariori exarata. 2) Io 12, 2. 3) Ibid. 4, 34. 4) Cf. Lc 7, 40. 5) Cf. Io 12, 4-8.

corde, opus caritatis diligendo ex animo, opus gratitudinis gratias agendo pro acceptis beneficiis. Haec sunt communia stigmata verorum fidelium Christi.

Fecerunt autem ei coenam ibi, et grata fuit Christo; nec tamen praecepit Christus ut facerent. Quid ergo dicunt novatores displicere Deo omnia opera quae non sunt divino verbo mandata? [6] Ubinam divinum praeceptum est ut facerent coenam hanc? Ubi divinum praeceptum ut Maria pretioso unguento Dominum ungeret? Et tamen placuit Christo haec unctio eamque a Iuda defendit, quin etiam addidit: *Ubicumque praedicatum fuerit hoc Evangelium... dicetur et quod haec fecit in memoriam eius*, [7] idest in laudem eius; idest quod modo a Iuda damnatur, iudicio totius Ecclesiae ubique gentium commendabitur et laudibus extolletur. Imo cum eleemosyna sit divino verbo commendata, imo praecepta, [8] Dominus praefert opus hoc pietatis operibus misericordiae erga pauperes et eleemosynis. Sic etiam alias Dominus commendavit opera Magdalenae, in die conversionis ipsius, eamque a Simone pharisaeo defendit, cum tamen nec illa opera essent divino verbo mandata. Sicut autem tunc Iudas contra pietatem Magdalenae murmurabat, ita nunc Calvinus contra fidelium pietatem oblatrat damnatque sumptus, qui a fidelibus fiunt in cultu pietatis, in erigendis ornandisque Ecclesiis, altaribus et locis piis. [9] Sed nil mirum, si eodem spiritu plenus similiter loquitur. [10]

Ideo supramodum Christo grata fuit.

ALIA HOMILIA [1]

Ante sex dies paschae venit Iesus Bethaniam. [2]

I. Habemus in hodierno Evangelio historiam et mysterium. In historia autem ponitur adventus Christi in Bethaniam, commemoratio suscitationis Lazari, vera pietas fidelium erga Christum, falsa pietas Iudae erga pauperes veraque calumnia verae in Christum pietatis, apologia et defensio Christi pro vera pietate contra

Habemus in hodierno Evangelio historiam et mysterium

6) Cf. S. Laurentius a Br. *Hypotyposis*, part. 2, pag. 393. 7) Mt 26, 13. 8) Cf. Lc 11, 41. 9) Cf. S. Bellarminus *Controversiae*, t. 2, *De Cultu Sanctorum*, lib. 3, cp. 1, col. 296. 10) Aliquae lineae albae relinquuntur.

1) Stylo strictiori exarata. 2) Io 12, 1.

falsam pietatem Iudae fictumque pro pauperibus zelum. Tandem per appendicem ponitur humana curiositas, nam multi ex Iudaeis venerunt Bethaniam, non propter Iesum tantum, sed ut et Lazarum viderent, quem suscitarat a mortuis.[3] Ad Christum veniunt, non caritate sed curiositate ducti, non ut crederent sed ut viderent, ut oculos pascerent suos tam novo spectaculo, tam inaudito miraculo. Ita ut habeamus hic quattuor veluti species pietatis sive bonitatis: prima est bonitas Christi divina ex divino beneficio et miraculo suscitationis Lazari; secunda bonitas angelica veluti fidelium Christo ministrantium; tertia humana Iudaeorum venientium ad Christum, sed non propter Christum tantum, non ex fide, ex caritate, ex pietate, sed ex curiositate; quarta tandem satanica, cum *satanas se transfigurat in Angelum lucis,*[4] in Iuda, qui zelum fingit pietatis et caritatis erga pauperes, ut impugnaret veram pietatem erga Christum.

et quattuor species bonitatis.

II. Sic hodiernum Evangelium veluti theatrum est omnis bonitatis, sicut caelum theatrum omnium luminum; sicut enim quattuor sunt in mundo veluti genera luminum, nempe solis, stellarum, lunae et ignis terrei, ita sunt quattuor species bonitatis. Non est autem animus de omnibus loqui; sed quoniam in primis beneficium ponitur suscitationis Lazari, per quam designatur peccatoris iustificatio per poenitentiam, et tempus ipsum requirit ut de poenitentia nonnihil dicamus, hoc in primis cogitandum poenitentiam esse magnum Dei beneficium humano generi, quod quidem Angelis concessum non fuit. Tria sunt genera beneficiorum Dei, quaedam enim conceduntur homini, absque ullo quidem merito, verum etiam absque ullo demerito, ut beneficium creationis; alia absque ullo demerito, sed non sine merito, ut beneficium glorificationis, quae tamquam merces datur operariis et appellatur *corona iustitiae;*[5] alia tandem sunt absque ullo merito et cum multis demeritis peccatorum, tale est beneficium iustificationis per poenitentiam, quae in Lazari suscitatione sub mysterio designatur.

Agitur de iustificatione peccatoris per poenitentiam.

Poenitentia magnum Dei beneficium est, soli homini concessum;

Sciendum item quod, cum Deus sit summe bonus, bonitate summopere delectatur; ita hodie bonum opus Mariae summopere com-

3) Cf. Io 12, 9. 4) 2 Cor 11, 14. Vulg.: *Transfigurat se,* etc. 5) 2 Tim 4, 8.

mendavit, eamdem item ob causam acriter Iudae malitiam increpavit. Displicet enim ei supramodum malitia, propter quod ab initio Angelos eiecit de caelo, homines de paradiso, Iudam ipsum de collegio apostolico; sic statuit ut nihil coinquinatum intret in caelestem civitatem Ierusalem,[6] ita ut iustus vix salvetur.[7]

Hinc elucet quam magnum beneficium sit poenitentia, quae homines aptos reddit regno caelorum dignosque: *Si quis emundaverit se ab his, fiet vas in honorem... utile Domino, ad omne opus bonum paratum.*[8] Sic poenitentia potuisset, rite tamen facta, Iudam ex pessimo in optimum convertere, ex luto in aurum, ex daemonio in angelum. Malus enim christianus, cupidus, avarus, sui amator magis quam Dei, Iudas est, qui murmurat contra bona opera, perversi iudicii homo, qui vasculum unguenti aestimavit plus trecentis denariis, Christum vero vendidit pro triginta;[9] qui monitus et correptus a Christo se minime emendavit, sed abiit in peius, a furtis eleemosynarum ad proditionem Christi.

si rite facta, hominem dignum reddit regno caelorum.

Sed ut rite poenitentia fiat, opus est conscientiam rite etiam examinare, praecipue vero circa tria quae habemus in hodierno Evangelio. Habemus enim beneficia Dei in Lazari suscitatione, ut videamus an grati fuerimus Deo, sicut sanctae mulieres hodie propter acceptum a Christo beneficium fecerunt ei coenam, Martha ministrabat, Maria autem accepit libram unguenti, etc. Diligenter examinanda sunt beneficia Dei, ne eis contra ipsum benefactorem abusi simus. Deinde habemus bona opera, quae Deus fieri iussit. Sed videndum an bene sint facta. Nam et Iudaei veniunt Bethaniam hodie ad Christum, quod quidem bonum est, sed non venerunt propter Christum, imo potius ut Lazarum viderent; non ex caritate, sed ex curiositate venerunt. Opera autem bona, eleemosyna, ieiunium, oratio, nisi bene fiant, nullius sunt meriti.

Diligenter examinanda est conscientia etiam circa ipsa opera bona,

Tandem habemus peccata in persona Iudae, et peccata quidem non tantum operis, nam *fur erat et... ea quae mittebantur, portabat;*[10] nec tantum oris, cum contra Mariam maligne obmurmurarit: *Ut quid perditio haec?* verum etiam cordis: *Hoc autem*, inquit, *dice-*

sed praecipue circa peccata,

6) Cf. Apc 21, 27. 7) Cf. 1 Petr 4, 18. 8) 2 Tim 2, 21. 9) Cf. Mt 26, 14-15
10) Io 12, 6.

bat, non quia de egenis pertinebat ad eum, [11] sed ex pravitate animi et cupiditate, quae radix est omnium malorum; [12] *quia fur erat,* pecuniam cupiebat, ficto animo loquebatur, speciem pietatis habebat, virtutem autem eius abnegabat. [13]

et iudicia temeraria.

Circa haec omnia diligenter examinanda conscientia est parandusque animus ad sacram exomologesim, ut rite, ut par est, fiat. Diligenter examinanda conscientia est circa iudicia temeraria, nam Iudas Mariam temere iudicavit et accusavit, corrupto tamen iudicio, nedum maligno animo, nam diligendus quidem est proximus maximeque iuvandus egenus, sed propter Deum, non supra Deum, nam primum et maximum mandatum est: *Diliges Dominum,* etc.; secundum autem: *Diliges proximum tuum sicut,* etc. [14] Christus diligendus erat ut verus Deus, hoc praestabat Maria, cumque caritas sit maxime ordinata, Iudas ordinem hunc caritatis invertebat, ut pauperes praeferrentur Christo, quod impium est. Hinc iure ipsum Christus verberat: *Bonum opus operata est in me.* [15] Cavendum summopere est a iudiciis temerariis, ex quibus saepe murmurationes oriuntur, ita ut bona damnentur opera quae Deo grata sunt valdeque placent, ut videmus hodie. [16]

11) Ibid. 12) Cf. 1 Tim 6, 10. 13) Cf. 2 Tim 3, 5. 14) Mt 22, 37-39. 15) Mc 14, 6. 16) Septem paginis albis relictis, transit ad feriam sequentem.

Feria III. infra hebdomadam maiorem.

De sacramento penitentie

[illegible]

Photo A. Piovesan - Patavii

Facsimile scripturae S. Laurentii magnitudine naturali

FERIA TERTIA INFRA HEBDOMADAM MAIOREM

De Sacramento Poenitentiae

Contra peccatum institutum fuit sacramentum Poenitentiae.

I. Providit Dominus populo suo contra venena ignitorum serpentium salutare remedium, praesentissimum, efficacissimum, optimum;[1] ita plane contra venenum mortiferissimum antiqui serpentis instituit salutarem poenitentiam. Iuxta ostium divini sanctuarii posuit Moyses ex divino mandato vasa aquae lustratoriae et altare sacrificiorum,[2] quae quidem imagines referebant Baptismi et Poenitentiae. Nam duae constitutae sunt viae salutis in caelum: altera quidem innocentiae, quae nobis in Baptismo confertur, altera vero Poenitentiae.

In lege ad expianda varia peccata varia habebantur sacrificia.

II. Instituto templo et sacerdotio, institutum fuit sacrificium pro peccato; si quis enim in divinam legem deliquisset, ad peccatum expiandum lege tenebatur mactandam victimam sacerdoti offerre.[3] Mysterium autem hoc Regius Vates aperuit dicens: *Sacrificium Domino spiritus contribulatus.*[4] Origines in *Leviticum*, homilia 2,[5] agens de legalibus sacrificiis, opponit veluti disputans quod lex, quae ad expianda peccata tot habebat sacrificia divinitus instituta, melioris conditionis esset Evangelio, quod nullum habet huiuscemodi sacrificium. Sed respondet multis quoque modis in lege

1) Cf. Nm 21, 6-9. 2) Cf. Ex 40, 28. 3) Cf. Lv 4, 1 sqq. 4) Ps 50, 19. Vulg.: *Sacrificium Deo*, etc. 5) P. G. 12, 418-419.

gratiae expiari peccata; cumque recensuisset Baptismum, martyrium, eleemosynas, remissionem iniuriarum, dilectionem qua peccatrici mulieri multa peccata dimissa sunt, denique ait: Expiantur etiam alia ratione, quamvis acerbius quidem et laboriosius, poenitentia, «cum lavat peccator lacrimis statum suum et fiunt ei lacrimae panis die ac nocte; et cum non erubescit dicere sacerdoti Domini peccatum suum et quaerere medicinam, secundum eum qui ait: *Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino et tu remisisti,* etc.,[6] in quo impletur illud quod Iacobus apostolus ait: *Infirmatur quis in vobis? Vocet presbyteros* et imponant ei manus, etc.».[7]

Lacrimae poenitentiae excitant caritatem.

Poenitentia est sacrificium Eliae, quod copiam magnam aquarum effundit, ut divinum caelitus missum ignem conciperet eoque absumeretur;[8] tunc enim cor nostrum facile divinae caritatis, quae per Spiritum Sanctum diffunditur, flammam concipit, cum lacrimarum aquis fuerit copiose aspersum: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrimis meis stratum natare faciam.*[9]

Sacrificium pro peccato figura erat poenitentiae,

III. Tradunt Doctores Hebraeorum, *Levitici* 4 et 5, in libro etiam *Siphrae,* quod qui pro admisso peccato hostiam Domino offerebat ad illud expiandum, tenebatur victimam sacerdoti praesentare et, impositis manibus supra caput inter cornua hostiae immolandae, distincte et clare peccatum confiteri oportebat, detestando illud et promittendo in posterum se nunquam ad illud reversurum.[10] Sic sacrificium illud verae poenitentiae referebat imaginem.

hoc ostendebant caeremoniae ipsae quae adhibebantur,

Sacrificium illud multis adhibitis caeremoniis offerebatur Domino; oblata nanque victima sacerdoti coram Domino, post manuum impositionem, iugulato animali iuxta legis praescriptum, totus effundebatur sanguis ad altare Domini. Sanguinem autem peccati symbolum esse notissimum est: *Libera me de sanguinibus;*[11] *Sanguis sanguinem tetigit;*[12] hinc prohibetur divina lege sanguinis esus.[13] Totus igitur fundendus est sanguis; nullum in confessione reticen-

6) Ps 31, 5. 7) 5, 14. Vulg.: *Inducat presbyteros...* 8) Cf. 3 Rg. 18, 30-38. 9) Ps 6, 7. Ex hebraico. 10) III, 6, 4. Cf. A. Zanolini *Lexicon Chaldaicum-Rabbinicum,* pag. 414-415. 11) Ps 50, 16. 12) Os 4, 2. 13) Cf. Gn 9, 4; Lv 7, 26-27; 17, 13-14.

dum ac silentio premendum peccatum, ut in mari Rubro omnes Aegyptii pereant, nec remaneat unus,[14] omnes Amalecitae trucidandi gladio linguae, ne cum Saule peccemus, qui regem servavit et optima quaeque.[15]

sicut etiam septena lotio Naaman syri in aquis Iordanis,

Aliquando sanguis hostiae pro peccato aspergebatur septies intra sanctuarium ante velum,[16] sicut iussus fuit Naaman syrus seipsum in aquis Iordanis septies lavare ut mundaretur a lepra.[17] Quid opus erat ad miraculum septena illa lotione? Sed si non ad miraculum, certe ad mysterium. Nam miracula divina opera sunt, non solum potentiae et bonitatis Dei, verum etiam sapientiae. Ad tergendas maculas criminum multa opus est diligentia; sic enim septupla illa lotione mundatus fuit Naaman et mundatione illa ad Deum conversus spiritu, sanctificatus, factus caelo dignus, cum prius immundus esset peccator. Fuit Iordanis Hebraeis porta terrae promissionis[18] et a Iordane Elias assumptus fuit in caelum;[19] in Iordane etiam aperti fuere caeli;[20] sic Poenitentia aperit portas paradisi. Hinc cum Dominus de Sacramento hoc verba fecit ad Petrum, ait: *Tibi dabo claves regni caelorum.*[21]

et effusio sanguinis hostiae ad basim altaris.

Totus sanguis pro peccato fundendus erat ad basim altaris. Confitenda sunt omnia peccata ad pedes sacerdotis, qui Christi vicarius est. Sacrificium hoc Deo gratissimum erat, hinc *sanctum sanctorum* dicebatur, ut in *Levitico* legimus.[22] Effectus autem huius sacrificii mirabilis est, quia peccata remittit, lavat sordes peccatorum: *Amplius lava me ab iniquitate mea et a peccato meo munda me. Asperges me,* Domine, *hyssopo et mundabor, lavabis me et super,* etc.;[23] alludit ad mysteria legis antiquae, nam sacerdos sanguinis aspersione populum sanctificabat.[24]

In sacramento Poenitentiae abluuntur sordes peccatorum.

IV. Sunt Sacramenta omnia veluti canales sanguinis et aquae de latere Christi veluti de perenni fonte. Cum autem Poenitentia divinum sit sacramentum, in eo vel maxime post Baptismum abluimus

14) Cf. Ex 14, 26 sqq. 15) Cf. 1 Rg 15, 1 sqq. 16) Cf. Lv 4, 6. 17. 17) Cf. 4 Rg 5, 1-14. 18) Cf. Ios 4, 1 sqq. 19) Cf. 4 Rg 2, 1-12. 20) Cf. Mt 3, 13 sqq.; Mc 1, 9-11; Lc 3, 21-22. 21) Mt 16, 19. 22) 2, 3. 10; 6, 17. 25. 29. 23) Ps 50, 4. 9. 24) Cf. Ex 24, 6-8; Hebr 9, 19-20.

peccatorem sordes. Hinc legimus quod Christus *lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo,*[25] et quod Sancti *laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni.*[26] David post peccatum, quod contra divinae legis praescriptum, suadente diabolo, admisit numerando[27] populum, ad placandum Deum obtulit, ab Angelo per Gad prophetam admonitus, sacrificium pro peccato eoque placatus fuit Deus; in signum autem placationis misit ignem de caelo, qui totum illud sacrificium devoravit;[28] sicut etiam ignis de caelo consumpsit sacrificium Eliae, ubi etiam legimus quod ignis lambuit aquam quae erat in aquaeductu et pulverem.[29] Gratissimus cibus est homini, cum etiam patinas lambit; sic Deo gratissimum fuit sacrificium illud; ita plane poenitentia Deo gratissima est. Christus Magdalenae poenitentia delectatus, cibum potumque dimisit;[30] et amantissimus pater in confessione filii prodigi instruxit solemne convivium magna cum laetitia dicens: *Epulari et exultare oportebat, quia... hic mortuus erat et revixit, perierat et inventus est.*[31] Sic ait Dominus quod gaudium magnum in caelo est *coram Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente.*[32]

Sacerdotium Christi revera peccata dimittit divina auctoritate.

Antiqui sacerdotii tria vel maxime munera erant: primum quidem pro salute populi Deum iugiter deprecari; alterum vero populum ipsum sancta religione et scientia salutarium rerum imbuere; tertium vero sacrificiis divina lege praescriptis peccata eorum expiare, a peccatis emundare. Ita plane sacerdotium Christi, quod aaronico successit, multo praestantius multoque divinius, munera haec tria habet illis multis partibus superiora longeque praestantiora. Nam sacerdotium aaronicum non dimittebat peccata, non habebat claves regni caelestis; nunquam dictum fuit Aaroni quod Petro: *Tibi dabo claves regni caelorum,* etc.; nec sacerdotibus Veteris Testamenti quod sacerdotibus Novi: *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata,* etc.;[33] et: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta*

25) Apc 1, 5. 26) Ibid. 7, 14. 27) Ms.: *Narando.* 28) Cf. 3 Rg 24, 1 sqq.; 1 Par 21, 1-28. 29) Cf. 3 Rg 18, 38. 30) Cf. Lc 7, 36 sqq. 31) Ibid. 15, 32. 32) Ibid. vr. 10. 33) Mt 18, 18.

sunt, nam: *Sicut misit me vivens Pater, et ego mitto vos*,[34] idest divina praeditos auctoritate et potestate.

V. De Poenitentiae[35] laudibus Patres Sancti multa scripsere. Augustinus librum scripsit *De Vera et Falsa Poenitentia;*[36] Chrysostomus decem homilias[37] et insuper Sermonem valde praestantem;[38] Cyprianus insuper *De Lapsis;*[39] Tertullianus *De Poenitentia* scripsit.[40] Sic ostendunt Sancti Patres quod Poenitentia veluti scopus est Prophetarum et finis legis, initium evangelicae praedicationis: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum;*[41] via salutis, scala caeli, porta paradisi, gaudium Angelorum, sanitas infirmorum, vita et resurrectio mortuorum, remissio peccatorum, victoria daemonum; haec claudit infernum, Paradisum aperit; haec lepram mundat sicut aquae Iordanis, caecos illuminat sicut aquae Siloe,[42] morbos curat incurabiles sicut aquae piscinae,[43] Hebraeos salvat et Aegyptios perdit sicut aquae maris Rubri; tandem homini causa est aeternae beatitudinis: *Beati quorum remissae sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata.*[44] Ad hoc se venisse in mundum Dominus ait: *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam.*[45] Sicut Deus Ionam misit ad civitatem Ninive ad poenitentiam praedicandam, ita Unigenitum suum in mundum, et sicut Ionas Ninivitis interitum comminatus fuit, nisi poenitentiam agerent,[46] ita Christus: *Nisi poenitentiam egeritis, similiter peribitis.*[47]

Poenitentia est via salutis et causa aeternae beatitudinis;

Sicut autem Dei templum tribus partibus constabat,[48] ita et Poenitentiae sacramentum: contritione cordis: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, etc.; confessione oris, ut Lucas in *Actis Apostolorum* 19 ait: *Multi credentium veniebant confitentes et annunciantes actus suos*,[49] et Iacobus apostolus: *Confitemini al-*

tribus constat: cordis contritione, oris confessione et satisfactione.

34) Io 20, 21-23. Affert ordine inverso. 35) Quae in hoc numero continentur, alio atramento alioque stylo latiori exarata sunt. 36) P. L. 40, 1113-1130. 37) P. G. 49, 273-350, (ubi continentur novem homiliae); *Oratio de Poenitentia*, ibid. 59, 757-766; *Sermo de Poenitentia*, ibid. 60, 681-700. 38) Hunc sermonem valde praestantem putamus illum esse qui in edit. Migne ponitur ut homilia 5, ibid. 49, 275-276. 39) P. L. 4, 477-179. 487-490. 40) Ibid. 1, 1227-1242. 41) Mt 3, 2; 4, 17. 42) Cf. Io 9, 1-7. 43) Cf. ibid. 5, 2-4. 44) Ps 31, 1. 45) Lc 5, 32. 46) Cf. Ion 3, 1-4. 47) Lc 13, 3. 5. 48) Cf. 3 Rg 6, 2-6. 49) Act 19, 18.

terutrum peccata vestra;[50] ac tandem satisfactione, ut Daniel regi Nabuchodonor ait: *Peccata tua eleemosynis redime et iniquitates tuas miserationibus pauperum,*[51] et Dominus: *Facite eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.*[52] Sic Poenitentia tribus hisce partibus constans est, veluti arca Noe, quae utique tribus constabat partibus;[53] arca salutis a diluvio irae Dei.

SS. Patres docent catholicam veritatem auricularis confessionis.

Quod autem spectat ad auricularem Confessionem peccatorum coram sacerdote, docent Patres Sancti catholicam hanc veritatem: Gregorius Homilia 26 *in Evangelia;*[54] Augustinus tractatu 41 *in Ioannem*[55] et *De Verbis Domini,* Sermone 8[56] et 44;[57] libro etiam 50, homilia 27[58] et 49[59] homilia, *concione 2 in Psalmum 101;*[60] Ambrosius libro 1 *De Poenitentia,* capite 2[61] et 7;[62] Cyrillus *In Ioannem,* libro 12, capite 56;[63] Chrysostomus homilia 81 *in Ioannem;*[64] libro 3 *De Sacerdotio,*[65] homilia 5 *De Verbis Isaiae: Vidi Dominum;*[66] item Augustinus libro 2 *De Visitatione Infirmorum,* capite 4;[67] Cyprianus *De Lapsis*[68] et Epistola 10[69] et 55;[70] Tertullianus libro *De Poenitentia;*[71] Origenes homilia 2 *In Leviticum*[72] et *in Psalmum 37;*[73] Basilius *De Regulis Brevibus,* Quaestiones 229[74] et 288,[75] in *Epistola* etiam *Canonica ad Amphylochium.*[76]

50) 5, 16. 51) 4, 24. Vulg.: *Misericordiis pauperum.* 52) Lc 11, 41. Vulg.: *Date eleemosynam.* etc. 53) Cf. Gn 6, 15. 54) Lib. 2, (P. L. 76, 120-121). 55) Ibid. 35. 1695-1698. 56) Iuxta Migne serm. 67, cp. 1-2, ibid. 38, 433-435. 57) Iuxta Migne serm. 98, cp. 4-7, ibid. col. 593-595. 58) Iuxta Migne hom. 352, cp. 3, ibid. 39, 1558-1559. 59) Iuxta Migne hom. 392, cp. 3, ibid. col. 1710-1711. 60) *Enarrat. in Psalmos,* ibid. 37, 1306. 61) Ibid. 16, 467-469. 62) Ibid. col. 475-476. 63) P. G. 74, 722. 64) Iuxta Migne hom. 35, ibid. 59, 197. 65) Ibid. 48, 643-644. 66) Ibid. 59, 130-131. 67) P. L. 40, 1154. 68) Ibid. 4, 479. 489. 69) Iuxta Migne epist. 9, ibid. col. 251-252. 70) Iuxta Migne epist. 12, ibid. 3, 817. 71) Cf. supra not. 40 huius hom. 72) Cf. supra, not. 5 huius hom. 73) *Explanatio supra Psalmum 37,* hom. 2, (P. G. 12, 1381. 1386). 74) Ibid. 31, 1235. 75) Ibid. col. 1283. 1288. 76) Epist. 188, ibid. 32, 674; epist. 199, col. 726-727; epist. 217, ibid. col. 799.

ALIA HOMILIA [1]

Ante sex dies paschae venit Iesus in Bethaniam, etc. [2]

I. Lazarus suscitatus symbolum est peccatoris iustificati. Nam de filio prodigo dixit pater: *Filius meus hic mortuus erat et revixit, perierat et inventus est.* [3] Suscitatio autem Lazari opus fuit divinae potentiae et divinae bonitatis: divinae potentiae, quia magnum miraculum, divinae bonitatis, quia magnum beneficium; [4] ita de iustificatione peccatoris in Poenitentiae sacramento censendum est. Magnum miraculum est et magnum beneficium. Maius miraculum, ait Augustinus, iustificare peccatorem, quam creare caelum et terram, [5] dum creatur cor mundum in pectore hominis peccatoris: *Cor mundum crea in me, Deus.* [6] Est Poenitentiae sacramentum mirabilis quaedam alchimia qua, paucis verbis a sacerdote pronunciatis, mirabilis fit transmutatio et conversio in homine.

Poenitentiae sacramentum magnum est divinae bonitatis et potentiae miraculum.

II. De [7] Poenitentia tria videnda nobis sunt: primum necessitas, deinde veritas, tandem utilitas. Necessitas manifesta est: *Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum;* [8] *Nisi poenitentiam egeritis, similiter omnes peribitis.* [9] Poenitentia salvi facti fuere Ninivitae; nisi poenitentiam egissent periissent. [10] Ioannes hanc praedicavit: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum;* [11] similiter Christus: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum.* [12] Ostendit Christus poenitentiam esse veluti ianuam caeli. Ioannes in *Apocalypsi* vidit in caelo civitatem in quadro positam, habentem ad singulas plagas mundi tres portas. [13] Triplex enim aditus patet nobis in regnum caelorum, nempe vel per Baptismum: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit;* [14] *Nisi quis renatus fuerit,* etc. [15] vel per

De Poenitentia ostenditur primo necessitas.

Triplex est aditus in caelum: Baptismus, martyrium, poenitentia;

1) Atramento clariori exarata. 2) Io 12, 1. 3) Lc 15, 24. Vulg.: *Hic filius meus,* etc. 4) Cf. Io 11, 1-45. 5) *In Ioannem,* tract. 72, (P. P. 35, 1823). 6) Ps 50, 12. 7) Stylo strictiori. 8) Mt 18, 3. 9) Lc 13, 3. 5. Vulg.: *Omnes similiter peribitis.* 10) Cf. Ion 3, 1 sqq. 11) Mt 3, 2. 12) Ibid. 4, 17. 13) Cf. 21, 10-16. 14) Mc 16, 16. 15) Io 5, 5.

martyrium: *Beati qui patiuntur persecutionem propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum;*[16] hinc Stephanus in martyrio vidit caelum apertum,[17] sicut etiam in Christi baptismo apertum fuit caelum;[18] tandem per poenitentiam: *Appropinquavit regnum caelorum.*

Civitas haec tres has portas habet ex omni parte: ab oriente, ab occidente, ab aquilone, ab austro, quoniam Deus *vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire.*[19] Sed quisquis per unam harum portarum non ingreditur, non patet ei aliunde aditus in eam, quoniam civitas haec perfecte quadrata est, ex omni parte longitudo et latitudo et altitudo eius aequalia sunt. Longitudo autem duodecim millium stadiorum erat, tanta igitur et altitudo ipsius. Nemo potest aliunde ascendere et in eam intrare, nisi per portam. In singulis autem portis Angelus erat tanquam ianitor et custos ad excipiendos intrantes.[20]

paucissimi ingrediuntur per innocentiam, pauci per martyrium, remanet porta poenitentiae.

Quoniam vero de adultis paucissimi sunt qui intrant per portam baptismalis innocentiae et pauci etiam qui per baptismum sanguinis, idest per baptismum martyrii, remanet tertia porta poenitentiae. Huius autem portae claves Christus Petro promisit: *Tibi dabo claves regni caelorum.*[21] Videbatur autem requirere consequentia, ut diceret: cuicumque aperueris, apertum erit ostium, intrabit securus, et cuicumque clauseris, clausum erit, intrare non poterit, sicut Lucae 11: *Vae vobis legisperitis, quia tulistis clavem scientiae, ipsi non introistis et eos qui intrabant prohibuistis,*[22] et Matthaei 23: *Vae vobis, scribae et Pharisaei hypocritae, qui clauditis regnum caelorum ante homines,*[23] sumpta metaphora a domino domus qui, cum neminem vult, ipso nesciente, ingredi domum aut egredi, claudit ianuam, clave obserat clavemque secum tollit et servat. Sic Christus dat claves domus suae Petro, et tamen loco claudendi aut aperiendi, quod clavium proprium est, utitur verbis ligandi et solvendi, alia usus metaphora, ad declarandam utique naturam divinam huius Sacramenti; nam absolvendo a peccatis aperit peccatori ianuam regni

16) Mt 5, 10. 17) Cf. Act 7, 55. 18) Cf. Mt 3, 16; Mc 1, 10; Lc 3, 21.
19) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult... venire.* 20) Cf. Apc 21, 16.
21) Mt 16, 19. 22) Vr. 52. 23) Vr. 13.

caelestis, non absolvendo autem sed excommunicando, magis eum a regno caelorum excludit, cum privet eum suffragiis Sanctae Ecclesiae.

III. Quod spectat autem ad veritatem huius Sacramenti, quam novatores impugnant, sed non poterunt expugnare: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam,* [24] tria videnda sunt, nempe figurae huius Sacramenti in Veteri Testamento, promissiones in Novo et tandem ipsa institutio. Sic enim de Baptismo habemus figuras in aquis maris Rubri, [25] in aquis Iordanis, ubi Naaman syrus mundatus fuit a lepra, [26] in aquis piscinae, [27] in aquis Siloe; [28] promissiones: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto;* tandem institutio, cum Christus baptizatus fuit, cum ait: *Docete omnes gentes baptizantes eos;* [29] *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit;* ita de Eucharistia habemus figuras in sacrificio Melchisedech, [30] in convivio Abrahae, [31] in manna, [32] in panibus propositionis [33] et aliis; habemus promissiones: *Qui manducat hunc panem vivet in aeternum;* [34] tandem institutionem: *Hoc est corpus meum.* [35] Ita de Poenitentia sacramentali.

Ostenditur secundo veritas.

De Poenitentia habemus figuras, promissiones et institutionem;

Et quoad figuras quidem, visus est Deus extorsisse peccati confessionem ab Adam et etiam a Cain, ut Tertullianus libro 2 *Adversus Marcionem;* [36] S. Ambrosius libro *De Paradiso,* capite 14, [37] et libro 2 *De Cain et Abel,* capite 9; [38] S. Ioannes Chrysostomus homilia 18 in *Genesim;* [39] S. Gregorius libro 22 *Moralium,* capite 13. [40] Figura item fuit iudicium leprae solis sacerdotibus commissum, *Levitici* 13 [41] et 14, [42] ut Divus Hieronymus *In Matthaeum,* capite 16 [43] et Chrysostomus libro 3 *De Sacerdotio,* [44] *omnia* enim *in figura contingebant illis.* [45] Figura item sacrificium pro peccato, ut Regius Vates *Psalmo 50* ait: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum,*

figuras in Adam et Cain,

in iudicio de lepra,

in sacrificio pro peccato,

24) Ibid. 16, 18. 25) Cf. 1 Cor 10, 2. 26) Cf. 4 Rg 5, 1-14.
27) Cf. Io 5, 2-4. 28) Cf. ibid. 9, 1-7. 29) Mt 28, 19. 30) Cf. Gn 14, 18-19.
31) Cf. ibid. 18, 1-8. 32) Cf. Ex 16, 13-15; Io 6, 31-35. 33) Cf. Ex 25. 30; 40, 21.
34) Io 6, 59. 35) Mt 26, 26; Mc 14, 22; Lc 22, 19; 1 Cor 11, 24. 36) Cp. 25, (P. L. 2, 314). 37) Ibid. 14, 309-310. 38) Ibid. col. 354-355. 39) P. G. 53, 146. 156-157.
40) Iuxta Migne cp. 15, (P. L. 76, 230-231). 41) Cf. vr. 2. 42) Cf. vr. 2.
43) Lib. 3, (P. L. 26, 118). 44) P. G. 48, 544. 45) 1 Cor 10, 11.

In David.

etc.;[46] figura confessio ipsius David facta Nathan prophetae, a quo beneficium absolutionis accepit,[47] unde ait: *Peccatum meum cognitum tibi feci et iniustitiam meam non abscondi,*[48] dum illud libere ministro Dei confessus fuit; figura suscitatio figli viduae sareptanae per Eliam,[49] nam homo per peccatum moritur Deo: *Filius meus hic mortuus erat et revixit, perierat et inventus est;*[50] figura *Levitici* 5 et *Numerorum* 5, ubi iubentur peccatores peccata sua confiteri, nam *Levitici* 5, ubi Nostra Editio habet: *Poenitentiam agat de peccato suo,* hebraice est: *Eritque cum deliquerit in uno, ex his confitebitur quod peccavit,*[51] et *Numerorum* 5: *Vir sive mulier, cum fecerint ex omnibus peccatis, quae solent hominibus accidere... confitebuntur peccatum suum,* hebraice est: *Peccatum suum quod fecerunt;*[52] figura item fuit in suscitatione Lazari, cum Dominus ait: *Solvite eum et sinite abire,*[53] ut exponunt S. Irenaeus libro 5, capite 13;[54] S. Ambrosius libro 2 *De Poenitentia,* capite 7;[55] S. Augustinus Tractatu 49 *In Ioannem;*[56] *In Psalmum 101,* Concione 2;[57] Sermone 8[58] et 44[59] *De Verbis Domini;* S. Gregorius homilia 26 *In Evangelia*[60] et libro 22 *Moralium* capite 13.[61] Hoc autem veluti exemplum est eius quod agitur in Confessione.

In suscitatione filii viduae sareptanae

et Lazari.

Ostenduntur tandem promissiones

IV. Praeter figuras autem habemus promissiones, non unam quidem, sed duas; alteram Matthaei capite 16: *Quodcumque ligaveritis super terram,* etc.;[62] alteram 18: *Quaecumque alligaveritis super terram;*[63] semel et iterum promisit ad maiorem confirmationem, sicut duplici visione ostendit Pharaoni quae ventura erant.[64] Duplex autem haec promissio dederat vim et naturam huius Sacramenti.

et institutio.

Tandem habemus institutionem *Ioannis* 20: *Sicut misit me Pater et ego mitto vos... Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata remittuntur eis et quorum retinueritis retenta sunt.*[65]

46) Vr. 19. 47) Cf. 2 Rg 12, 1-13. 48) Ps 31, 5. Vulg.: *Delictum meum,* etc. 49) Cf. 3 Rg 17, 17 sqq. 50) Lc 15, 24. Vulg.: *Hic filius meus,* etc. 51) Vr. 5. 52) Vrr. 6-7. 53) Io 11, 44. 54) *Adversus Haereses,* P. G. 7, 1156. 55) P. L. 16, 510-512. 56) Iuxta Migne tract. 50, ibid. 35, 1757. 57) Ibid. 37, 1306. 58) Iuxta Migne hom. 67, cp. 1-2, ibid. 38, 433-435. 59) Iuxta Migne serm. 98, cp. 4-7, ibid. col. 593-595. 60) Lib. 2, ibid. 76, 1200-1201. 61) Iuxta Migne cp. 15, ibid. col. 230-231. 62) Vr. 19. 63) Vr. 18. 64) Cf. Gn 41, 1-35. 65) Vrr. 21-23.

Instituit prius suos vicarios, confert in eos auctoritatem et potestatem, quam a Patre acceperat: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra;*[66] *Ut sciatis quia Filius hominis habet potestatem... dimittendi peccata; Glorificaverunt Deum qui dedit potestatem talem hominibus.*[67] Quoniam autem divina, superhumana, superangelica haec est auctoritas, propterea dat eis prius Spiritum Sanctum: *Accipite Spiritum Sanctum,* ac deinde: *Quorum remiseritis peccata,* etc. Utitur eodem verbo, quo ad paralyticum: *Dimittuntur tibi peccata tua; Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus? Ut sciatis quia Filius hominis,* etc.;[68] Item cum peccatrici sanctae dixit: *Dimittuntur ei peccata multa; Quis est hic qui etiam peccata dimittit? Dimittuntur tibi peccata tua, vade in pace.*[69] Sic eamdem Apostolis tribuit facultatem dimittendi peccata, et vere dimittendi, non ostendendi dimissa, ut nugantur haeretici; neque enim dantur claves ad ostendendum ostium apertum vel clausum, sed ad aperiendum et claudendum, nec dantur vincula ad ostendendum hominem ligatum vel solutum, sed ad ligandum et solvendum.

Confessio igitur non est humanum inventum, ut blaterant novatores.

Aiunt novatores Confessionem humanum esse inventum ex mandato Innocentii Tertii.[70] Sed quomodo ante Innocentium Patres Confessionis expressam mentionem fecerunt? D. Bernardus[71] plane multo ante Innocentium fuit, ante Bernardum Beda,[71a] ante hunc Gregorius Magnus,[72] ante hunc Augustinus,[73] Hieronymus,[74] Ambrosius,[75] Chrysostomus,[76] ante hos omnes Cyprianus,[77] ante hunc Origenes,[78] hoc antiquior Tertullianus,[79] antiquissimus Irenaeus.[80] Hi tamen omnes expresse de Confessione locuti sunt. Lucas *Actuum* 19 ait quod multi credentium veniebant *confitentes et annunciantes actus suos,* et *multi qui fuerant curiosa sectati, con-*

66) Mt 28, 18. 67) Ibid. 9, 5. 8. 68) Mc 2, 5. 10. 69) Lc 7, 47. 49 sq. Affert ordine inverso. 70) Cf. S. Bellarminus *Controversiae,* t. 3, *De Poenitentia,* lib. 3, cp. 13, col. 1068-1069. 71) Epist. 113, (P. L. 182, 258); *Ad milites templi,* cp. 8, ibid. col. 931; *In tempore Resurrectionis ad Abbates,* serm. 2, ibid. 183, 287; *In Festo Omnium Sanctorum* serm. 1, ibid. col. 460; *De Diversis,* serm. 40, ibid. col. 647; *De cognitione Humanae Naturae,* cp. 9, ibid. 184, 500. 71a) *Expositio super Epistolas Catholicas,* (P. L. 92, 39-40); *In Marci Evang.,* lib. 1, ibid. col. 136; *In Ioannis Evang.,* ibid. col. 781. 72) Cf. supra, not. 40. 60-61, et hom. praeced., not. 54. 73) Cf. supra, not. 56-59, et hom. praeced., not. 55-60. 67. 74) Cf. supra, not. 43. 75) Cf. supra, not. 37-38. 55. et hom. praeced., not. 61-62. 76) Cf. supra, not. 39. 44, et hom. praeced., not. 37-38. 64-66. 77) Cf. supra, hom. praeced., not. 39. 68-70. 78) Cf. supra, hom. praeced., not. 72-73. 79) Cf. supra, not. 36, et hom. praeced., not. 40. 71. 80) Cf. supra, not. 54.

tulerunt libros et combusserunt coram omnibus. [81] Paulus 2 *Corinthiis* 5 ait: *Dedit nobis ministerium reconciliationis... et posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo legatione fungimur.* [82] Quodnam est hoc verbum *reconciliationis*, haec legationis functio ad reconciliandos homines Deo? Iacobus apostolus ait: *Confitemini alterutrum peccata vestra,* [83] idest homo homini, ne quis intelligeret de Confessione, quae in secreto fit Deo; Ioannes apostolus: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et iustus, ut dimittat nobis peccata nostra et mundet nos ab omni iniquitate.* [84]

Quod autem a Deo sit Confessio, hinc patet, quoniam optimum remedium est contra peccatum et valde repugnans humano sensui, ita ut nonnisi a Deo esse possit. [85]

81) Vrr. 18-19. 82) Vrr. 18-20. 83) 5, 16. 84) 1 Io 1, 9. 85) Pagina alba relicta, transit ad feriam sequentem.

FERIA QUARTA INFRA HEBDOMADAM MAIOREM

De Divinissimo Eucharistiae Sacramento

Sicut perpetua Dei praesentia in medio populi fuit maximum beneficium synagogae collatum,

I. Cum Deus Optimus Maximus antiquae synagogae multa magnaque beneficia contulisset eamque multis privilegiis decorasset, Divinus tamen Moyses, sapientissimus rerum aestimator, unum prae omnibus magnifacit dicens: *Non est alia natio tam grandis, quae habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest* nobis in *cunctis obsecrationibus nostris.* [1] Proprium semper fuit Dei ut inter multa opera sua unum aliquod praestaret omnium excellentissimum ac praestantissimum; sic inter sidera solem, inter metalla aurum, inter animalia hominem, in paradiso terrestri inter arbores lignum vitae; sic ut in populo unus esset summus princeps, Moyses, unus inter multos sacerdotes et levitas summus pontifex, Aaron, in templo inter multa ornamenta, arca testamenti in sancto sanctorum constituta; sic inter multa beneficia unum omnium maximum existimavit Moyses perpetuam Dei praesentiam in medio populi ad succurrendum eis in quacumque necessitate: *Deus noster adest* nobis in *cunctis obsecrationibus nostris.* Et merito quidem Moyses beneficium hoc aliis omnibus praetulit, nam in ceteris Deus sua dederat populo, in hoc autem seipsum.

Cum etiam Dominus noster Iesus Christus, verus Deus et homo, Ecclesiae suae Sanctae multa magnaque praestiterit beneficia mu-

1) Dt 4, 7.

ita sacramentum Eucharistiae fuit maximum beneficium collatum Ecclesiae.

neraque divina, omnium maximum et praestantissimum est Divinissimum Eucharistiae Protosacramentum, quod in fine vitae suae instituit, nam *cum dilexisset suos... in finem dilexit eos,*[2] ut abiturus a nobis, perpetuo tamen nobiscum maneret: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.*[3] In hoc enim vere totum seipsum dedit nobis, ut omnibus omnia esset: esurientibus cibus, sitientibus potus, infirmis medicina salutis, debilibus robur, afflictis consolatio, pauperibus thesaurus bonorum omnium, militibus pro regno Dei contra satanam, carnem et mundum certantibus, armatura Dei.

In hoc Sacramento totus Christus est, Deus et homo verus.

II. Sicut in Christo totus Deus est: *In quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter,*[4] et ipse Christus, Verbum Patris, totam Patris naturam, sempiternam virtutem et divinitatem exprimit et declarat, ita in hoc Sacramento totus Christus est, Deus et homo, quoniam vivum Christi corpus, vivus sanguis in eo continetur totamque Christi divinitatem, bonitatem, misericordiam, caritatem virtutemque omnipotentem declarat.

Eucharistia confert homini immortalitatem et divinitatem,

Divinum hoc Sacramentum lignum vitae est, nam: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.*[5] Nec tantum immortalitatem, verum etiam divinitatem homini confert, ita ut quod mendaciter satanas de ligno scientiae promisit: *Nequaquam moriemini,* sed *eritis sicut dii,*[6] verissime in hoc cibo continetur, nam: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo,*[7] idest particeps divinitatis meae erit, nam *qui adhaeret Deo, unus spiritus est*[8] cum eo.

virtutem contra satanam et dona caelestia.

In Divinissimo hoc Sacramento divina virtus continetur contra satanam et omnes daemones, sicut in arca testamenti virtus divina contra Dagon deum Philisthaeorum et contra ipsos Philisthaeos.[9] Magna etiam virtus ad ditandos fideles caelestibus bonis, sic enim arca Domini locupletavit domum Obededon, ubi multis diebus religiose admodum asservata fuit.[10] Hinc motus fuit David ut arcam

2) Io 13, 1. 3) Mt 28, 20. 4) Col 2, 9. Vulg.: *In ipso inhabitat,* etc. 5) Io 6, 59. 6) Gn 3, 4-5. 7) Io 6, 57. 8) 1 Cor 6, 17. 9) Cf. 1 Rg 5, 1 sqq. 10) Cf. 2 Rg 6, 11.

Domini induceret in domum suam: Ibo, inquit, et reducam arcam Domini cum benedictione in domum meam.[11]

Voluit Dominus ut arca illa testamenti universo populo summae esset reverentiae ac venerationis, ut semper velata teneretur, ne quis hominum eam videret et ne ipse quidem summus sacerdos, cum semel in anno intra velum in sancta sanctorum oraturus ingrediebatur, in ipsam oculos temere iniiceret sub mortis interminatione; iubebatur ut prius, thimiamate incenso, nebula oraculum operiret ac sic preces Deo funderet.[12] In transitu Iordanis iussit Dominus ut inter arcam et populum spatium interponeretur duorum millium cubitorum,[13] ne ad eam quis appropinquaret ut eam videre posset; Bethsamitarum multa millia periere, quia arcam videre ausi sunt;[14] Oza percussus a Domino statim interiit, quia arcam contingere praesumpsit, unde exterrefactus David, non fuit ausus in domum suam eam adducere.[15]

Arca Testamenti summae venerationis fuit populo,

Quare in ipso David tres pii animi affectus erga arcam Domini legimus: primo quidem piae religionis, cum eam de domo Abinadab adducere voluit in Ierusalem, ut eam in monte Sion, in loco decentissimo, quem ei in suo palatio praeparaverat, collocaret; secundo timoris et reverentiae: viso quod Ozae contigerat, destitit eam perducere, indignum se arbitratus tanto munere divini numinis; et tertio piae spei, audiens enim quod Dominus propter arcam benedixerat domui Obededon, spe animatus mutavit sapienter consilium arcamque illam tanquam thesaurum benedictionis Domini summo cum apparatu in Ierusalem perduxit et in domum suam intulit, plenus indicibili devotione et fervore spiritus.

timoris, reverentiae et piae spei divini auxilii David;

Ita erga Divinissimum hoc Sacramentum tres hi affectus quam maxime necessarii sunt. Supra modum autem fugienda est temeraria curiositas, hanc enim maxime aversatur Deus; hinc supra montem Sinai descendit in densissima caligine, ne quis eum videret, iussitque, mortem minitatus, ne quis ad montem accederet;[16] sic etiam Moysi dixit ne ad ardentem rubum propius accederet, nisi calcea-

eo magis hi affectus necessarii sunt erga Divinum hoc Sacramentum.

11) Cf. 1 Par 13, 3. 12) Cf. Lv 16, 1 sqq. 13) Cf. Ios 3, 1-4. 14) Cf. 1 Rg 6, 10-19. 15) Cf. 2 Rg 6, 2-19. 16) Cf. Ex 19, 9.

mentis solutis, idest summa cum reverentia;[17] nam nudis pedibus sacerdotes templum sanctum ingrediebantur.[18]

Eucharistia eosdem effectus operatur in anima quos cibus materialis in corpore,

III. Divinissimum hoc Sacramentum Christus cibum appellavit dicens: *Accipite et manducate: hoc est corpus meum;*[19] et alibi: *Caro mea vere est cibus.*[20] Sed consideranda nobis est divini huius cibi qualitas et natura. Naturalis cibus in nobis multos operatur effectus: tollit famem, oblectat gustum, nutrit corpus, auget sanguinem, dat vires et robur membris, resarcit humidum primigenium, fovet calorem vitalem, praeservat a morte vitamque sustentat, caput ipsum membraque omnia, factis accessionibus, ad iustam magnitudinem perducit. Datur etiam cibus, qui corpus a noxiis humoribus purgat et ab infirmitatibus curat, qui a morbis praeservat, qui optatam sanitatem diu servat.

Praeter haec autem, quae ordinaria ac naturalia sunt, in Divinis Litteris de cibis nonnulla supernaturalia legimus, uti de ligno vitae, quod homini immortalitatem vitamque perpetuam conferebat: Ne *sumat de ligno vitae... et vivat in aeternum;*[21] de pane subcinericio, quem Angelus dedit Eliae: *Et ambulavit in virtute cibi illius quadraginta diebus usque ad montem Dei Oreb;*[22] de manna caelesti, quod angelicis manibus parabatur, hinc panis dicitur Angelorum, cuius sapor erat multiplex et virtus divina ad vitam conservandam et praeservandam, nam quadraginta annis populus hoc cibo[23] usus, nullam passus infirmitatem fuit.[24]

sed multo praestantius atque perfectius.

Cibus autem hic divinissimus animarum cibus est. Effectus omnes, quos naturalis cibus operatur in corpore, multo praestantius atque perfectius operatur in anima: *Qui manducat hunc panem vivet in aeternum;* hinc Dominus panem verum dixit: *Pater meus dat vobis panem de caelo verum.*[25] Sic Christus dictus est *lux vera*[26] et *vitis vera,*[27] quia vere operatur in fidelibus suis quod sol in mundo et vitis in palmitibus; sic Eucharistia panis verus dicitur, quia vere operatur in spiritu effectus cibi materialis in corpore ac multo

17) Cf. ibid. 3, 2-5. 18) Cf. ibid. 30, 19-21; 40. 29-30. 19) 1 Cor 11, 24. 20) Io 6, 56. 21) Gn 3, 22. 22) 3 Rg 19, 8. Vulg.: *In fortitudine cibi illius,* etc. 23) Ms.: *Cibus.* 24) Cf. Ex 16, 14-35; Ps 77, 23-25; Sap 16, 20. 25) Io 6, 32. 26) Ibid. 1, 9. 27) Ibid. 15, 1.

praestantius, sicut Dominus ait de aqua sua: *Qui biberit ex aqua hac sitiet iterum; qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum,* quia non est corruptibilis aqua, sed *fiet fons,* etc. [28]

Christus Eucharistiam Ecclesiae providit in cibum, praemium et remedium,

Post transitum maris Rubri pluit Deus populo suo manna de caelo usque ad ingressum terrae promissionis. Mare autem Rubrum Baptismi symbolum extitit, sicut Paulus ait: *Omnes sub Moyse baptizati sunt* in *nube et in mari.* [29] Nonnisi post Baptismum licet vesci cibo hoc caelesti et divinissimo. Post transitum maris Rubri providit Dominus populo cibum et potum, manna de caelo, aquam de petra; [30] providit remedium contra venena ignitorum serpentium, ignitum serpentem aeneum, [31] et columnam nubis et ignis in ducem per desertum; [32] sic Christus Dominus Ecclesiae suae post Baptismum providit specialiter Eucharistiam in cibum, praemium, in remedium, et sacerdotium in ducatum.

sacerdotium autem in ducatum.

Ita in Ecclesia habemus doctrinam Scripturarum et gratiam Sacramentorum.

Sancta Ecclesia in *Canticis* sponsa dicitur habens ubera plena, et etiam Deus ipse *Deus uberum* [33] appellatur: *Meliora sunt ubera tua vino;* [34] in pectore nanque divinae bonitatis duo veluti ubera sunt: caritas Dei et misericordia: *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei.* [35] Ubera autem Sanctae Ecclesiae sunt doctrina Divinarum Scripturarum et gratia Sacramentorum; his uberibus nos pascit. Habuit etiam synagoga duo haec ubera, sed valde arida; Ecclesia autem lacte plenissima.

Divina haec coena fundata est in sapientia, potentia et divinitate Christi.

IV. *Ante* [36] *diem festum Paschae,* etc. Loquitur Ioannes de sapientia Christi: *Sciens Iesus;* de caritate Christi: *Cum dilexisset suos... in finem dilexit eos;* de potestate Christi: *Quia omnia dedit ei Pater in manus,* [37] idest: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra;* [38] de vera deitate Christi: *Quia a Deo exivit et ad Deum vadit.* [39] Nam sicut sapiens architectus magnam constructurus molem, prius magna, firma, solida iacit fundamenta, quae regere ac sustentare possint molem aedificii, ita Ioannes tractaturus de mysteriis [huius] coenae, prius haec fundamenta iacit. Si ficta haec coena

28) Ibid. 4, 13-14. 29) 1 Cor 10, 2. Vulg.: *In Moyse.* 30) Cf. Ex 17, 6; Nm 9, 11. 31) Cf. Nm 21, 6-9. 32) Cf. Ex 13, 21 sqq. 33) Sic enim *El Sadai* interpretatur. Cf. Gn 17, 1; Ex 6, 13; Is 66, 2. 34) Ct 1, 1. 35) Tit 3, 4. Vulg.: *Benignitas et humanitas apparuit,* etc. 36) Atramento clariori et stylo latiori. 37) 13, 1. 3. 38) Mt 28, 18. 39) Io 13, 3.

est, si palatium ex cartis aut telis confictum, quid opus fuisset tam magnis, tam firmis, tam solidis fudamentis sapientiae, potentiae et vere Deitatis Christi?[40]

In hoc divino Sacramento Deus vere comeditur.

V. Legimus[41] *Exodi* 24 capite quod, cum Dei iussu in montem ascendissent Moyses, Aaron, Nadab, Abiu et septuaginta senatores Israelis, idest reipublicae Hebraeorum principes, viderunt Deum Israel et sub pedibus eius erat veluti opus lateris sapphirini, purum instar caelestis corporis, ac statim subiungitur quod viderunt Deum et manducaverunt et biberunt.[42] Iusserat Dominus ut ascenderent et adorarent a longe; deinde dicitur quod ascenderunt quidem, non tamen exprimitur quod adoraverint, sed quod viderint Deum, quod manducaverint et biberint; nec dicitur quid manducaverint quidve biberint. *Psalmo 21* dicitur: *Domini est regnum et ipse dominabitur gentium; manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terrae.*[43] Quidnam est hoc? Num Deus comedi potest? Deus utique in Sacramento comeditur, sed supra montem, per quem designatur Ecclesia, quae civitas est supra montem posita: *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium.*[44] Sic Ierusalem, maxime vero civitas David, supra montem erat, etiam templum. Super hunc igitur montem principes et senatores populi Dei viderunt Deum et manducaverunt et biberunt; sic: *Manducaverunt et biberunt omnes pingues,* etc.

ALIA HOMILIA[1]

Indaganda est veritas Eucharistiae.

I. Veritas Divinissimi huius Sacramenti ex Sacris Litteris indaganda nobis est. Indaganda autem primo quidem ex figuris, deinde ex promissionibus, tertio ex verbis institutionis ac tandem ex ipso usu Ecclesiae ab initio.

Prius autem contra Sacramentarios advertendum illud est, quod I o a n n i s 6 legimus. Cum enim Dominus de Divinissimo hoc

40) Aliquae lineae albae relinquuntur. 41) Stylo strictiori. 42) Cf. vrr. 1-11. 43) Vrr. 29-30. 44) Is 2, 2.

1) Atramento nigriori exarata.

Sacramento verba fecisset, non solum multi, qui in eum non credebant, dixerunt: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* [2] verum etiam multi ex discipulis eius, quibus nunc Calvinistae successerunt, dicebant: *Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?* [3] Ad illos Dominus ait: *Nisi manducaveritis carnem,* etc.; [4] ad hos autem: *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis... ubi erat prius? Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam. Verba quae ego locutus sum, spiritus sunt et vita.* [5] Ubi in primis advertenda haereticorum vox est: *Quomodo potest? Quis potest eum audire?* Suo ingenio volunt mysteria divina metiri; quidquid non capiunt deliramentum putant. Sed in eos illud Isaiae quadrat: *Nisi credideritis, non intelligetis.* [6] *Hoc,* inquit, *vos scandalizat,* quod dixi me posse dare vobis carnem meam ad manducandum, cum adhuc praesens vobiscum sum? *Si ergo videritis Filium hominis... ubi erat prius?* Quomodo creditis me etiam, cum in caelum ascendero, id praestare posse? Propterea Calvinistae negant esse posse corpus Christi in Eucharistia, quoniam in caelum ascendit, in caelo est. [7] Ego vero propterea credo, quia propria virtute Christus in caelum ascendit; hinc enim sequitur ipsum verum Deum esse. Cum autem revera Deus sit omnipotens, potest ubicumque voluerit corpus suum ponere, fide tantum opus hic esse, non humana ratione. Nam propterea sequitur: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam.* Non loquitur Dominus de carne sua, cuius morte salvati sumus propter coniunctam divinitatem, sed de humana ratione et carnali sensu, qui contra spiritum concupiscit: *Verba quae locutus sum vobis, spiritus et vita sunt,* idest spiritualia sunt, vivificantia sunt; sicut: *Quod natum est ex spiritu, spiritus est,* [7a] idest spirituale est. Sunt, inquit, verba non humana, non naturalia, sunt supernaturalia et divina. Hinc supernaturali fide opus est, quae donum Spiritus Sancti est.

Sacramentum hoc mysterium est, quod ingenio humano metiri nequit,

sed fide opus est supernaturali ad illud intelligendum.

Sic a divinis mysteriis ablegandus longe est humanus sensus, divinus requirendus est intellectus; cavendum a curiositate humana,

2) Vr. 53. Sacramentariorum pater Berengarium fuisse videtur, de quo cf. infra, not. 95. pag. 619. 3) Ibid. vr. 61. 4) Ibid. vr. 54. 5) Ibid. vrr. 62-64. 6) 7, 9. Vulg.: *Non permanebitis.* 7) Cf. S. Bellarminus *Controversiae,* t. 3, *De Sacramento Eucharistiae,* lib. 3, cp. 4, col. 511-514. 7a) Io 3, 6.

et longe ablegandus humanus sensus.

ne contingat nobis id quod Bethsamitis contigit, propter curiositatem qua videre voluerunt quae latebant in arca mysteria, ac propterea ingenti plaga divinitus percussi fuere.[8] Bethsames domus solis interpretatur. Bethsamitae haeretici sunt, qui nonnisi quae sole clariora sunt credere volunt. Fide, fide hic opus est, vivificante Spiritu Sancto; tunc facile creduntur divina mysteria et intelliguntur. Propterea, inquit, scandalizamini, quia carnales estis non spirituales, quia vivificantem spiritum non habetis; nam caro mea propter coniunctam divinitatem, qua ascensurus sum ubi prius eram, spiritus et vita est, sicut ferrum ignitum et candens, ignitus carbo ignis est; propterea potest digne sumentibus dare vitam aeternam, quod proprium divinitatis est.

Divini huius Sacramenti habemus ab ipso Christo figuram in manna;

II. Hoc supposito, habemus Ioannis 6 divini huius mysterii figuram et promissionem. *Ego sum*, inquit, *panis vitae. Patres vestri manducaverunt manna in deserto et mortui sunt; qui manducat hunc panem, vivet in aeternum; et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*[9] Sed aiunt novatores non agi hic de Sacramento, sed de fide.[10] At vero omnes Patres uno ore, nemine discrepante, constanter asserunt agi de Sacramento, nam Ioannes, qui nonnisi maxima consectatus mysteria est de Divinissimo hoc Sacramento, nec minimum dixisset verbum et Christus nullibi explicasset Sacramenti huius virtutem et efficaciam, nullibi Sacramentum hoc tanquam ad salutem necessarium praecepisset, si non hic, cum ait: *Nisi manducaveritis carnem*, etc. Sicut enim necessitas Baptismi non habetur, nisi in verbis illis ad Nicodemum: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei,*[11] ita necessitas huius Sacramenti nonnisi hic habetur. Et si de fide tantum hic Christus loquitur, quid opus erat distinctione carnis et sanguinis, cibi et potus? Num tantum caro et sanguis Christi obiectum sunt fidei, non autem tota simul humanitas et divinitas?

Et si de fide loquebatur, quid novi, quid mirabilis dicebat, ut tam obscuris metaphoris, tanta cum asseveratione et replicatione, imo

8) Cf. 1 Rg 6, 10-19. 9) Vrr. 48-49. 52. Vulg.: *Si quis manducaverit ex hoc pane*, etc. 10) Cf. S. Bellarminus op. cit., t. 3, *De Sacramento Eucharistiae*, lib. 1, cp. 7, col. 367-368. 11) Io 3, 5.

etiam cum scandalo, nedum Iudaeorum, verum etiam discipulorum suorum? An non paulo ante manifeste ab eis fidem propriis verbis exquisierat? [12] Nonne etiam qui sub priori Testamento fuere in Christum crediderunt et panem hunc per fidem manducaverunt? Quomodo ergo ait illos non manducasse panem verum, quem daturus ipse erat? Quomodo ait: *Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita*? Quid est *dabo*? Iam tunc datus erat.

non loquebatur autem Dominus figurate de sola fide,

Et quis non videt quod iisdem fere verbis hic usus est, quibus in institutione? *Accipite et comedite*: *hoc est corpus meum quod pro vobis datur,* [13] et: *Panis quem ego dabo caro mea est,* quam ego dabo *pro mundi vita?* Et quid clarius dici potuit quam: *Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus; qui manducat,* etc.? [14] Intellexerunt omnes eum proprie loqui et scandalizati sunt, sicut paulo ante murmuraverunt, quoniam audierant eum dicentem: *Ego sum panis vitae, qui de caelo descendit et dat vitam mundo,* [15] dicebantque: *Nonne hic est... filius Ioseph?... Quomodo ergo dicit hic: Quia de caelo descendi?* [16] Sed non propterea Christus dictum suum correxit, quamvis incredibile illis videretur, quoniam proprie vereque loquebatur. Ita etiam murmurant Iudaei: *Quomodo potest hic carnem suam dare ad manducandum?* Scandalizantur multi discipulorum: *Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?* Dominus autem nec ipsis quidem discipulis, quibus solebat parabolas aperire, verbum ullum dicit, quo insinuet se parabolice esse locutum, sicut fecit cum Nicodemo agens de Baptismo. [17]

sed proprie, iisdem enim fere verbis hic usus est quibus in institutione,

sic intellexerunt qui eum audiebant;

Sed hoc velim a novatoribus scire: unde sciunt ipsi hic Dominum non vere et proprie, sed parabolice esse locutum. Si Dominus nullum in cibo et potu instituisset Sacramentum, cogeremur utique ad metaphoras confugere, sicut etiam in illis verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto,* confugiendum esset ad metaphoras, si nullum in aqua institutum esset Sacramentum. At cum Dominus vere in cibo et potu Sacramentum instituerit, quid cogit ad metaphoras confugere?

nihil ergo cogit ad metaphoras confugere.

12) Cf. ibid. 6, 26-29. Affert ordine inverso. 13) Lc 22, 19. 14) Io 6, 56-57. 15) Ibid. vrr. 33, 35. 16) Ibid. vr. 42. 17) Cf. ibid. 3, 3-15.

III. Magna mysteria et vix credibilia in Divinis Litteris praedicta semper inveniuntur; sic praedicta incarnatio, passio, resurrectio.[18] Praedixit saepe Christus passionem suam, praedixit resurrectionem et ascensionem in caelum,[19] praedixit missionem Spiritus Sancti,[20] praedixit Baptismi sacramentum. Cur non etiam Eucharistiam, qua vix ullum maius mysterium est? Cum igitur et ratione et Patrum omnium consensu agatur hoc loco de divinissimo Eucharistiae sacramento, habemus hic et figuram et promissionem. Figuram quidem mannae, et promissionem vero futuri doni: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* De manna ait: *Patres vestri manducaverunt manna in deserto et mortui sunt; qui manducat hunc panem vivet in aeternum.*[21] Paulus *ad Corinthios* docet mare Rubrum figuram fuisse Baptismi, manna vero Eucharistiae: *Omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt.*[22] Dicitur autem spiritalis, quoniam Christum praefigurabat, sicut ibidem dicitur: *Petra autem erat Christus,*[23] idest Christum praefigurabat.

Christus loquens de manna et figuram dedit et promissionum fecit Eucharistiae;

Nunc dico: si panis eucharisticus non revera Christi corpus continet, sed figura tantum et mysterio, sicut manna, quomodo panis hic melior est manna? Panis terrenus factus a muliercula et coctus in furno melior censendus est pane caelesti per Angelorum manus facto in caelo? Et quidem, si hic nonnisi panis est, significans tantum Christum, manna multo significantius Christum exprimebat, tum quia miraculo factum, tum quia de caelo descendebat, tum quia multo nobilior, salubrior, sapidior cibus erat.[24] Obiiciebant Iudaei Christo quod multo maius miraculum fuit manna in deserto quam panis ab ipso multiplicatus. Christus autem se verum panem daturum promittit, cuius comparatione manna minime censendus sit verus panis; panem autem hunc verum carnem suam dicit. Et item: *Patres vestri manducaverunt manna et mortui sunt; qui manducat hunc panem vivet in aeternum.* Adeo, inquit, manna virtute sua non potuit dare vitam spiritualem et aeternam, ut ne corporalem quidem dare perpetuam potuerit; hic autem panis vi sua potest et spiritua-

si autem panis eucharisticus non continet revera Corpus Christi, melior non esset manna,

18) Ms.: *Praedictam incarnationem, passionem. resurrectionem.* 19) Cf. Mt 16, 21; 17, 21-22; 20, 17-19; Mc 8, 31; Lc 9, 44. 20) Cf. Io 14. 16-17, 26. 21) Ibid. 6, 49. 59. 22) 1 Cor 10, 2-3. 23) Ibid. vr. 4. 24) Cf. Ex 16, 14-35; Ps 77, 23-25; Sap 16, 20.

lem et corporalem vitam in aeternum dare. Quomodo ergo, si in Eucharistia nonnisi panis est communis et factitius, tanto praestantior manna potest esse?

Quod autem dico de manna, idem de aliis figuris huius Sacramenti dicendum. Quomodo praestantior panis hic ligno vitae?[25] Quomodo praestantior agno paschali?[26] Quomodo praestantior pane dato Eliae ab Angelo, cuius virtute ambulavit quadraginta diebus usque ad montem Dei?[27]

nec aliis cibis qui Eucharistiam figurabant.

IV. Quod autem ad promissionem spectat, cum prius locutus fuisset Dominus de seipso sub panis metaphora: *Non Moyses dedit vobis panem de caelo, sed Pater meus dat vobis panem de caelo verum; panis enim Dei est, qui descendit de caelo et dat vitam mundo,*[28] ostendit panem hunc datum a Patre manducari per fidem dicens: *Ego sum panis vitae; qui venit ad me non esuriet et qui credit in me non sitiet in aeternum.*[29] At postea loquitur de pane, quem ipse daturus est, dicens: *Ego sum panis vivus qui de caelo descendi; si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*[30] Cumque, hoc audito, murmurarent Iudaei: *Quomodo potest hic,* etc.; subiunxit: *Nisi manducaveritis,* etc.; et: *Qui manducat meam carnem et bibit,* etc.; iterumque: *Caro mea vere est cibus,* etc.; *Qui manducat meam carnem,* etc.[31] Cumque, hoc audito, etiam discipuli mirarentur et scandalizarentur, sicut alibi scribae et Pharisaei, audito quod dixerat paralytico: *Dimittuntur tibi peccata tua,*[32] miraculo confirmavit quod dixerat, ita hic dicens: *Hoc vos scandalizat? Quid ergo si videritis Filium hominis,* etc.?[33] Sicut, inquit, possum corpus meum in caelum evehere et ad dexteram Dei collocare, ita possum hoc ipsum corpus meum in cibum dare. Sic ab omnipotentia probat se posse quod dixerat.

Habemus etiam promissionem ex ipsis Domini verbis.

V. Nunc ad institutionem ipsam veniendum est, quam tradunt M a t t h a e u s 26,[34] M a r c u s 14,[35] L u c a s 22,[36] P a u l u s *1*

Tandem habemus institutionem.

25) Cf. Gn 2, 9; 3, 22. 26) Cf. Ex 12, 1 sqq. 27) Cf. 3 Rg 19, 7-8.
28) Io 6, 32-33. 29) Ibid. vr. 35. 30) Ibid. vrr. 51-52. 31) Ibid. vrr. 53-57.
32) Mt 9, 2. 33) Io 6, 62-63. Vulg.: *Si ergo,* etc. 34) Cf. vrr. 26-29.
35) Cf. vrr. 22-24. 36) Cf. vrr. 19-20.

Corinthiis 11.[37] *Hoc est corpus meum*, sicut in transfiguratione: *Hic est Filius meus dilectus*,[38] itemque in baptismo,[39] et in die palmarum: *Hic est Iesus propheta a Nazareth.*[40] Non potuit apertioribus verbis Dominus loqui; nam Sacramentum instituebat; nunquam autem legimus metaphoricis verbis instituta esse Sacramenta, sed apertis et propriis, ne detur locus erroris, sicut in Veteri Testamento legimus institutionem circumcisionis[41] et sacrificiorum;[42] in Novo autem institutionem Baptismi.[43]

Testamentum confici debet apertissimis verbis;

Praeterea hic Dominus testamentum suum instituit: *Hic est sanguis meus Novi Testamenti;*[44] *Hic calix Novum Testamentum est in meo sanguine;*[45] alludit ad illud *Exodi* 24: *Hic est sanguis foederis quod pepigit Dominus vobiscum*,[46] sicut etiam *Hebraeis* 9 dicitur.[47] Vir autem prudens testamentum verbis conficit apertissimis, ut legimus in testamento Iacob, *Genesis* 49, post vaticinia,[48] et in testamento David, *3 Regum* 2,[49] ne heredibus detur litigandi locus. Hinc Paulus *Galatis* 3 ait quod *hominis confirmatum* sive authenticatum *testamentum nemo spernit* sive abrogat *aut superordinat.*[50] Ridiculum autem esset si, cum pater filio legat domum, possessionem aut villam, quis dicat quod imaginem, figuram aut picturam rei illius legavit. Quod si absurdum hoc est in quovis testamento, maxime vero in principum regumque testamentis, Christus autem summus princeps, rex regum est, quomodo sub metaphora suum condidit testamentum? Quis item principum leges promulgat et praecepta dat populis sub metaphoris? Hic autem praecipit Christus: *Accipite, comedite, bibite, facite.*

hoc est quod Christus fecit instituendo istud Sacramentum,

Et quidem scire a novatoribus vellem unde sciunt hic esse metaphoram, ubi nullum vel minimum cernitur metaphorae indicium. Quia, inquiunt, ait: *Hic est calix Novum Testamentum in meo sanguine.*[51] Sed quaenam hic figura? Num figuram calicis sumpsit, non verum calicem? Quid ergo dicere voluit? Hic est figura calicis, non verus calix? Et dato quod hic esset figura, tamen ab ipsismet Evan-

37) Cf. vrr. 23-25. 38) Mt 17, 5; Mc 9, 6; Lc 9, 35. 39) Mt 3, 17; Mc 1, 11; Lc 3, 22. 40) Mt 21, 11. 41) Cf. Gn 17, 10-14. 42) Cf. Lv 1, 1 sqq. 43) Cf. Mt 28, 19. 44) Ibid. 26, 28; Mc 14, 24. 45) Lc 22, 20; 1 Cor 11, 25. 46) Vr. 8. 47) 9, 20. 48) Cf. vrr. 29-30. 49) Cf. vrr. 1-9. 50) Vr. 15. 51) Cf. S. Bellarminus op. cit., t. 3, *De Sacramento Eucharistiae*, lib. 1, cp. 9, col. 372; cp. 11, col 393-394.

gelistis esset declarata. Nam Matthaeus et Marcus habent: *Hic est sanguis meus*, ubi Lucas et Paulus habent: *Hic calix Novum Testamentum est;* at ubi de corpore dicitur, omnes iisdem verbis loquuntur: *Hoc est corpus meum.* Mirabile est cum soleant Evangelistae in rebus etiam minutis declarare obscuras Christi locutiones: Hoc dixit *de templo corporis sui;* [52] *A fermento Pharisaeorum, quod est hypocrisis;* [53] *Si exaltatus fuero a terra... significans qua morte esset moriturus;* [54] *Alius cinget te et ducet quo tu non vis... significans qua morte glorificaturus erat Deum;* [55] *Ego sum vitis vera et vos palmites; sicut palmes non potest ferre fructum... ita et vos nisi in me manseritis,* [56] sic alibi saepe, et Apostoli, cum obscura Christi verba non intelligebant, quaerebant ab eo; [57] hic autem altissimum silentium; nec Christus aut Evangelista declarat, nec Apostoli interrogant. Paulus saepe solet figuras aperire: *Adimpleo ea quae desunt passionum Christi pro corpore eius,* declaravit: *quod est Ecclesia;* [58] *Ut scias quomodo oporteat te conversari in domo Dei,* declaravit: *quae est Ecclesia Dei vivi;* [59] cum autem tradit mysteria Divinissimi huius Sacramenti, nullam aperit figuram, imo ait: *Quicumque manducaverit panem vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* [60] Cur *reus corporis,* si corpus ibi non est? Quomodo addit: *Non diiudicans corpus Domini*? Num quisquis non reveretur, non honorat regis imaginem, non summa cum reverentia stat coram ea, nec recte se gerit coram ea, sicut coram rege, statim reus est laesae maiestatis? Et tamen Paulus ita loquitur: *Iudicium sibi manducat et bibit, qui non diiudicat corpus Domini.* [61] Non figuram, inquit, corporis, sed *corpus Domini.* Cur non ita qui manducabat absque debita reverentia agnum paschalem, carnem sacrificii aut manna reus erat corporis Domini? Cur non iudicium sibi manducabat, cum illa etiam corpus Domini significarent?

sicut tres Evangelistae et D. Paulus exponunt

Et quidem mirabile dictu est quod non ulli Sanctorum Patrum unquam in tot annorum centuriis venerit in mentem hic tropus et figura locutionis, sed omnes unanimi consensu, uno corde credide-

et omnes SS. Patres crediderunt et confessi sunt.

52) Io 2, 21. 53) Lc 12, 1. 54) Io 12, 32-33. 55) Ibid. 21, 18-19. Vulg.: *Glorificaturus esset Deum.* 56) Ibid. 15, 4-5. Affert ordine inverso. 57) Cf. Mt 13, 36; 15, 15; Mc 4, 10. 33-34; 7, 17. 58) Col 1, 24. 59) 1 Tim 3, 15. Vulg.: *Te in domo Dei conversari,* etc. 60) 1 Cor 11, 27. 61) Ibid. vr. 29. Vulg.: *Non diiudicans,* etc.

rint, uno ore confessi sunt, uno calamo scripserint haec verba simplicissime intelligenda esse, absque ullo tropo.

Nullum mysterium in Scriptura tam claris verbis traditur, sicut Eucharistia;

Unde ergo norunt gnostici hunc tropum? Ubi dicit Scriptura tropicam esse hanc locutionem? Non esse intelligendam ut iacet? Cui articulo fidei repugnat? Ascensioni, inquiunt. Sed Christus, cum instituit Sacramentum hoc, nondum in caelum ascenderat. Deinde quaenam repugnantia maior inter praesentiam Christi et Eucharistiam, quam inter unitatem Dei et Trinitatem? Num ut servetur unitas neganda est Trinitas? aut ubi expressius in Scriptura dicitur Deus Trinus quam hic dicatur praesens Christus in Sacramento: *Hoc est corpus meum?* Non tam lucidis et claris verbis in Divina Scriptura traditur mysterium Trinitatis, incarnationis, resurrectionis mortuorum. Nam Trinitatis mysterium illis verbis traditur: *Ego et Pater unum sumus,*[62] et: *Hi tres unum sunt;*[63] Incarnationis: *Verbum caro factum est;*[64] resurrectionis: *Mortui resurgent incorrupti.*[65]

Sed Ariani, qui Trinitatem negabant, dicebant non unum natura sed animorum concordia, veluti: *Rogo, Pater, ut sint unum, sicut et nos unum sumus;*[66] et: *Multitudo credentium erat cor unum et anima una.*[67] Marcionitae, qui veram incarnationem negabant, dicebant non veram sumpsisse carnem, quia ait: *In similitudinem carnis peccati*[68] et *in similitudinem hominum factus.*[69] Origenistae haeretici, qui veram carnis resurrectionem negabant, dicebant nos minime cum hac carne resurrecturos, quia Paulus ait: *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale,*[70] itemque: *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt,*[71] et Regius Vates: *Spiritus vadens et non rediens,*[72] et Iob 14: *Homo, cum dormierit, non resurget, donec alteratur caelum, non evigilabit.*[73]

His tamen non obstantibus, semper in Ecclesia catholica credita sunt firmissime haec mysteria; credunt nobiscum etiam Calvinistae. Cur non etiam mysterium corporis Christi, quod multo expressius

62) Io 10, 30. 63) 1 Io 5, 7. 64) Io 1, 14. 65) 1 Cor 15, 52. 66) Io 17, 22. 67) Act 4, 32. De Arianis cf. S. Epiphanius *Adversus Haereses*, haer. 69, (P. G. 42, 727 sqq.); S. Bellarminus op. cit., t. 1, *De Christo*, lib. 1, cp. 6, col. 727 sqq. 68) Rom 8, 3. 69) Phil 2, 7. De Marcionitis cf. Philastrius *De Haeresibus*, haer. 45, (P. L. 12, 1160). 70) 1 Cor 15, 44. 71) Ibid. vr. 50. 72) Ps 77, 39. 73) Vr. 12. De haeresi Origenistarum cf. S. Epiphanius *Adversus Haereses*, haer. 64, (P. G. 41, 523 sqq.).

traditur et absque ulla contradictione? Quod clarius et expressius traditur in Divinis Litteris firmius constantiusque credendum est. Clarius autem traditur mysterium Christi, quam alia pietatis nostrae potissima maximaque mysteria.

quod autem clarius traditur firmius credendum est.

Vellem autem ut dicerent cur hoc in loco verbum *est* idem sit ac significat, [74] non autem cum dicitur: *Verbum caro factum est;* aut cum dicitur: *Hic est Filius meus,* aut: *Qui est Deus benedictus in saecula.* [75] Si licet pro libito Scripturam invertere et pro animi libidine interpretari, quid firmum erit? ubi erit fides? Plane nullus erit articulus fidei, nam interpretari quis poterit: Deus est unus, idest figura unitatis; Deus est trinus, idest figura trinitatis, etc.

Veritas huius Sacramenti elucet etiam ex perpetuo usu Ecclesiae

VI. Tandem ex perpetuo usu Ecclesiae ab initio elucet veritas Divini huius Sacramenti. Nam in Ecclesia apostolica frequentissimus fuit huius Sacramenti usus. Siquidem: *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis et oratione;* [76] Paulus autem *1 Corinthiis* 10: *Calix,* inquit, *benedictionis cui benedicimus* (en consecratio), *nonne communicatio sanguinis Domini est? Et panem quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est?* [77] Postea vero capite 11: *Iudicium sibi manducat non diiudicans corpus Domini; reus erit corporis et sanguinis Domini.* In his verbis semper omnes Sancti Patres intellexerunt veritatem Dominici Corporis. Hinc passim vocant hoc Divinum Sacramentum pretiosum corpus, pignus salutis, pretium redemptionis nostrae, tremenda mysteria, multique disertis verbis dicunt non figuram hic corporis esse, sed ipsum verum corpus; affirmant etiam differre hoc Sacramentum ab agno paschali, manna, pane propositionis et aliis, sicut corpus ab umbra, veritatem a figura, rem caelestem et inconsumptibilem a consumptibili et terrena; docentque eumdem esse Christum in altari qui positus fuit in praesepio et qui nunc est in caelo; docent fieri hic realem conversionem panis in corpus Christi, qualis fuit conversio virgarum in serpentes, [78] aquae in vinum, [79] esseque miraculum hoc superans omnem humanum captum summaque fide

et interpretatione Patrum.

74) Sic verbum *est* Calvinus interpretatur. Cf. S. Bellarminus op. cit., t. 3, *De Sacramento Eucharistiae,* lib. 1, cp. 10, col. 379. 75) Rom 9, 5. 76) Act 2, 42. 77) Vr. 16.
78) Cf. Ex 7, 10-12. 79) Cf. Io 2, 6-10.

opus esse, ad eamque mutationem requiri omnipotentiam Dei. Interrogantes enim: quomodo potest hoc fieri? ad omnipotentiam Dei remittunt. Praeterea adorabant Patres Sancti Eucharistiam et adorandam praedicabant, asserentes etiam ab Angelis adorari.

haec enim ab initio Ecclesiae perpetua fuit et universalis fides.

Et haec fuit ab initio perpetua fides Ecclesiae, quam si novatores haberent, captivarent utique intellectum in obsequium Christi [80] et non sequerentur iudicium humanae rationis et sensus, nam: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam; verba* haec *spiritus et vita sunt.* [81] Non enim, ut supra diximus, hoc de carne sua locutus est Dominus, per quam, ut Paulus *Colossensibus* 1 ait, Deo reconciliati sumus [82] et per quam vitam aeternam accipimus, sed de sensu carnali, ut ex multis Divinarum Scripturarum locis perspicuum est, ubi caro contra spiritum distinguitur, ut: *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est,* [83] et saepe Paulus de spiritu et carne loquitur, [84] et Christus: *Spiritus promptus est, caro autem infirma.* [85] Utinam spiritum fidei et non sensum carnis in hoc mysterio sectarentur novatores!

Omnipotentiae Dei omnia possibilia sunt,

VII. Aiunt: quomodo potest idem corpus esse in pluribus locis? [86] Dico: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum;* [87] Deo omnia possibilia sunt. [88] Quomodo totus Deus, integra Dei essentia in pluribus partibus mundi? Quomodo tota Dei aeternitas in singulis partibus temporis? Quomodo, si plures essent mundi, Deus in omnibus esset? Quomodo Deus in tribus Personis? Quomodo eadem Persona Verbi tempore mortis in duobus substantiis humanitatis separatis? Quomodo tota anima hominis in omnibus partibus corporis?

Aiunt: quomodo potest corpus non occupare locum? [89] Dico: quomodo potest camelus per foramen acus transire? Quomodo hoc Deo possibile est? Quomodo potuit Christus clauso Virginis utero nasci? Quomodo clauso sepulcro exire? Quomodo clausis ianuis ad discipulos intrare? [90]

80) Cf. 2 Cor 10, 5. 81) Io 6, 64. 82) Cf. vrr. 20-22. 83) Gn 6, 3. 84) Cf. Rom 7, 5-7; 8, 5-9; Gal 3, 3; 5, 17. 85) Mt 26, 41. 86) Sic Wiclefus et Calvinus. Cf. S. Bellarminus op. cit., t. 3, *De Sacramento Eucharistiae*, lib. 3, cp. 1, col. 503. 87) Lc 1, 37. 88) Cf. Mt 19, 26; Mc 10, 27. 89) Ita Sacramentarii, de quibus cf. S. Bellarminus l. cit. not. 86. 90) Io 20, 19. 26.

Dicunt: quomodo potest verum corpus esse et non palpari nec videri?[91] Dico: quomodo potuit rubus ardere et non comburi?[92] Credant omnipotentiam Dei et satis erit. Non enim requiritur ut intelligamus divina mysteria, sed ut credamus. Christianos nos vult Deus, non philosophos, ut sequamur quid fides, quid luculentum Dei verbum doceat, non quid ratio sensusque humanus suadeat. Si divinam Christi omnipotentiam novatores revera crederent, divinum hoc mysterium non negarent.

nec necesse est ut mysteria intelligamus, sed ut ea credamus.

Dicunt boni isti viri regulam omnipotentiae Dei voluntatem esse, id posse Deum quod vult. Scimus eum posse omnia quae vult, verum etiam posse quae non vult, sicut mundum hunc solo verbo creavit, potuisset et potest creare innumeros: *Potens est Deus de lapidibus suscitare filios Abrahae;*[93] *Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc a me;*[94] potest facere ut camelus per foramen acus transeat. Deum autem non solum potuisse, verum etiam voluisse instituere et instituisse Divinum hoc Sacramentum ipsa perpetua fides universalis Ecclesiae manifestat. Cumque post mille annos Berengarius in Gallia haeresim hanc excitasset, contra eam universa insurrexit Ecclesia et pluribus coactis conciliis damnavit atque protrivit, ita ut eam ipsemet ipsius auctor Berengarius semel, iterum et tertio abiuravit.[95]

Dicunt sacramentum, idest sacrum signum corporis esse, ergo non verum corpus.[96] Mirabile argumentum! Quasi semper signum separatum sit a re signata. In baptismo Christi signum Spiritus Sancti fuit columba;[97] non igitur erat ibi Spiritus Sanctus? In transfiguratione nubes lucida signum fuit divinae praesentiae;[98] non ergo ibi Deus praesens? In die Pentecostes linguae igneae signum fuerunt Spiritus Sancti;[99] non ergo fuit ibi Spiritus Sanctus? Cum haereticos argumenta fabricari video, Hebraeos videre mihi videor verita-

Haec fides semper animis fidelium insedit

91) Ita Lutherus. Cf. S. Bellarminus l. cit. 92) Cf. Ex 3, 2. 93) Mt 3, 9. 94) Mc 14, 36. 95) Berengarius Turonensis et Archidiaconus Ecclesiae Andegavensis, damnatus primo fuit a Leone IX in concilio Romano, a. 1050, et Vercellensi item eodem anno celebrato; deinde a Victore II in Florentina synodo a. 1055; a Nicolao II in Romana a. 1059; a Gregorio VII in duobus conciliis Romanis, a. 1078 et 1079. In postremo formulam peculiarem subscribere compulsus est, postquam pluries vel iudices delusit vel ad vomitum rediit. Cf. Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symbolorum*, n. 355; S. Bellarminus, l. cit., lib. 1, cp. 1, col. 343; lib. 3, cp. 8, col. 330-335. 96) Ita Calvinus. Cf. S. Bellarminus, l. cit., col. 346-347. 97) Cf. Mt 3, 16; Mc 1, 10; Lc 3, 22. 98) Cf. Mt 17, 5; Mc 9, 6; Lc 9, 34-35; 2 Petr 1, 17. 99) Cf. Act 2, 3-4.

tem christianae fidei inanibus machinis humanarum rationum vel Scripturam perperam intellectarum impugnantes. Sed *portae inferi non praevalebunt adversus eam.*[100] Hinc videmus quod, cum fides huius mysterii difficillima sit, longe superans et excedens omnem captum humani intellectus et rationis, haereticorum autem sententia facillima sit creditu captuque, non tamen haeresis, tam facilis tamque humanis sensibus accomodata, potuit multitudini credentium, universum per orbem propagata Ecclesia, persuaderi; sed fides tam difficilis tamque humanis sensibus repugnans, animis omnium fidelium ab initio Ecclesiae firmissime insedit. Nec tantum ante exortam Berengarii haeresim, verum etiam postea fides haec fortissime propugnata est a viris sapientissimis atque sanctissimis, Anselmo, Bernardo, Dominico, Francisco, Thoma, Bonaventura, ab omnibus theologis, Doctoribus et Pastoribus christiani orbis.[101]

et a sanctissimis viris propugnata fuit.

100) Mt 16, 18. 101) Tribus paginis albis relictis, transit ad Feriam sequentem.

FERIA QUINTA IN COENA DOMINI

Ante diem festum Paschae, sciens Iesus quia venit hora eius ut transeat, etc. [1]

I. Ostenditur nobis Christus Dominus institutus a Deo Sacerdos secundum ordinem Melchisedech et hodie primam suam Missam Sacerdos Summus celebrat. Nobile admodum fuit sacerdotium Melchisedech, quoniam is simul erat sacerdos et rex, cui Abraham summus patriarcha munera obtulit, non ut regi, sed ut sacerdoti Dei, et ab eo benedictionem accepit.[2] Regius Vates, ad ostendendam summam dignitatem sacerdotii Christi, prius ostendit divinam dignitatem personae Christi: *Dixit Dominus Domino meo*: *Sede a dextris meis,*[3] quibus verbis ostenditur Christi divinitas, qua non filius David, ut secundum carnem erat, sed Dominus et maior David, secundum quam etiam dixerat: *Antequam Abraham fieret ego sum.*[4] Ostenditur autem Deus aequalis Patri, hoc est: *Sede a dextris meis.* Haec est infinita Christi maiestas, gloria, dignitas super omnes Angelos. Illi enim ministrant Deo, assistunt Deo, adorant Deum; Christus sedet a dextris Dei tamquam maiestate et gloria aequalis Deo. Postea, ostensa dignitate personae Christi, ostendit dignitatem sacerdotii: *Iuravit Dominus et non poenitebit eum*: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech,*[5] *sempiternum habet sacerdotium,*[5a] summus pontifex est. Hinc hodie in hac sua Missa ordi-

Christus a Deo institutus fuit Sacerdos

et quidem Sacerdos Summus, quia Deus-homo,

et hodie sacerdotes ordinat.

1) Pericope huius diei Io 13, 1-15. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Gn 14, 18-20; Hebr 6, 20; 7, 1 sqq. 3) Ps 109, 1. 4) Io 8, 58. 5) Ps 109, 4. 5a) Hebr 7, 24.

nat sacerdotes, consecrat Episcopos, promotionem agit Cardinalium, dum ait Apostolis: *Hoc facite in meam commemorationem.* [6]

Ad ostendendum quam divinum sit sacerdotium et Missae mysterium.

II. Quanti autem momenti sit hoc Christi sacerdotium et Missae sacrificium, ostendit Ioannes ex quibusdam praemissis. Divinus Moyses ostensurus mundi creationem, quoniam opus hoc magna moles est, magnum autem aedificium magnum utique requirit fundamentum, fundavit mundi creationem supra Dei omnipotentiam, dicens: *In principio creavit Deus,* [7] *Elohim, Dii,* ab *El,* quod est potentia, quare *Elohim* potentias significat, magnam potentiam, ipsam omnipotentiam. Potuit Deus mundum creare, quia omnipotens est, imo ipsa omnipotentia, sic potest sustentare super nihilo, quia omnipotens. Sic fere semper Prophetae magnum quid dicturi praemittunt: *Ait Dominus exercituum,* idest Deus omnipotens; sic cum Angelus Domini promisit Abrahamo, centenario iam, filium ex Sara nonagenaria, promissionem tam mirabilem fundavit super omnipotentiam Dei: num aliquid Deo est impossibile? [8] Deus ipse mittens Moysen in Aegyptum ad educendum inde populum, quoniam impossibile opus videbatur, ait: *Ego sum Deus, qui apparui Abraham, Isaac et Iacob in Deo omnipotente, et nomen meum Adonai non indicavi eis.* [9] Angelus Gabriel, agens cum Virgine Deipara de mysterio incarnationis Verbi, tale tantumque opus fundavit super omnipotentiam Dei dicens: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* [10] Ioannes autem divinissimum Missae Christi mysterium supra duas bases maximas illud fundat, nempe supra infinitam Christi caritatem: *Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos;* et super omnipotentiam ipsius: *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus et quia a Deo exivit et ad Patrem vadit, surgit a coena.* [11] Quid est: *in finem dilexit eos?* Signum ostendere voluit maximae summaeque caritatis, ultimum signum amoris, ita ut maius ne excogitari quidem possit. Sed coniunctus est immensus hic et maximus amor summusque bonae voluntatis affectus cum omnipo-

Christus supra duas bases illud fundat: infinitam suam caritatem et omnipotentiam.

6) Lc 22, 19; 1 Cor 11, 24-25. 7) Gn 1, 1. 8) Cf. ibid. 18, 14. 9) Ex 6, 2-3. Vulg.: *Ego sum Dominus,* etc. 10) Lc 1, 37. 11) 13, 1. 3-4. Vulg.: *Et ad Deum vadit,* etc.

tentia: *Sciens quia Pater omnia dedit ei in manus et quia a Deo exivit et ad Deum vadit,* quia natura atque persona Deus omnipotens est: *Omnia quaecumque voluit Dominus fecit in caelo et in terra;*[12] *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra:*[13] simul coniungit divinum velle et posse in eo qui potest omnia quaecumque vult. Super has autem duas bases plane infinitae molis fundat Ioannes divinum hoc Missae mysterium et sacerdotium Christi.

Quale igitur est et quantum mysterium hoc, quod tales tantasque requirit bases, tam solida fundamenta! Mundi creatio uni tantum nixa est omnipotentiae fundamento, incarnatio Verbi similiter; hoc autem mysterium duobus tam firmis, tam solidis.

Mysterium hoc tria continet: consecrationem, oblationem, communionem.

III. *Cum dilexisset eos.* Semper quidem ab initio saeculi Deus dilexit suos electos carosque; hinc ex collatis beneficiis multa habemus in Sacris Litteris divini amoris erga electos indicia. Sed nunc: *In finem dilexit* suos, hoc est maxima qua potuit caritate dilexit. Paulus ait caritatem Christi erga nos esse scientiae supereminentem,[14] idest omnino incomprehensibilem. Mysterium hoc opus est divinae caritatis et potentiae, non qualiscumque, sed maximae, sed infinitae. Nam in divinissimo hoc mysterio tria singulariter continentur: consecratio, oblatio et communio: consecratione fit Sacramentum, oblatione offertur dignum Deo sacrificium, communione percipitur divinissimum donum et beneficium. Consecratio, qua panis in corpus Christi transmutatur et vinum in sanguinem transit, divinissimum miraculum est; oblatio divinissimum sacrificium infiniti pretii et valoris apud Deum; communio infinitum beneficium, quo maius praestare nil potest Deus Optimus Maximus, infinitae licet potentiae et bonitatis.

Omnes fideles sunt quodammodo sacerdotes:

Licet autem consecratio ad solos sacerdotes spectet, quibus Dominus ait: *Hoc facite in meam commemorationem,* oblatio tamen in spiritu una cum sacerdote et communio tum in spiritu tum etiam realis Sacramenti perceptio communis est omnibus fidelibus. Quare sic omnes fideles sunt quodammodo sacerdotes, cum omnes possint offerre Deo divinissimum sacrificium et percipere Sacramentum;

12) Ps 134, 6. 13) Mt 28, 18. 14) Cf. Eph 3, 19.

et aliquando quidem maiori cum emolumento fideles ipsi, qui divinis intersunt Missae mysteriis, quam sacerdotes, si maiori cum devotione et fervore spiritus hi audiant Missam quam illi dicant.

unde etiam si sacerdos indignus sit, fideles item fructus percipiunt.

Saepe enim accidit ut sacerdos corvus sit deferens per singulos dies Eliae panem et carnem ad cibandum eum;[15] nec tantum panem, nec tantum carnem, sed panem simul et carnem. Deferebat corvus Eliae panem et carnem ore, nec tamen illa gustabat nec fructum ex eis percipiebat, sed tantum Elias, cui Deus corvi ministerio dona illa mittebat. Sic saepe non sacerdos, forte fortuna malus, corvus immundus, Deo minime gratus, qui divinissima haec mysteria conficit, fructum capit ex eis, sed Elias, fidelis Dei electus. Sic saepe sacerdotes apes sunt, qui non sibi mellificant.

Ostendit Dominus quanta opus sit puritate ad percipiendum hoc Sacramentum.

IV. Postea ostendit Dominus quanta opus sit puritate ad percipiendum divinissimum hoc Sacramentum. Prius enim lavare voluit pedes discipulorum suorum,[16] licet mundi essent: *Vos mundi estis; qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus.*[17] Abraham, prius quam coram Angelis panem et carnes apponeret ad comedendum, iussit lavari pedes eorum.[18] Talis et tanta est divinissimi huius Sacramenti dignitas, tam veneranda sanctitas, ut ad illud digne percipiendum non satis sit puritas Apostolorum, non ipsorum etiam Angelorum; propterea Dominus voluit abluere pedes Apostolorum, priusquam Divinissimum Sacramentum institueret eosque corporis et sanguinis sui participes efficeret ac sacerdotes Sacramenti huius ministros constitueret. Pedum autem ablutione, ut Cyprianus ait libro *De Coena Domini,* Poenitentiae sacramentum designatur,[19] quae veluti alter Baptimus est ad abluenda peccata: *Asperges me,* Domine, *hyssopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor.*[20]

15) Cf. 3. Rg 17, 6. 16) Cf. Io 13, 4-5. 17) Ibid. vr. 10. Affert ordine inverso. 18) Cf. Gn 18, 4. 19) In editione Operum S. Cypriani, pag. 695-700. Venetiis ad Signum Spei, 1547. 20) Ps 50, 9.

ALIA HOMILIA [1]

Ante diem festum Paschae, etc. [2]

Eucharistia est magnum mysterium, magnum miraculum et beneficium.

I. Loquitur Ioannes de Christi divina sapientia, caritate, potentia et vera Deitate in hoc Evangelio, ut sciamus quod divinum hoc Sacramentum opus est divinae sapientiae, caritatis, potentiae et verae Deitatis, quoniam magnum mysterium est, magnum miraculum, magnum beneficium. In ultima hac coena Dominus duo instituit Sacramenta: Eucharistiam et sacerdotium: *Hoc facite in meam commemorationem,* [3] *hoc*, quod ego feci.

Hodie Christus Apostolos ordinat in sacerdotes.

Sciendum autem quod, cum omnes Apostolos Christus hodie sacerdotes ordinaverit secundum ordinem Melchisedech, etiam Iudam pessimum, qui unus erat ex Apostolis, sacerdotem consecravit, ut sciamus etiam malos ac pessimos viros posse esse veros sacerdotes et ministros divinissimi huius Sacramenti. Cibatus fuit Elias ab Angelo, [4] cibatus etiam a corvo. [5] Bonus sacerdos *Angelus Domini exercituum est,* [6] malus autem sacerdos corvus est; sed tamen Elias verum cibum a corvo sicut ab Angelo accepit.

Christus sacerdos appellatur secundum ordinem Melchisedech,

Christus Dominus multis de causis dictus est sacerdos secundum ordinem Melchisedech, iuxta divinum oraculum: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech,* [7] quoniam futurus erat unicus sacerdos, sicut ille qui nec priorem habuit cui succederet nec posteriorem successorem; sic Christus manet unicus sacerdos in aeternum, [8] alii nanque sacerdotes ministeriales sunt; deinde quia rex simul et sacerdos, caput totius Ecclesiae in utroque foro, sicut ille in Salem; [9] item totus iustus et pacificus, maior Patriarchis, sicut ille Abrahamo superior.

singulariter ratione incruenti sacrificii Missae.

Sed singulariter ratione incruenti sacrificii Missae. Nam si non aliud sacrificium Christus instituit, nisi cruentum crucis sacrificium, tunc nulla esset ratio cur diceretur *sacerdos secundum ordinem Melchisedech,* qui nullum obtulit cruentum sacrificium, sed tantum incruentum, et non potius secundum ordinem Aaron, qui cruenta offerebat sacrificia.

1) Atramento clariori et stylo crassiori exarata. 2) Io 12, 1. 3) Lc 22, 19; 1 Cor 11, 24. 4) Cf. 3 Rg 19, 5-8. 5) Cf. ibid. 17, 3-6. 6) Mal 2, 7. 7) Ps 109, 4. 8) Cf. Hebr 7, 1 sqq. 9) Cf. Gn 14, 18-19.

At in Ecclesia Christi futurum erat perpetuum sacrificium, non secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech, quod purum et incruentum sacrificium offerebat. Sic Christus perpetuo per suos ministros offert Patri incruentum purumque corporis et sanguinis sui sacrificium sub specie panis et vini.

Sacrificium Missae est verum ac reale sacrificium,

II. Sacrificium Missae et verum est ac reale sacrificium incruentum et simul repraesentatio cruenti sacrificii; nam in pane repraesentatur corpus Christi mortuum et in vino sanguis pro nobis effusus. Nam sacrificia Veteris Testamenti et vera erant sacrificia et verae figurae cruenti crucis sacrificii.

licet, incruentum,

Aiunt haeretici non esse sacrificium sine sanguinis effusione. Dicimus verum in sacrificiis cruentis, imo in illis quidem sanguinis effusio et occisio victimae praecedebat sacrificium, nam revera non sacrificabantur nisi carnes iam occisi animalis; ita hic corpus Christi revera occisum offertur Deo et tanquam mortuum repraesentatur in hostia.[10]

habemus enim omnia quae in vero sacrificio requiruntur.

In sacrificio considerantur quattuor: sacerdos offerens, hostia oblata, Deus cui offertur, et populus pro quo offertur. In hostia autem quae offertur tria considerantur: consecratio, oblatio et consumptio, nam victimae consumebantur igne vel comedebantur ex legis praescripto. In sacrificio Missae panis et vinum revera et non secundum accidens consecrantur, nam per verba consecrationis transeunt secundum substantiam in sacratissimum corpus et sanguinem Domini fiuntque res sacratissimae atque sanctissimae. Deinde, facta consecratione, per elevationem et positionem super altare offeruntur Deo; ac tandem in communione consumitur et perficitur sacrificium.[11]

Quaeritur unde constet Missam verum esse sacrificium.

III. De Missae sacrificio duo videnda sunt: primum quidem an sit verum sacrificium, alterum unde constet verum esse sacrificium. Nam in Divinis Litteris reperitur verum sacrificium et metaphoricum: verum, quod obtulit Deo Abel,[12] Noe,[13] Abraham,[14] Iacob,[15]

10) De hac sententia Calvini cf. S. Bellarminus *Controversiae*, t. 3, *De Missa*, lib. 1, cp. 25, col. 785-786. 11) Quae sequuntur stylo valde strictiori exarata sunt. 12) Cf. Gn 4, 4. 13) Cf. Ibid. 8, 20. 14) Cf. Ibid. 15, 9-10. 15) Cf. ibid. 46, 1-2.

Moyses, Aaron factus sacerdos et pontifex. Est autem verum sacrificium res Deo per sacerdotem oblata ad latriae cultum ei exhibendum. Sic enim Abel obtulit de primogenitis gregis sui, sic Noe de animalibus mundis, sic Aaron offerebat oves, boves, agnos, haedos, turtures, columbas in cultum honoremque Dei. [16] Non tamen omnis oblatio est sacrificium. Nam oblata fuerunt Deo a populo aurum, argentum, aes, lapides pretiosi, ligna, purpura, hyacinthus et alia in opus tabernaculi, [17] quae tamen non dicuntur sacrificia. Similiter decimae offerebantur et primitiae; [18] item primogenita, maxime hominum, et loco primogenitorum oblati fuerunt Deo levitae, non tamen sacrificati. [19]

Quale verum sacrificium

Sacrificium hebraice *zebach* dicitur, a mactando; id proprie sacrificium dicebatur quod super altare mactatum Deo offerebatur et igne, saltem ex parte, cremabatur. Quare ad verum sacrificium oblatio requiritur, consecratio, mactatio super altare a vero et legitimo sacerdote, ut manifestum est ex Divinis Litteris ubicumque mentio fit de sacrificio vero, sive holocaustum fuerit, sive victima pro peccato, sive hostia pacifica.

et quale sacrificium metaphoricum.

Sacrificium vero metaphoricum est omne opus bonum factum in honorem Dei: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus;* [20] *Sacrificate sacrificium iustitiae et sperate in Domino;* [21] *Sacrificium laudis honorificabit me;* [22] *Offeremus vitulos labiorum nostrorum;* [23] *Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* [24] Saepe vero in Sacris Litteris distinguitur sacrificium verum a metaphorico: *Melior est obedientia quam victimae;* [25] *Misericordiam volo et non sacrificium;* [26] *Si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis; Sacrificium Deo spiritus contribulatus;* [27] *Quo mihi multitudo victimarum vestrarum? Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse, discite benefacere,* [28] et sic alias saepe.

16) Cf. Lv 3, 1 sqq. 17) Cf. Ex 35, 20-29. 18) Cf. Ex 22, 29-30; Lv 2, 12; 27, 1 sqq. 19) Cf. Ex 13. 2; Nm 3, 11-13; 8, 13-19. 20) Ps 50, 19. 21) Ps 4, 6. 22) Ps 49, 23. 23) Os 14, 3. Vulg.: *Reddemus vitulos*, etc. 24) Rom 12, 1. 25) 1 Rg 15, 22. 26) Os 6, 6. Vulg.: *Misericordiam volui*, etc. 27) Ps 50, 18-19. 28) Is 1, 11. 16-17.

Confutatur Lutherus

Admittunt haeretici Missam vel, ut ipsi dicunt, sacram actionem coenae, dici posse metaphoricum sacrificium, non autem verum; catholici vero omnes proprium et verum esse sacrificium constantissime asseverant. Lutherus negat Missae sacrificium, quia non legitur Christus in coena seipsum Patri obtulisse, sed corpus et sanguinem suum discipulis dedisse. Sed esto, non sit scriptum, ex pura negatione quid sequitur? Num omnia quae Christus egit scripta sunt? Deinde quid est quod apud Evangelistas et Paulum legimus: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, Hic est sanguis meus, qui pro vobis funditur?* [29] Cur non futuro, sed praesenti usi sunt? Tunc igitur Christus sacramentaliter sanguinem suum fudit in remissionem peccatorum, quod est veri sacrificii definitio.

Probat item Lutherus non esse sacrificium, quia sacramentum est repraesentativum mortis Christi. Sed quid impedit quin simul et verum sacrificium esse possit et veri sacrificii crucis repraesentativum? Omnia sacrificia Veteris Legis nonne simul vera erant sacrificia et simul sacrificii crucis repraesentativa?

et Calvinus.

Calvinus etiam in hanc descendit arenam dicitque Missam non esse verum sacrificium, quia sacrificium verum requirit verum sacerdotem; sed solus Christus est verus sacerdos in aeternum. Bene, sed summus et aeternus sacerdos. Etiam in Veteri Lege unus erat summus sacerdos, sub quo tamen multi erant sacerdotes. Christus autem non solum sacerdos dictus est, sed etiam magister, pastor, baptizator. Quid ergo? Nemo potest esse in Ecclesia magister, pastor, baptista? Sicut autem Christus per ministros baptizat, ita per sacerdotes offert Patri hoc sacrificium.

Addit quod sacrificium crucis perfectissimum est et infinitae virtutis, ergo iniuria fit ei adhibendo aliud sacrificium. Sed dico: cur sacrificia Veteris Legis non inferebant huic sacrificio iniuriam? cur non sacra coena? cur non Baptismus? Cur tantum hoc sacrificium cruci repugnat, quod revera nonnisi a cruce pendet nec aliud est nisi sacrificii crucis cum participatio tum etiam repraesentatio et commemoratio? [30]

29) Mt 26, 26. 28; Mc 14, 22-24; Lc 22, 19-20; 1 Cor 11, 24-25. Ex graeco. De hac Lutheri sententia cf. S. Bellarminus 1, cit., op. 24, col. 780-781.

30) Cf. S. Bellarminus l. cit., cp. 26, col. 782-787.

IV. Sed missas faciamus insanias. Missa in Ecclesia ab antiquissimis temporibus semper habita est uti verum Ecclesiae Christi sacrificium, ut manifeste patet ex *Liturgiis* Iacobi apostoli,[31] Clementis,[31a] Basilii[32] et Chrysostomi;[33] constat etiam ex Canone Missae Gregorii Papae,[34] qui iam a mille annis floruit. Si igitur Missa, ut novatores aiunt, manifesta est idololatria, quomodo Christus, optimus pastor Ecclesiae, tot saeculis reliquit universam Ecclesiam suam, cum Graecam tum Latinam, in tam pernicioso errore, ut nonnisi novissimis hisce temporibus Luthero revelaverit per diabolum, ut ipsemet confessus est, nec erubuit, in libro *De Missa Privata* se a diabolo per vigiliam edoctum Missam esse summam abominationem?[35] Revera optimum habuit magistrum et doctorem! Hic fuit Spiritus Sanctus, qui per os novi huius prophetae locutus est.

Ab antiquo Missa semper habita est uti verum sacrificium Ecclesiae,

Calvinus ait non posse excusari Patres quin peccaverint in sacrae huius actionis modo eosque imitatos esse iudaicum sacrificandi ritum praeter Christi ordinationem.[36] Melius enim novit Calvinus Christi ordinationem quam Chrysostomus ante Gregorium, quam Basilius, quam Clemens Petri discipulus, quam Iacobus frater Domini, qui praesens fuit Christi ordinationi et institutioni? Cyrillus Hierosolymitanus *Cathechesi Mystagogica* 4 et 5[37] et post eum Ambrosius libro *De Sacramentis,* 5 et 6,[38] magnam partem liturgiae exponunt. Ipsum autem sacerdotium in Christi Ecclesia, templa Deo dicata, altaria erecta et consecrata a primis christianae religionis temporibus, ab ipsis primordiis, nomina etiam sacrificii, hostiae, victimae, oblationis et similia apud omnes Sanctos Patres ab initio et in Sacris Conciliis, ubi de hoc mysterio agunt, veritatem hanc manifeste evincunt. Hinc eo progressi sunt novatores, Lutherus, Calvinus et alii, ut hac in parte, nam parum oris habent, omnes Patres nihil penitus curent. Patres enim homines fuere; ipsi

de hoc testantur variae liturgiae Veterum Patrum.

31) Cf. *Bibliotheca SS. Patrum, S. Iacobi Apostoli Divina Missa,* t. 6, col. 1-18. Parisiis, 1589. 31a) P. G. 2, 605-616. 32) Ibid. 31, 1629-1656. 33) Ibid. 63, 901-922. 34) Seu *Liber Sacramentorum,* (P. L. 78, 25-28). 35) Cf. apud S. Laurentium a Br., *Lutheranismi Hypotyposis,* part. 1, pag. 204. 36) Lib. 4 *Institut.,* cp. 18, par. 2. Cf. apud S. Rob. Bellarminum op. cit., t. 3, *De Missa,* lib. 1, cp. 18, col. 773. 37) P. G. 33, 1097-1106. 1109-1126. 38) P. L. 16, 446-462.

vero tantum divina tractant, videlicet ipsi homines non sunt. At vero neque Angeli. Ergo vel bestiae sunt vel daemones, imo utrumque: bestiae satanae spiritu loquentes, nam et bestiam satanae opera loquentem in *Apocalypsi* legimus,[39] satanas enim Dei simia est. Fecit autem Deus ut asina Balaam loqueretur.[40]

Probatur etiam Scripturarum testimoniis,

V. Non solum autem ex perpetuo et universali usu Ecclesiae, de quo dubitare, ut Augustinus ait, insolentissimae dementiae est,[41] veritas haec probatur, verum etiam Divinarum Scripturarum testimoniis, vaticiniis, figuris. Christus enim sacerdos futurus erat secundum ordinem Melchisedech.[42] Ergo instituturus erat sacrificium panis et vini; nam Melchisedech, sacerdos Dei Altissimi, panem et vinum obtulit. Sacrificium illud figura fuit sacrificii huius, sicut etiam mensa panum propositionis cum libaminibus.[43] Vaticinia habemus quamplurima. Salomon *Proverbiis* 9: *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum et posuit mensam.*[44] Episcopus et Martyr Cyprianus, libro 2, epistola 3,[45] et Augustinus libro 17 *Civitatis*, capite 20,[46] exponunt hunc locum de Eucharistia.

singulariter vaticiniis Isaiae

Isaias, capite 19, agens de conversione gentium, ait futurum altare in medio terrae Aegypti ipsosque Aegyptios oblaturos Domino hostias et munera;[47] capite 66 ait Deum ex gentibus ad Christi fidem conversis assumpturum sibi sacerdotes et levitas.[48] Sacerdos autem non eligitur nisi ad sacrificandum, nec intelligi potest de spirituali sacerdotio, nam sic non aliqui assumerentur, omnes enim sunt spirituales sacerdotes, qui Deum in spiritu et veritate colunt. Ieremiae 33 ait Deus de sacerdotibus et levitis: *Non interibit a facie mea qui offerat holocausta.*[49] Loquitur autem de Christi Eucharistia; distinguit autem sacerdotes a reliquo populo, sicut olim erant. Danielis 12 dicitur antichristus ablaturus ab Ecclesia iuge sacrificium,[50] quod singulis diebus offerri debebat.[51] Si nullum est in Ecclesia Christi sacrificium, quodnam ergo aufert antichristus?

et Malachiae.

Malachiae 1 ait

39) Cf. 13, 1-6. 40) Cf. Nm 22, 27-30. 41) Epist. 54 *Ad Ianuarium*, cp. 5, (P. L. 33, 202). 42) Cf. Hebr 6, 20; 7, 17 sqq. 43) Cf. Ex 25, 23-29. 44) Vrr. 1-2. 45) Iuxta Migne epist. 63, (P. L. 4, 377-378). 46) Ibid. 41, 529. 47) Cf. vrr. 19-21. 48) Cf. vrr. 18-21. 49) Vr. 18. 50) Cf. vr. 11. 51) Cf. Ex 29, 38-42; Nm 28, 3-8.

Deus: *Non est mihi voluntas in vobis... et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in Gentibus.*[52] Hunc locum de Eucharistia exponunt Iustinus in *Dialogo cum Tryphone,*[53] Irenaeus libro 4, capite 32,[54] Tertullianus libro 3 *Contra Marcionem,*[55] Eusebius Caesariensis libro 1 *Demonstrationis Evangelicae,* capite ultimo,[56] Chrysostomus *In Psalmum 95*[57] et homilia 2 *In Iudaeos,*[58] Hieronymus *In Malachiam,*[59] Augustinus libro 18 *Civitatis,* capite 35, et libro 19, capite 23,[60] Theodoretus *In Malachiam*[61] et Damascenus libro 4 *De Fide,* capite 14.[62]

Indicatur insuper in ipsis institutionis verbis.

VI. Hoc ipsum vero in ipsis etiam institutionis verbis indicatur. Nam ait Lucas 22: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur;* Paulus habet *1 Corinthiis* 11: *Quod pro vobis frangitur,* postea vero: *Hic est sanguis meus;* ait Matthaeus: *Qui pro vobis funditur,* sive fusus est; similiter Marcus; Lucas vero et Paulus: *Hic calix Novum Testamentum est in meo sanguine pro vobis fusus,* sic enim graece est, non enim refertur ad sanguinem, sed ad calicem. Quare non loquitur de effusione sanguinis in cruce, sed de sacramentali effusione. Quid est autem: dari corpus pro vobis, fundi sanguinem in Sacramento in remissionem peccatorum, nisi Deo immolari? Corpus Christi in cruce non fuit fractum; Paulus autem fractum dicit in Sacramento, utique sub specie panis, sic sanguis fusus sub specie vini. Alludit autem Dominus ad verba Moysi *Exodi* 24: *Hic est sanguis testamenti quod mandavit ad vos Deus;*[63] Christus enim in ultima coena testamentum suum fecit, in cruce vero morte sua confirmavit, nam non valet testamentum nisi post mortem testatoris.[64] Ut autem validum sit testamentum necesse est ut testator vivat integris sensibus sanoque iudicio, liber et sui iuris usque ad completum et obsignatum testamentum coram dignis te-

52) Vrr. 10-11. 53) P. G. 6, 535-563. 54) *Adversus Haereses,* iuxta Migne cp. 17, ibid. 7, 1023-1024. 55) P. L. 2, 323, 56) P. G. 22, 93-94. 57) Ibid. 55. 622-623. 58) Orat. 5, ibid. 48, 902. 59) Lib. 1, (P. L. 25, 1550-1551). 60) Ibid. 41, 594. 635. 61) P. G. 81, 1967. 62) Ibid. 94, 1150-1151. 63) Vr. 8. Ex Hebr 9, 20. 64) Cf. Hebr 9, 17.

stibus; itemque ut expresse dicat se testamentum facere perpetuo valiturum, ut exprimat hereditatem et nominet heredes. Haec omnia Christus in coena, non in cruce, egit. Cum igitur Christus alludat ad verba Moysi indicetque Vetus Testamentum Novi fuisse figuram, manifestum est sanguinem illum victimae fuisse iam immolatae. Christus ergo in coena Patri se immolavit.

et ex 13 Actuum

Praeterea *Actuum* 13: *Ministrantibus illis Domino et ieiunantibus*, graece est verbum *liturgeo*,[65] quod sacrificare significat, unde Erasmus vertit: *Sacrificantibus illis Domino;*[66] hinc Graeci Missae celebrationem liturgiam appellant.

et ex Divo Paulo.

Tandem Paulus *1 Corinthiis* 10 comparat mensam Domini, unde Eucharistia sumitur, cum mensis daemoniorum et cum altari Iudaeorum,[67] ita ut statuat tria altaria: Gentilium idolatrarum, Iudaeorum et christianorum. Ipsam vero Eucharistiam comparat cum sacrificiis Gentilium et Iudaeorum, ponens tria genera sacrificiorum: unum Gentilium, alterum Iudaeorum, tertium christianorum. Et quidem adeo coniunctum est sacrificium cum religione, ut, uno dempto, tollatur et alterum. Hinc Paulus *Hebraeis* 7 a translatione sacerdotii concludit translationem legis, ex translatione, inquam, sacerdotii Aaron in sacerdotium Melchisedech concludit translationem legis mosaicae in Evangelium.[68]

Nunquam fuit aliqua religio absque sacrificio.

Hinc nunquam fuit religio absque sacrificio, cum ipsa enim religione ortum est sacrificium, ut patet in Abele et Cain, absque Dei praecepto, ex ipso instinctu naturae. Probavit autem Deus sacrificia in signum pietatis cultusque divini, ut patet in Abel, Noe, Abraham, Iacob et aliis iustis ante legem; in lege autem una cum ipsa religione instituit sacerdotium et sacrificium perpetuum. Hinc samaritana, Christi fide suscepta, statim de publico et solemni cultu religionis quaesivit, idest de loco ubi sacrificandum Deo erat,[69] nam spiritualis et interna adoratio nullo speciali loco circumscripta erat. Cur igitur christiana religio sola debet esse sine sacrificio?

Dicunt sacrificium christianorum esse sacrificium crucis. Sed an non etiam sacrificium crucis Hebraeorum fuit sub lege Moysi et

65) Vr. 2. Sic graece legit etiam S. Rob. Bellarminus *Controversiae*, *De Missa* lib. 1, cp. 13, t. 3, col. 759. 66) Apud Bellarminum l. cit., col. 760; Io. De La Haye *Biblia Maxima*, t. 13, pag. 141. 67) Cf. vrr. 14-21. 68) Cf. vrr. 11 sqq. 69) Cf. Io 4, 20.

omnium fidelium sub lege naturae? Cur ergo illi, praeter sacrificium crucis omnibus commune, habuerunt etiam propria sacrificia, non autem christiana religio? Haeretici tanquam filii diaboli, qui summo odio prosequitur veram religionem, ut funditus evertant christianam religionem, tamquam antichristi praecursores, pro viribus tollere satagunt ex Christi Ecclesia iuge hoc sacrificium.

Ad essentiam sacrificii Missae pertinet consecratio et communio.

VII. Videndum autem in qua parte Missae consistat propria ratio et essentia sacrificii. Haeretici sacrificium hoc histrionicum et theatricum appellant, quasi nonnisi in apparatu sacrarum vestium et caeremoniis consistat. Sed cum filii sint diaboli, qui mendax semper fuit et pater mendacii,[70] non mirum si tam impudenter mentiantur. Non consistit autem ratio sacrificii in caeremoniis neque in orationibus aut lectionibus Sacrae Scripturae, nam haec ad ornatum adhibentur et ad devotionem excitandam; neque consistit in oblatione panis et vini, haec enim ad integritatem, non ad essentiam, requiritur sacrificii, non enim panis et vinum, sed corpus et sanguis Christi offeruntur. Habet autem Missa duas partes essentiales: consecrationem et communionem,[71] nam oblatio post consecrationem ad integritatem sacrificii spectat, non ad essentiam. Neque enim Christus eam adhibuit neque Apostoli qui, ut Gregorius tradit, ad consecrationem tantum orationem dominicam adiungebant.[72] Quare essentia sacrificii in ipsa consecratione consistit.

In consecratione res profana fit sacra, offertur Deo super altari et consumitur.

In consecratione enim tria fiunt: primum quidem res profana fit sacra, dum panis vertitur in corpus Christi; secundum ipsamet actione super altari offertur Deo, neque enim necesse est ut verbis hoc proferat sacerdos, nec legimus Patriarchas aut sacerdotes, dum sacrificarent Deo, dixisse: hoc tibi, Deus, sacrificium offero, nec Christus dixit in cruce; sed quod super altare Deo dicatum ponitur, opere ipso etiam sine verbis offertur; tertium tandem ordinatur ad consumptionem, nam per consecrationem corpus Christi accipit formam cibi, cibus autem ad comestionem ordinatur, per quam esse

70) Cf. ibid. 8, 44. De his haereticis cf. S. Bellarminus op. cit., t. 3, *De Missa*, lib. 2, cp. 3, col. 709. 71) Ms.: *Consecratio et communio.* 72) Iuxta Migne Epistolarum libri 9, indictio 2, epist. 12, (P. L. 77, 956-957).

amittit sacramentale desinitque esse cibus sensibilis, amissa forma cibi sensibilis, ac sic sacrificium hoc vere consumitur. Neque enim, ut impie nugantur haeretici, necesse est, si Missa verum est sacrificium, Christum ipsum revera occidere, eo quod omne animal, quod sacrificabatur, occidebatur. Nam licet offeratur hic vivum Christi corpus, tamen non [73] offertur in forma cruenti sacrificii, quale erat aaronicum, sed in forma sacrificii incruenti, quale fuit sacrificium Melchisedech. Sacrificia autem incruenta per comestionem consumebantur. Quare cum Christus in ea forma sacrificatur, ea etiam forma consumitur in communione.

Missa est sacrificium propitiatorium, eucharisticum, latreuticum,

VIII. Est autem Missa sacrificium virtute continens omnia antiquae legis sacrificia, holocausta, hostias pacificas, victimas pro peccatis, sacrificium propitiatorium, qualia erant sacrificia pro peccatis, quae etiam in lege naturae erant, sicut in libro I o b legimus, nam pro filiis sacrificabat et pro amicis etiam sacrificavit.[74] Quare sicut vera Ecclesia ante Christum non solum habuit sacrificium eucharisticum et latreuticum, qualia erant holocausta in divinum honorem et laudem, verum etiam propitiatorium et etiam impetratorium, quod hostia pacifica dicebatur, ita etiam Ecclesia post Christum.

sed maxime impetratorium, sicut fuit sacrificium Crucis.

Maxime vero impetratorium est hoc sacrificium, sicut etiam sacrificium crucis, non enim simpliciter et absolute ex opere, ut aiunt, operato iustificat, sicut Baptismus et absolutio, sed impetrando gratiam a Deo per ipsum placato. Nam neque crucis sacrificium attulit salutem mundo statim ex ipso opere, alioquin omnes homines per Christum essent absolute iustificati, sicut omnes sunt per Adami peccatum damnati; sed meruit et impetravit. Quare Missae sacrificium vim apud Deum habet per modum impetrationis, sive ut a Christo tanquam primario summoque sacerdote, sive a sacerdote Christi administro, sive ut ab Ecclesia per sacerdotem offeratur tanquam per sequestrem et mediatorem. Nam Christus, licet cum obtulit crucis sacrificium potuit mereri ex divina sua caritate et iustitia satisfacere pro peccatis mundi et impetrare, nunc tamen in caelo nec mereri amplius potest nec satisfacere, cum non sit amplius homo pas-

73) Ms.: *Tamen* bis ponitur, loco: *Non*. 74) Cf. 1, 5; 42, 8-9.

sibilis, sed tantum impetrare. Quare sacrificium crucis vere et proprie fuit meritorium, satisfactorium et impetratorium. Sacrificium autem Missae non ita ex sua vi, sed sicut oratio; licet possit esse et saepe sit meritoria ex caritate, satisfactoria ex labore, tamen ex vi sua impetratoria est; ita sacrificium hoc, cum sit veluti oratio, non verbis, sed opere facta.

Licet vero Christus supremus sacerdos, qui per administrum hoc sacrificium offert, infinitae sit dignitatis apud Deum, unde sacrificium crucis infiniti fuit meriti, non tamen infinitum est meritum huius sacrificii, alioquin unum [75] tantum sufficeret incruentum sacrificium, sicut unum suffecit cruentum. Est autem hoc minoris meriti, tum quia hic non consumitur esse reale Christi hominis, sicut ibi, sed esse sacramentale, et ibi obtulit Christus sacrificium per seipsum, hic autem per suum ministrum. Multum autem interest si ab imperatore rex aliquis aliquid petat per seipsum adeundo, vel per legatum mittendo, multo enim potentior multoque efficacior est illa quam haec petitio; sicut etiam efficacior est apud principem petitio legati nomine sui principis, quam nomine proprio.

quamvis fiat per ministros

et non esse reale Christi, sed esse sacramentale consumatur;

Tandem quia hoc sacrificium pendet omnino a sacrificio crucis, est quaedam participatio ipsius. Quatenus autem sacrificium hoc a Christo offertur, vim habet ex opere operantis, quia Christus placet Deo sicut Abel, sicut Noe, sicut Abraham; sed quatenus offertur a ministro, vim habet non tantum ex opere operantis, cum minister est bonus et sanctus, verum etiam ex opere operato, quia offert nomine Christi et offert illud ipsum quod Christus obtulit. Sed, ut dixi, propria efficacia divini huius sacrificii per modum impetrationis est, sive consideretur ut a Christo sive ut a sacerdote sive ut ab Ecclesia oblatum. [76]

sed etiam a ministro oblatum, vim habet ex opere operato,

Dicitur autem propitiatorium quatenus poenitentiam, contritionem, sive attritionem aut dispositionem ad eam [impetrat]. Sic etiam dicitur satisfactorium quatenus impetrat remissionem poenae; [77] meritorium quia impetrat gratiam bene operandi et quia per ipsum applicatur virtus passionis Christi. Perquam summe utile est cum vivis tum etiam defunctis, nam, ut Sancti Patres docent, non

impetrandi, propitiandi, satisfaciendi et merendi.

75) Ms.: *Una*. 76) Ms.: *Offertur*. 77) Ms.: *Culpae*, loco: *Poenae*.

solum pro vivis, verum etiam pro defunctis offertur, ut patet in *Liturgiis* Iacobi, Clementis et aliorum.[78]

Appendix.

In finem dilexit eos,[79] sicut Moyses, qui fere semper in vita sua patrem egit cum Hebraeis, sed severum, in fine tamen patrem clementissimum, unde benedixit eis, cumque moriturus esset, sua benedictione eos consolari voluit tanquam pater filios.[80]

78) Cf. supra, not. 30. 34. 79) Stylo latiori. 80) Cf. Dt 33, 1 sqq.

FERIA SEXTA IN PARASCEVE

Passio Domini Nostri Iesu Christi Crucifixi. [1]

I. Flebile spectaculum, vere tragicum et lacrimabile, sed tamen opus Dei supra modum mirabile proponitur nobis hodie, ut nec Angelis ipsis possit esse quidquam mirabilius, hinc cherubim in sanctuario divinum propitiatorium veluti mirantes intuebantur. [2] Cum enim illud divinitatis imago esset, sicut cherubim Angelorum imagines erant, erat multo sanguine aspersum, nam in die expiationis a pontifice sanctuarium ingrediente, sacro vituli et hirci cruore septies aspergebatur. [3] Hoc plane mirabile est: quid Deo cum sanguine? Hinc apud Isaiam legimus: *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra...? Quare rubrum est indumentum tuum?... Aspersus est sanguis... super vestimenta mea.* [4] Non mirantur Angeli Deum in throno maiestatis in paradiso, mirantur in cruce, in Calvario; non mirantur solem, quia divinissimae lucis suae splendoribus mundum universum, stellas omnes, caelos, aera, maria, terras illustrat, sed si lunae interpositione fons lucis patiatur luminis deliquium. Sic etiam Moyses vehementer miratus fuit cum Deus in deserto ei apparuit in rubo ardenti inter spinas, unde admirans ait: *Ibo et videbo visionem hanc magnam.* [5]

Flebile spectaculum et opus Dei mirabile proponitur hodie.

Mirabile mysterium, quoniam simul et opus Dei et opus satanae extitit; Iudaei autem simul fuerunt ministri et instrumenta tum Dei tum satanae. Nam si Iudas vendidit et tradidit eum, diabolo suggerente hoc fecit: *Cum misisset diabolus in cor ut traderet eum*

Passio Christi opus Dei et opus diaboli extitit.

1) Ex Liturgia. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Ex 25, 18-20; 37, 7-9. 3) Cf. Lv 16, 1-16. 4) 63, 1-3. 5) Ex 3, 3. Vulg.: *Vadam et videbo*, etc.

Iudas;[6] *Post bucellam introivit in eum satanas;*[7] hinc Dominus ait Iudaeis eum comprehendentibus in horto: *Haec est hora vestra et potestas tenebrarum.*[8] Opus item Dei, hinc orat Christus in horto: *Fiat voluntas tua; Non sicut ego volo, sed sicut tu; Si non potest hic calix transire* a me, *fiat voluntas tua.*[9] Hinc Petro dixit: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non* vis ut *bibam illum?*[10] Hinc Paulus: *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.*[11] Quare Iudaei Christum crucifigentes fecerunt voluntatem Dei et voluntatem satanae, fuerunt communes ministri inimicissimorum principum.

nam voluntas Dei fuit ut Christus pateretur.

Quapropter mysterium hoc duas veluti facies habet: alteram qua opus Dei est, alteram qua opus satanae, sicut columna nubis et ignis posita inter duos exercitus Hebraeorum et Aegyptiorum, his erat obscurissima illis autem splendidissima,[12] sicut nubes illa in qua descendit Deus ad dandam legem, extrinsecus erat tenebrosa et caliginosissima, intrinsecus autem lucidissima ac splendidissima;[13] sic Paulus ait quod *verbum crucis his qui pereunt stultitia est, iis autem qui salvi fiunt, virtus Dei;*[14] et item: *Praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam,* iis autem qui salvi fiunt *Dei virtutem et Dei sapientiam.*[15] Simile quid accidit in persecutione, quam Ioseph passus fuit a fratribus, unde ait: *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.*[16] Sic et Christi passio.

Qua opus satanae, fuit maxima impietas,

II. Et quidem, quatenus satanae opus extitit, Christi passio opus plane fuit infinitae impietatis, dignum ut Deus iustissima ira et indignatione commotus mundum universum perderet et ad nihilum redigeret, multo iustius quam cum Pentapolim igne succendit[17] aut cum aquis diluvii orbem impietate plenum necavit.[18] Nam huius rei causa obscuratus est sol, contenebrati caeli, terra contremuit ac si tota mundi machina dissolveretur et interiret.[19]

6) Io 13, 2. Vulg.: *Cum diabolus misisset,* etc. 7) Ibid. vr. 27. 8) Lc 22, 53. 9) Mt 26, 59. 42. 10) Io 18, 11. In recentioribus editionibus Vulg.: *vis ut* expunctum fuit. Cf. Eber. Nestle *Novum Testamentum.* 11) Rom 8, 32. 12) Cf. Ex 14, 19-20. 13) Cf. ibid. 19, 16. 14) 1 Cor 1, 18. Vulg.: *Pereuntibus.... Dei virtus.* 15) Ibid. vrr. 23-24. 16) Gn 45, 8. 17) Cf. ibid. 19, 24-28. 18) Cf. ibid. 7, 17 sqq. 19) Cf. Mt 27, 45-53; Mc 15, 33-38; Lc 23, 44-45.

Sed quatenus Dei opus extitit, sacramentum est infinitae pietatis, divinitate et sempiterna Dei virtute plenissimum. Crux enim arca testamenti est, in qua asservabantur mysteria potentiae, sapientiae et bonitatis Dei.[20] Miraculum est omnium operum Dei, sicut sol inter sidera. Regius Vates ait quod *caeli enarrant gloriam Dei,*[21] sicut opus laudat artificem, nam immensa haec mundi machina ostendit infinitam Dei potentiam, sapientiam et bonitatem; ad hos nanque divinitatis suae thesauros ostendendos omnia operatur Altissimus omnium artifex. Illud autem opus Dei praestantius iudicatur, in quo haec splendidius elucent. In opere autem incarnationis haec multo spectabiliora multoque clarius conspicua sunt, quam in opere creationis; nam tunc quidem mundus datus fuit nobis, at in opere incarnationis auctor ipse mundi, infinitus bonorum omnium thesaurus, fons vitae et felicitatis aeternae.

sed qua opus Dei, sacramentum est infinitae pietatis, potentiae et sapientiae.

Sicut autem a fructibus iudicatur quaenam arbor sit melior, nam quae meliores et praestantiores fructus producit melior nobiliorque censetur, ita de operibus Dei iudicandum. Opus creationis magnum quidem opus Dei et supra modum mirabile est, sed tamen ex magna hac arbore duos tantum fructus colligimus: alter quidem est vita corporalis, iucunda quidem et suavis, sed tamen mortalis est, brevis, incerta, multis periculis obnoxia, multis passionibus afflicta; alter fructus ad mentem spectat. Est autem naturalis philosophia multiplex rerum cognitio, divinitatis etiam contemplatio, nam *invisibilia* Dei *per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur,* etc.;[22] sed tamen verissimum est quod *cunctae res difficiles, non potest eas homo explicare sermone,*[23] unde sapientissimus Socrates aiebat: « Unum scio, quod nihil scio »;[24] rerum enim non exactam cognitionem certamque scientiam, sed opinionem probabilem et verosimilem multis laboribus vix tandem acquirimus, cum et rerum formas et rerum definitiones ignoremus nec demonstrationes habeamus.

Ex creatione datur nobis vita naturalis.

Effectus autem passionis Christi, fructus crucis, sunt multi, mirabiles, saluberrimi, divinissimi: Nam praeter gloriam, quam Christo crux peperit, ut Paulus ait: Christus *factus* est pro nobis

20) Idest virga, tabulae legis et vas mannae. Cf. Ex 16, 33-34; 25, 16. 21; 40, 18; Nm 17, 10; Dt 10, 5; Hebr 9, 4. 21) Ps 18, 1. 22) Rom 1, 20. 23) Eccle 1, 8.
24) Diogenes Laertius *De Vita et Moribus Philos.*, lib. 2, pag. 72.

sed ex passione Christi orta est vita supernaturalis, seu Ecclesia,

obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus, etc.,[25] sancta Ecclesia fructus est passionis Christi; hinc Paulus ait: *Posuit Episcopos regere Ecclesiam, quam acquisivit sanguine suo.*[26] Sic enim, dormiente Adamo, formata est Eva,[27] sic, immolato paschali agno, egressus est de Aegypto populus Dei,[28] sic hodie conversus est ad Christum latro,[29] conversus centurio: *Vere Filius Dei erat iste.*[30]

manaverunt Sacramenta,

Sacramenta Ecclesiae fructus sunt passionis: *Secundum misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti.*[31] Percussa petra, egressae sunt aquae largissimae. Sic iuxta altare sacrificiorum erant vasa aquae lustratoriae;[32] sic de latere Christi *exivit sanguis et aqua.*[33]

vita aeterna et gloria paradisi,

Vita aeterna et gloria paradisi fructus est passionis Christi: *Sicut Moyses exaltavit serpentem... ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis,* etc.;[34] sic post solis occasum vidit Iacob scalam, per quam Angeli in caelum ascendebant, vidit caelum apertum: hic domus Dei est et porta caeli;[35] sic, mortuo Aaron pontifice et Moyse hierarcha,[36] ingressus est populus terram promissam, siccato Iordanis alveo,[37] veluti aperta porta regni illius patribus promissi; sic latroni hodie ait Dominus: *Hodie mecum eris in paradiso;*[38] sic mortuo Christo, *multa corpora Sanctorum quae dormierant surrexerunt.*[39] sicut mortuus Eliseus mortuum suscitavit.[40]

redemptio generis humani,

Redemptio humani generis fructus est passionis Christi: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis.*[41] Sanguine agni paschalis redemptus et liberatus fuit populus Dei a captivitate Aegypti et tyrannide Pharaonis, in mari Rubro salvatus est populus ibique periit Pharao cum omni exercitu suo.[41a] Sicut enim virga Moysi devoravit serpentes Aegyptiorum,[42] et sicut serpens aeneus exaltatus superavit serpentes ignitos,[43] sicut etiam Iosue vicit Chananaeos,[44] sicut David gigantem Goliam[45] et sicut arca Dei capta a Philisthaeis deiecit Dagonem et universum regnum Philisthaeorum,[46] ita Christus in cruce sata-

25) Phil 2, 8-9. 26) Act 20, 28. 27) Cf. Gn 2, 21-22. 28) Cf. Ex 12, 1-28. 29) Cf. Lc 23, 39-43. 30) Mt 27, 54. 31) Tit 3, 5. 32) Cf. Ex 40, 27-30. 33) Io 19, 34. 34) Ibid. 3, 14-15. 35) Cf. Gn 28, 11-17. 36) Cf. Nm 20, 22 sqq. 37) Cf. Ios 3, 14 sqq. 38) Lc 23, 43. 39) Mt 27, 52. 40) Cf. 4 Rg 13, 20-21. 41) Mt 20, 28. 41a) Cf. Ex 14, 23 sqq. 42) Cf. ibid. 7, 10-12. 43) Cf. Nm 20, 5-9. 44) Cf. Ios 12, 7 sqq. 45) Cf. 1 Rg 17, 48-51. 46) Cf. ibid. 5, 1 sqq.

nam cum universis daemonibus vicit et superavit, infernum etiam spoliavit, sicut Paulus ait *ad Colossenses*: *Expolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso;*[47] hinc nanque eo moriente *petrae scissae sunt et monumenta aperta sunt et multa corpora surrexerunt;*[48] nam, ut ipse Dominus ait, non potest quis in domum fortis introire *et vasa eius diripere, nisi prius alligaverit fortem.*[49] Triumphus igitur Christi de victoria satanae, mortis et inferni fructus passionis est.

pax inter Deum et hominem,

Praeterea pax inter Deum et hominem fructus est passionis. Hinc Paulus *ad Colossenses* ait: *Reconciliare omnia per eum, pacificans per sanguinem crucis quae in caelis et quae in terra.*[50] Hinc Dominus *inclinato capite tradidit spiritum,*[51] ad designandum etiam quod ipse spiritus Christi in Ecclesia fructus est passionis ipsius: *Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Salvatorem nostrum, ut iustificati gratia ipsius, heredes simus secundum spem vitae aeternae.*[52] Quo loco docet Paulus etiam iustificationem fructum esse passionis, sicut *ad Romanos* ait: *Iustificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum;*[53] in[54] *Apocalypsi* legimus quod Sancti *laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni;*[55] et insuper quod hereditas vitae aeternae fructus est passionis eiusdem: *Heredes simus secundum spem vitae aeternae;* hinc Dominus pendens in cruce constituit Ioannem fratrem suum,[56] ergo filium Dei: *Quod si filius, et heres per Deum;*[57] *Heredes Dei, coheredes autem Christi.*[58]

iustificatio

et divina adoptio.

Specialissimus fructus fuit remissio peccatorum.

III. Fructus autem specialissimus passionis Christi est peccatorum remissio, hinc ait: « Hic est sanguis meus novi et aeterni testamenti, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum »;[59] itemque: *Dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo,*[60] et: *Dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de praesenti saeculo nequam,*[61] et iterum: *Dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate et mundaret sibi po-*

47) 2, 15. 48) Mt 27, 51-52. 49) Ibid. 12, 29. 50) 1, 20. Vulg.: *Omnia in ipsum... sive quae in terris sive quae in caelis.* 51) Io 19, 30. 52) Tit 3, 5-7. 53) 5, 9. 54) Ms.: *In* bis ponitur. 55) 7, 14. 56) Cf. Io 19, 26-27. 57) Gal 4, 7. 58) Rom 8, 17. 59) Liturgia Missae, forma consecrationis calicis, ex Mt 26, 28; Mc 14, 24; Lc 22, 20; 1 Cor 11, 25. 60) Apc 1, 5. 61) Gal 1, 4.

pulum acceptabilem.[62] Hinc primo omnium Christus in cruce pro peccatoribus Patrem exoravit dicens: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quod faciunt,*[63] *et exauditus est pro sua reverentia.*[64] Hac de causa velum templi scissum est, ut revelaretur sanctum sanctorum et divinum propitiatorium appareret. Et quidem hinc factum est ut cum mysterium passionis Christi sub Testamento Veteri mille praesignarent figurae, singulariter tamen sacrificium in die expiationis eius referebat imaginem, sicut Paulus *ad Hebraeos* ait: *Christus assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, idest non huius creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa;*[65] ubi Paulus antiqui illius sacrificii sacra mysteria omnia transfert in Christum Dominum.

iam praefiguratus in sacrificio in die expiationis;

Pro expiatione et remissione peccatorum totius populi offerebat summus pontifex, lineis tantum indutus, sacrificium Domino vitulum pro peccato, arietem in holocaustum et hircum pro peccato, et cum sanguine vituli et hirci ingrediebatur solus ipse in sanctum sanctorum, adferens etiam thuribulum plenum ignitis carbonibus cum incenso; sicque, oblato sanguine fusisque precibus, Deum placabat et universo populo plenariam omnium peccatorum remissionem et indulgentiam impetrabat.[66] Ait igitur Paulus Christum esse verum pontificem, summae apud Deum auctoritatis; pontificem autem, non intercessorem et impetratorem praesentium, idest temporalium et terrenorum bonorum, sed futurorum, idest caelestium et aeternorum, qui per tabernaculum, non arte humana factum, sed divinitus fabricatum, per templum corporis sui, per crucem et passionem suam - *Oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam,*[67] - *neque,* inquit, *per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem* - nam *per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo - introivit semel in sancta,* in caelestem gloriam, *inventa aeterna redemptione* et salute generis humani. Considerat igitur Paulus passionem Christi tanquam sacrificium, sicut alibi

passio enim Christi verum sacrificium fuit oblatum pro peccatis nostris,

62) Tit 2, 14. 63) Lc 23, 34. Vulg.: *Dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.*
64) Hebr 5, 7. 65) 9, 11-12. 66) Cf. Lv 16, 1 sqq. 67) Lc 24, 26.

ait: *Semetipsum obtulit pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.* [68]

Praecipue autem effectum sacrificii huius considerat Paulus: *Introivit,* inquit, *in sancta, aeterna redemptione inventa. Si enim sanguis hircorum aut vitulorum inquinatos sanctificat, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientias nostras ab operibus,* etc.? [69] Nam pontifex sacrificio illo et sanguine universalem remissionem peccatorum omnium universo populo a Deo in sanctum sanctorum ingressus obtinebat. Hic veluti unicus effectus est passionis Christi. Hinc Paulus *ad Romanos* ait: Ipsum dedit *propitiatorem in sanguine suo ad ostensionem iustitiae suae;* [70] et Ioannes: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris;* [71] alter autem Ioannes: *Ecce Agnus Dei,* etc.; [72] et Angelus: *Salvum faciet,* etc. [73]

sicut clare exponit D. Paulus,

Hic autem unus effectus abunde ad salutem nostram sufficit. Nam cum homo esset *ad imaginem et similitudinem Dei* [74] conditus, filius et heres Dei institutus, Spiritu Sancto, gratia et virtute plenus, immortalitate donatus, mundi dominus constitutus, in summo honoris, dignitatis et auctoritatis gradu positus, ut perpetua felicitate paradisi frueretur vitamque beatissimam aeternum viveret, postea, cum satanae opera in peccatum lapsus fuisset, bona haec omnia amisit et tyrannico gravissimoque satanae iugo subiectus fuit, nam *a quo quis victus est, illius et servus est.* [75] Peccatum igitur homini malorum omnium seminarium, radix et causa fuit. Sicut interpositio terrae in causa est ut luna luminis deliquium patiatur, ea autem remota, statim ad pristinam claritatem prioremque gloriam redit, solari iubare illustrata, sic, remisso peccato, malorum omnium causa sublata per Christum, homo pristinae integritati et statui restitutus est.

quod certe maximum est beneficium,

quia, remisso peccato, homo pristinae integritati restituitur.

IV. In hoc mysterio expiationis tria sunt observanda. Primam quidem quod, ut *Levitici* 16 legimus, pontifex eo die offerens sacrificium expiationis non utebatur vestibus, quae dicebantur gloriae

In passione Christi tria consideranda sunt:

68) Eph 5, 2. Vulg.: *Tradidit semetipsum,* etc. 69) Hebr 9, 14. 70) 3, 25. Vulg.: *Propitiationem. Propitiatorem* lect. cod. Cf. *Biblia Lovaniensis.* 71) 1 Io 2, 2. 72) Io 1, 29. 36. 73) Mt 1, 21. 74) Gn 1, 26-27; 9, 6. 75) 2 Petr 2, 19. Vulg.: *Superatus est, huius,* etc.

et honoris, sed tantum vestibus lineis, quae dicuntur vestimenta sancta sive sanctitatis; sic hodie Christus non apparet in habitu gloriae, sicut in transfiguratione, sed tantum innocentiae, nam in eo nulla causa mortis inventa est: *Talis decebat ut nobis esset pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus;*[76] hinc Christus hodie veste alba indutus fuit.[77]

Christus innocens passus est;

Alterum est quod pro peccatis populi ad placandam iram Dei mactabantur animalia munda et innoxia. Peccatum delictum capitale est: *Stipendia peccati mors;*[78] *In quacumque die comederis... morte morieris.*[79] Deus autem peccati poenam a noxiis hominibus ad innoxia animalia transferebat; nam eo die sacerdos supra caput hirci confitebatur omnia peccata populi et per hominem mittebat hircum illum peccatis onustum in montem desertum, ut ibi a feris discerperetur; innoxium animal alienis peccatis oneratum mittebat in dispersionem, ut illorum poenas lueret. Sic per Isaiam Dominus ait: *Propter scelus populi mei percussi*[80] [*eum*]*; posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostrae super eum et livore eius sanati sumus.*[81] Sic igitur innoxio sanguine placabatur Deus ad dimittenda peccata, ad satisfaciendum populum.

hoc sanguine innoxio Deus placatus peccata remittit.

Christus Deus est infinitae virtutis et gloriae;

Postremum autem est, quod sacerdos divinum etiam propitiatorium sanguine illo sacro septies aspergebat, cuius rei veluti mirari videbantur cherubim, qui Angelorum in caelo imagines referebant. Propitiatorium autem illud divinam maiestatem repraesentabat. Hoc plane mirabile Deum videre sanguine respersum, cruentatum. Sanguis autem passionis et mortis symbolum est, nam, effuso sanguine, animal et patitur et moritur. Deo autem universa philosophia tribuit, uno omnium sapientium ore, omnipotentiam infinitam paremque sapientiam et bonitatem, summam maiestatem cuncta regentem, caelos et naturam moderantem, vitam beatissimam perpetuam ac sempiternam immortalitatem, ac tandem bonorum omnium infinitum thesaurum. Sic septem hisce veluti radiis splendet aeternus lucidissimus sol divinae naturae.

76) Hebr 7, 26. 77) Cf. Lc 23, 11. 78) Rom 6, 23. 79) Gn 2, 17.
80) Ms.: *Percussi* bis ponitur. 81) 53, 5. 6. 8. Affert ordine inverso.

Hodie autem sol iste veluti totus cernitur eclipsatus, sicut obscuratus fuit eo moriente. Divinum autem propitiatorium totum aureum solis instar fulgebat, hinc sanguine respersum cherubin mirabantur. Hodie autem divinum hoc propitiatorium sanguine cruentatum est, adeo ut vix auri fulgor vel ex minima sui parte micaret, ex quo enim Christus captus in horto fuit usque ad extremum spiritum in cruce, vix aliquod indicium apparuit divinitatis ipsius. Nullum signum omnipotentiae aut sapientiae vel bonitatis, nullum maiestatis et gloriae, nullum felicitatis et immortalitatis divinae, nullum divitiarum ipsius. Rex, mutato habitu, descendit in proelium.[82]

et tamen hodie omnes divinitatis suae radios abscondit.

V. Christi Domini passio in Divinis Litteris, non uno sed pluribus modis repraesentatur nobis. Primo quidem tamquam acerbissimum martyrium et gravissima persecutio, quam passus est a Iudaeis; sic praefigurata fuit in morte Abel,[83] in acerba persecutione Ioseph a fratribus,[84] in occisione Prophetarum. Aliquando repraesentatur tamquam sacrificium Deo acceptissimum; sic praefiguratus est in sacrificio Isaac,[85] in sacrificio virginis filiae Iephte,[86] in sacrificio expiationis et aliis quae fiebant in templo. Nonnumquam veluti exemplum virtutum et remedium contra vitia et peccata; sic praefigurata est in patientia Iob,[87] in exaltatione serpentis aenei, in virga Moysi quae conversa in colubrum devoravit serpentes magorum Pharaonis. Aliquando tandem ut magnum, imo maximum ac divinissimum beneficium; sic praefigurata est in occisione agni paschalis, in percussione petrae in deserto,[88] in Iona proiecto in mare ne periret navis.[89] Sic quattuor hisce modis consideranda nobis est hodie.

In divinis Litteris Christi passio multifarie repraesentatur.

VI. Est etiam Christi passio, si rite consideretur, opus divinae caritatis: *Sic Deus dilexit mundum;*[90] *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei;*[91] opus item divinae iustitiae ad punitionem peccati; opus potentiae contra satanam, sicut enim Samson ad ostendendam fortitudinem suam sinebat se comprehendi, li-

Christi passio opus fuit divinae caritatis, potentiae et sapientiae.

82) Cf. 3 Rg 22, 30. 83) Cf. Gn 4, 8. 84) Cf. ibid. 37, 1 sqq. 85) Cf. ibid. 22, 30. 86) Cf. Idc 11, 34 sqq. 87) Cf. Iob 1, 13-21; 2, 7-10. 88) Cf. Ex 17, 2-6; Nm 20, 2-12. 89) Cf. Ion 1, 4 sqq. 90) Io 3, 16. 91) Tit 3, 4. Vulg.: *Benignitas et humanitas apparuit,* etc.

gari, tradi in manus inimicorum,[92] sic Christus hodie; tandem opus divinae sapientiae, quae novit tam ingens malum convertere nobis in bonum. Sic Christi passio faciem habet hominis, vituli, leonis et aquilae apud Ezechielem.[93]

II. ALIUS SERMO

Tristis est anima mea usque ad mortem.[1]

In horto incepit Christi passio.

I. Incepit passio Christi in horto a dolorum magnitudine et acerbitate in animo, qui instar acutissimorum gladiorum sanctissimum cor et pectus illud divinissimum transverberabant; hoc est: *Tristis est anima mea usque ad mortem,* potens adeo ut possit animam a carne seiungere. Hinc cum Regio Vate dicere poterat: *Praeoccupaverunt me laquei mortis, circumdederunt me dolores mortis, dolores inferni circumdederunt me,*[2] hebraice est: *funes mortis, funes inferni,* idest dolores maximi, vehementissimi, quales solent ad mortem pertrahere. Similes doloribus inferni passus fuit Christus nostri causa, dolores humanae naturae prorsus intollerabiles.[2a] Hinc descendit *Angelus de caelo confortans eum,* cum *factus* est *in agonia... et factus est sudor eius velut guttae sanguinis decurrentis in terram.*[3]

Christi martyrium maximum fuit,

Fuit autem dolor Christi maximus, ita ut vere cum Ieremia dicere posset: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte si est dolor sicut dolor meus.*[4] Fuit enim in passione Christi simul multiplex causa dolorum, sicut in passione et persecutione acerbissima, quam Iob sanctissimus a satana sustinuit; nam Christi martyrium simile admodum fuit passioni Iob, viri ipsius Dei testimonio innocentissimi atque sanctissimi, quoniam nonnisi propter iustitiam passus fuit a satana Iob, permittente Deo, persecutionem illam;[5] non enim nisi virtutis causa odit et persequitur satanas, omnis iniquitatis parens, veros sanctosque Dei servos et electos omnes.

92) Cf. Idc 15, 11-14. 93) Cf. 1, 4-10. Reliqua parte paginae alba relinquitur.

1) Mt 26, 38; Mc 14, 34. 2) Ps 17, 5-6. Affert ordine inverso. 2a) De hoc cf. S. Thomas *Summ. Teolog.*, 3, q. 46, a. 6, ad 3. 3) Lc 22, 43-44. 4) Thr 1, 12. 5) Cf. Iob 1, 6-20; 2, 3-8.

Martyrium Christi hodiernum maximum fuit atque supra modum acerbissimum, quoniam internum fuit et externum, verum perfectissimumque martyrium. Aliqui fuerunt martyres voluntate non opere, sicut tres iuvenes in fornace,[6] Daniel in lacu leonum,[7] Ioannes evangelista,[8] Virgo Beatissima et alii multi. Fuerunt alii martyres opere non voluntate, sicut infantes Hebraeorum, quos necavit Pharao,[9] sicut Innocentes quos occidit Herodes;[10] alii voluntate et opere, sicut Abel,[11] sacerdos Zacharias,[12] Ioannes Baptista,[13] Iacobus apostolus,[14] Stephanus[15] aliique innumeri. Alii passi sunt martyrium tantum interius, sicut Ieremias in destructione civitatis Ierusalem, quam in suis *Lamentationibus* deflet, sicut David in persecutionibus quas a Saule[16] et Absalone[17] sustinuit. Alii tantum exterius, absque ullo sensu doloris interioris, sicut Innocentes. Christus autem martyrium passus est hodie, non tantum exterius in flagellatione, coronatione, crucifixione, verum etiam interius, ut patet in horto; nec opere tantum, verum etiam voluntate martyrium passus est, nam: *Oblatus est quia ipse voluit.*[18]

Internum et externum,

quia passus est opere et voluntate.

II. Martyrium sacratissimum est Christi passio, quia virtutis causa passus est, propter praedicationem veritatis, sicut Prophetae. Non enim passio, sed causa martyrem facit. Hinc Petrus ait: *Haec est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias patiens iniuste; quae enim est gloria si peccantes et colaphizati suffertis? Sed si benefacientes patienter suffertis, haec est gratia apud Deum.*[19] Et iterum: *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis... Nemo vestrum patiatur ut homicida aut fur... si autem ut christianus, non erubescat; glorificet autem Deum in isto nomine.*[20]

Christus innocens passus est,

Christus Dominus non passus est ut malefactor; nam ipse Pilatus saepe innocentiam Christi testatus fuit et propterea lavit manus suas dicens: *Innocens ego sum a sanguine iusti huius;*[21] *sciebat quod*

non ut malefactor.

6) Cf. Dn 3, 19-23. 49-50. 7) Cf. ibid. 6, 9-23; 14, 22-40. 8) S. Ioannes Apostolus et Evangelista, ab impio Domitiano in ferventis olei dolium missus ob fidem Christi, illaesus exivit. Cf. Tertullianus *De Praescript.*, cp. 36, (P. L. 2, 49); S. Hieronymus *Adversus Iovinianum*, lib. 1, ibid. 23. 247; *Comment. in Matthaeum*, lib. 3, ibid. 26. 143. 9) Cf. Ex 2, 15 sqq. 10) Cf. Mt 2, 16. 11) Cf. Gn 4, 8. 12) Cf. 2 Par 24, 20-22; Mt 23, 35. 13) Cf. Mt 14, 3-11; Mc 6, 17-28; Lc 9, 9. 14) Cf. Act 12, 2. 15) Cf. ibid. 7, 57 sqq. 16) Cf. 1 Rg 18, 7-29; 19, 9 sqq. 17) Cf. 2 Rg 15, 1 sqq. 18) Is 53, 7. 19) 1 Petr 2, 19-20. 20) Ibid. 4, 14-16. 21) Mt 27, 24.

per invidiam tradidissent eum;[22] sic etiam latro: *Nos iuste... hic autem quid mali fecit?*[23] Sic centurio, visis signis quae fiebant: *Vere hic homo iustus erat;*[24] sic etiam proditor Iudas poenitentia ductus, testatus fuit Christi innocentiam dicens: *Peccavi tradens sanguinem iustum,*[25] et propterea retulit triginta argenteos, quibus eum vendiderat. Hinc in titulo causae mortis nullum delictum reperitur. Sed sicut Iudas tradidit eum opera satanae, qui hoc misit in cor eius et intravit in eum,[26] sic Iudaei opera eiusdem eum occiderunt.

Passus est voluntarie, praeferens voluntati suae Patris voluntatem,

III. Requiritur etiam in martyrio voluntas, ut ex caritate, Dei causa sustineatur, nam: *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest,* nam *caritas patiens est, benigna est; omnia suffert... omnia sustinet;*[27] *Aquae multae non poterunt extinguere caritatem.*[28] Videtur autem Christus refugisse mortem, hinc orat in horto: *Pater, transfer calicem hunc a me;*[29] *Transeat a me calix iste.*[30] Appellat autem passionem suam calicem, idest potionem, sicut alibi: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?*[31] Sed non recusat Christus passionem, imo ait: *Non sicut ego volo, sed sicut tu;*[32] *Non mea voluntas, sed tua fiat;*[33] *Si non potest hic calix transire* a me, *fiat voluntas tua.*[34] Passionem natura refugiebat, non voluntas, sicut nutrix quae pro salute infantis, quem maxime diligit, sumptura est amarissimam potionem, quam natura maxime exhorret et reformidat. Mortis autem naturalis reformidatio et horror non derogat maiestati Christi, sicut nec fames nec sitis nec lassitudo, sed illa tantum quae mentem a recto abducit, de qua ipse ait: *Nolite timere eos qui occidunt corpus.*[35] Timor Petri damnatur, cuius causa Christum negavit;[36] Christus autem naturali voluntati suae divinam semper praetulit.

Talis autem et tantus horror passionis et mortis Christi quam maxime commendat tum obedientiam erga Deum tum etiam erga nos caritatem. Hinc Paulus ait: *Humiliavit semetipsum factus*

22) Ibid. vr. 18; Mc 15, 10. 23) Lc 23, 41. Vulg.: *Hic vero nihil mali fecit.* 24) Ibid. vr. 47. 25) Mt 27, 4. 26) Cf. Io 13, 2. 27. 27) 1 Cor 13. 3. 4. 7. 28) Ct 8, 7. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg.: In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Non potuerunt.* Cf. *Biblia Lovaniensis.* 29) Mc 14, 36. 30) Mt 26, 39. 31) Ibid. 20, 22. 32) Ibid. 26, 39. 33) Lc 22, 42. 34) Mt 26, 42. 35) Ibid. 10, 28. 36) Cf. ibid. 26, 69-73.

obediens usque ad mortem, mortem autem crucis,[37] idest ex Patris obedientia nec mortem crucis, naturae supra modum horribilem maximeque difficilem, recusavit; sed cum eam naturali desiderio supra modum abhorreret ac reformidaret, Dei tamen causa ex salutis nostrae desiderio amarissimum hunc calicem, absinthio et felle amarissimo multo amariorem, ultro ebibit.

quod commendat obedientiam et caritatem suam;

Sic non defuit passioni Christi voluntas, hinc post orationem obviam venit inimicis, et ad ostendendum se non coactum vi, sed ultro et sua sponte crucis mortem subire, prostravit prius Iudaeos qui venerant ad capiendum eum, postea potestatem fecit ut eum caperent.[38] Petrum etiam a defensione prohibuit tribus rationibus usus: quod illa defensio esset contra legem Dei: *Omnis enim qui gladio occidit gladio peribit;*[39] secundo, quia contra specialem Dei ordinationem: *Calicem quem dedit mihi Pater non vis ut bibam illum?*[40] et tertia, quia non erat necessaria: *An non possum rogare Patrem meum et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?*[41] Sic enim Angelos misit Deus ad defensionem Elisei, imo exercitum Angelorum,[42] nam castrametatur Angelus circa timentes Dominum.[43] Unus Angelus potentior est quovis exercitu potentissimo, sicut patet de Angelo qui devastavit exercitum Sennacherib.[44]

facto enim ostendit se sponte crucis mortem subire voluisse.

IV. Nec tantum in hoc Christi martyrio elucet innocentia et voluntas patiendi, verum etiam magnitudo passionis, primo quidem interioris in horto, postea vero exterioris. Magna fuit passio interior: *Coepit pavere et taedere;*[45] *Tristis est anima mea usque ad mortem.*[46] Fuerunt enim in Christo omnes passiones animi, quos dicunt morales philosophi affectus, sed non depravatae ut in nobis; nam in nobis quidem affectus vel semper turbidi sunt, morbi et perturbationes animi sunt, rationi minime subiecti, effrenes sunt et sicut bruta persuasionibus surda sunt, ita affectus rationi non parent. Deinde inclinant mentem ad mala, deviant a recto, pertrahunt ad illicita, perturbant animum ne verum discernat et ipsi

Maximos passus est dolores internos et externos.

37) Phil 2, 8. 38) Cf. Io 18, 4-6. 39) Mt 26, 52. Vulg.: *Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* 40) Io 18, 11. Cf. not. 10 homiliae praeced. 41) Mt 26, 53. 42) Cf. 4 Rg 6, 8-17. 43) Cf. Ps 33, 8. 44) Cf. 4 Rg 19, 53. 45) Mc 14, 33. 46) Mt 26, 38; Mc 14, 34.

suapte natura feruntur ad illicita, ad voluptates sensuum sicut bruta animalia. In Christo autem fuerunt affectus animi sicut sensus corporis et passiones carnis, fames, sitis et alia huiuscemodi, sed tamen rationi subiecti, obedientissimi, sicut in Adam ante peccatum, absque ulla perturbatione mentis, sine inclinatione ad illicita, sed sicut membra corporis, manus, pedes, caput, oculi, lingua, sic etiam affectus animi rationi obtemperabant. Hinc cum Dominus mortem deprecaretur, statim seipsum divinae voluntati paratum ad omnia se exhibuit: *Non sicut ego volo, sed,* etc.[47]

Passio Christi sacrificium fuit Deo gratissimum, in quo ipsemet fuit sacerdos et victima.

V. Fuit etiam Christi passio sacrificium Deo gratissimum. Hinc in ultima coena Dominus ait: *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur;*[48] « Hic est sanguis meus novi et aeterni testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum ».[49] Hinc Paulus ait quod *dilexit nos et dedit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in suavitatis odorem;*[50] et iterum: *Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientias nostras.*[51] Sic in omnibus sacrificiis Antiqui Testamenti praefigurata est Christi Domini passio; illa enim omnia sacrificii huius referebant imagines: hanc sacrificium Abelis, ad quod respexit Deus, contempta oblatione Caini,[52] hanc sacrificium Noe in odorem suavitatis Domino,[53] hanc sacrificium Isaac, quod copiosam a Deo meruit benedictionem,[54] hanc sacrificium agni paschalis in salutem Hebraeorum,[55] hanc sacrificium expiationis pro remissione omnium peccatorum.[56] Sacrificii huius sacerdos ipsemet Christus fuit, altare crux, victima caro Christi.[57]

47) Reliqua parte folii alba relinquitur. 48) 1 Cor 11, 24. 49) Liturgia Missae, forma consecrationis calicis, ex Mt 26, 28; Mc 14, 24; Lc 22, 20; 1 Cor 11, 25. 50) Eph 5, 2. Vulg.: *In odorem suavitatis.* 51) Hebr 9, 14. 52) Cf. Gen 4, 3-5. 53) Cf. ibid. 8, 20-21. 54) Cf. ibid. 22, 2-18. 55) Cf. Ex 12, 1-27. 56) Cf. Lv 16, 1 sqq. 57) Sequens folium album relinquitur.

III. ALIUS SERMO [1]

Recogitate eum qui talem sustinuit a peccatoribus... contradictionem, ut non deficiatis animis vestris... nondum enim usque ad sanguinem restitistis, etc. [2]

I. Loquitur Paulus de ineffabili mysterio Dominicae passionis eamque veluti in quattuor partes distinguit; iubet enim ut recogitemus, ut die nocteque meditemur ac mente revolvamus quisnam est iste qui patitur: *Recogitate eum;* deinde a quibus patitur, nam ait: *A peccatoribus;* tertio quid passus est: *Talem*, inquit, *contradictionem;* quarto tandem ad quid passus est: *Ut non deficiatis animis vestris.*

Considerantur quattuor partes passionis Christi.

II. Primo, inquam, iubet Paulus ut in mysterio passionis Christi meditemur quisnam sit qui patitur: *Recogitate eum.* Quisnam iste est, Paule, quem recogitare debemus? *Eum*, inquit. Sed dico: quem *eum?* Declara, dic quisnam sit iste? Sed Paulus nihil aliud dicit, quoniam persona Christi revera incomprehensibilis et ineffabilis est. Cum patriarcha Iacob luctatus fuisset cum Deo eumque superasset, quaesivit ei nomen suum; Deus autem dixit ei: *Quid quaeris nomen meum?* [3] Non manifestavit ei nomen suum, quoniam est ineffabile; sic Paulus de Christo, qui hodie patitur, nihil dicit nisi: *Recogitate eum.*

Prima: quis est qui patitur.

In historia passionis multis nominibus appellatur Christus, sed singulariter inquiritur quisnam sit. In domo pontificis: *Adiuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei;* [4] in domo Pilati: Tu es Filius Dei? [5] Apud Isaiam quaeritur: *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra?* [6] Multa ibi Isaias respondit; sed in historia passionis tribus nominibus singulariter in-

Christus in historia passionis appellatur homo, rex, sed praecipue Filius Dei.

1) Atramento clariori et stylo latiori exaratus. 2) Hebr 12, 3-4. 3) Gn 32, 29. Vulg.: *Cur quaeris*, etc. 4) Mt 26, 63. 5) In domo Pilati Christus quaesitus fuit an Rex esset Iudaeorum, cf. Mt 27, 12; Mc 15, 2; Lc 23, 3; Io 18, 33. 37. 6) 63, 1.

signitus est. Dicitur Filius Dei in horto,[7] in domo Caiphae: Ego sum[7a] in domo Pilati; in cruce: *Pater, ignosce illis;*[8] *Pater, in manus tuas commendo,* etc.[9] Dicitur homo, hinc Pilatus ait: *Ecce homo;*[10] *Nullam causam invenio in homine isto.*[11] Dictus etiam rex, sic ait Pilatus: *Ecce rex vester;*[12] sic scripsit in titulo: *Rex Iudaeorum.*[13] Praecipue tamen Filius Dei appellatus et agnitus est, cum centurio ait, visis miraculis in Christi morte: *Vere Filius Dei erat iste;*[14] et: *Vere homo iste iustus erat;*[15] latro Christum regem agnovit: *Dum veneris in regnum tuum.*[16]

Ergo qui patitur est Filius veri Dei,

Patitur igitur Filius Dei. Cuius Dei? Falsi alicuius dei Gentilium ab hominibus conficti? Minime, sed Filius veri Dei. Etiam principes et reges in Sacris Litteris dii appellantur.[17] Filius alicuius magni principis? Minime, sed Filius veri Dei. At forte Filius Dei non naturalis, non verus, sed per adoptionem, sicut de Salomone dicitur,[18] Filius Dei sicut omnes electi? Minime: Filius Dei naturalis, verus.

Filius verus et naturalis;

Sed forte filius naturalis, sed non legitimus, natus ex damnato thoro, non ex legitimo matrimonio? Imo filius verus naturalis legitimus, imo et unicus, sicut Isaac patris sui Abraham. At forte filius quidem unicus, sed patri invisus propter dissonantiam morum vel deformitatem aut aliquam causam, unde moti patres aliquando filios ad mortem persequuntur? Sed hic non ita, imo semel et iterum Pater testatus est: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*[19] Verus igitur unicus et dilectissimus Filius Dei, qui *Rex* est *regum et Dominus dominantium.*[20] Ergo hic natura Deus est sicut Pater, ergo natura omnipotens, Optimus Maximus, ergo princeps universi, Dominus caeli et terrae, rerum omnium moderator, conditor, creator. Igitur nobilissimus princeps, divinae, infinitae maiestatis, cui serviunt Angeli, cui obediunt universae creaturae. Hinc dicitur Rex.

sed patitur ut homo;

Sed non potest pati Deus. At Deus et homo est. Patitur ut homo, sed homo innocentia, sanctitate, bonitate par et aequalis Deo, imo etiam sapientia et potentia. Non ergo patitur ex aliquo delicto, sed

7) Cf. Mt 26, 53. 7a) Lc 22, 70. 8) Lc 23, 34. Vulg.: *Dimitte illis.* 9) Ibid. vr. 46. 10) Io 19, 5. 11) Lc 23, 14. Vulg.: *Inveni.* 12) Io 19, 14. 13) Mt 27, 29; Mc 15, 26; Lc 23, 38; Io 19, 19. 14) Mt 27, 54. 15) Lc 23, 47. Vulg.: *Vere hic homo,* etc. 16) Ibid. vr. 42. 17) Cf. Ps 81, 1. 6; Io 10, 34. 18) Cf. 2 Rg 7, 14. 19) Mt 3, 17; 17, 5; Mc 1, 11; 9, 6; Lc 3, 22; 9, 35. 20) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16.

iniustam sustinet ab inimicis persecutionem; patitur innocentissimus Agnus sicut Filius Dei, innocens et sanctus ut Deus.

patitur iniustam persecutionem.

At iniustam hanc persecutionem non incurrit ex ignorantia, dolo captus et per fraudem ab inimicis, nam ipse est Dei virtus et Dei sapientia;[21] neque tandem ex necessitate et violentia, quasi non posset se ab inimicis defendere.

non ex necessitate,

Hinc enim tria haec singulariter ostenduntur de Christo in historia passionis. Innocentia toties ab ipsomet iudice Pilato testata et quam titulus ipse, in quo causa descripta est mortis ipsius, testatur; scientia: *Sciens omnia quae ventura erant super eum*, inquit Ioannes;[22] hinc in horto *coepit pavere et taedere,*[23] quoniam sciebat *omnia quae ventura erant super eum;*[23a] hinc Patrem rogabat: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste*;[24] hinc toties passionem suam Apostolis praedixit;[25] fuerunt igitur iacula haec longe ante praevisa. Ac tandem ostenditur Christi potentia tum in horto, nam cum dixisset: *Ego sum*, qui venerant ut comprehenderent eum *abierunt retrorsum et ceciderunt,*[26] tum etiam in cruce, cum talia tantaque operatus fuit miracula ostenditque se vere Dominum et auctorem esse naturae auctoremque vitae.

sed voluntarie, ideo inimicos non fugit.

Cum igitur hic, qui patitur hodie, non patiatur ex delicto, non ex ignorantia, non ex necessitate, restat ut sciamus quod patitur ex voluntate: *Oblatus est quia ipse voluit.*[27] Hinc non fugit ipse inimicos, sed perrexit obviam eis; hinc noluit defendi a suis, nec Angelos a Patre petiit,[28] nec seipsum defendere voluit manibus aut lingua coram tribunalibus, sed *tacebat, ita ut miraretur praeses vehementer*:[29] *Oblatus est quia ipse voluit.*

Patitur naturae auctor.

Patitur hodie auctor naturae, hinc universa natura commovetur; patitur fons gratiae, hinc sanctum sanctorum aperitur et propitiatorium revelatur;[30] patitur rex et dator gloriae, hinc latroni paradisus promittitur;[31] patitur optimus omnium pater et summus benefactor, summa igitur hominum est in eum impietas et ingratitudo, summum nefas, summum scelus.

21) Cf. 1 Cor 1, 24. 22) 18, 4. 23) Mc 14, 33. 23a) Io 18, 4. 24) Mt 26, 39. 25) Cf. ibid. 16, 21; 17, 21-22; Mc 10, 32-34; Lc 18, 31-33. 26) Io 18, 6. 27) Is 53, 7. 28) Cf. Mt 26, 53. 29) Ibid. vr. 63; 27, 14. 30) Cf. ibid. 27, 45-53; Lc 23, 44-45. 31) Cf. Lc 23, 42-43.

Deus ab hominibus;

Patitur Deus ab hominibus. Saepe Deus ab hominibus mala pro bonis accepit, usque ab initio, a primis hominibus semperque in peius processit hominum ingratitudo in Deum. Sed tamen quis unquam animo concipere potuisset ipsum verum Deum, Unigenitum Filium Dei eo perventurum, ut talia tantaque ab hominibus pateretur, qualia quantaque passus est hodie? Quis unquam dominus talia passus est a servis? princeps a popularibus? imperator a militibus? Imo, quid dicam? pater a filiis? Legimus quidem dominos multos passos a servis, principes a popularibus, imperatores a militibus, patres a filiis.[32]

patitur humani generis conditor.

Patitur Deus homo, humani generis conditor et formator. Bone Deus! Dixisti aliquando: *Poenitet me fecisse hominem;*[33] sed forte dicere voluisti: oportet me multa pati, quoniam feci hominem. Sed hoc nemo intellexit. Et quis hoc intelligere potuisset? Hodie intelligimus id quod dicere voluisti. Patitur ab hominibus formator humani corporis. Mi Deus, infinita sapientia, qui omnia nosti longe antequam fiant, quando humanum corpus et membra formasti, non cogitasti quid passurus eras a membris humanis? Cum formasti pectus et cor, quanto odio et ira in te erat exarsurum? Quando formasti caput, quam multa contra te erat machinaturum? Cum formasti os et linguam, qualia maledicta, quam turpia etiam sputa erat in faciem tuam iacturum? Cum manus formasti, quales quantasque iniurias ab humanis manibus passurus? Non dixisti: Hae manus, quas formo, me comprehendent, ligabunt, caedent alapis et colaphis, flagellabunt, coronabunt spinis, crucifigent tandem et occident, sed forte dixisti quod mater Neronis dixisse fertur: «Occidat, modo imperet»![34] Pater amantissime super omnes amantissimas matres!

Sic[35] propter hominem creavit etiam terram, quae spinas productura erat ad eum coronandum, virgas ad flagellandum, lignum ad crucifigendum, ferrum pro clavis et lancea, arundinem ad eum percutiendum et potandum felle et aceto, linum pro funibus ad ligandum eum.

32) In fine paginae duae lineae albae relinquuntur. 33) Gn 6, 7. Vulg.: *Fecisse eos.*
34) Dion Nicaeus *Rerum Romanarum Epitome*, pag. 176; Coccius Sabellicus *Exemplorum Libri*, vol. 2, lib. 3. cp. 4, pag. 37; Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 3, cp. 5, col. 115.
35) Stylo strictiori.

Christum patientem describit admiratus propheta Isaias.

III. Domine, *quis credidit auditui nostro et brachium Domini,* etc.?[36] Plenus admiratione Vates sanctissimus aggreditur mysterium passionis Christi, sicut etiam Habacuc: *Admiramini et obstupescite,* etc.[37] Sed unde tanta admiratio? Christum patientem describit tamquam hominem pauperem et abiectum: *Sicut radix,* etc.; *non est species ei neque decor.* Sed hoc non mirum. Describit innocentem: *Sicut ovis, sicut agnus.*[38] Sed neque hoc mirum, saepe enim damnantur innocentes, maxime si pauperes sint. Describit iustum: *Iustificabit ipse* [*iustus*] *servus meus in scientia sua multos,*[39] tamquam prophetam sanctum similem Moysi, qui lege sua populum sanctificavit. Sed neque hoc mirum, nam fere omnes Prophetae Dei gravissimas persecutiones passi sunt. Describit eum principem ducemque: *Dispertiam ei plurimos et fortium dividet spolia;*[40] et mirum quidem est ut princeps tale mortis genus patiatur, sed non tam magnum miraculum est. Describit hominem ineffabilem: *Generationem eius quis enarrabit?*[41] Sed in primis vocat eum *brachium Dei,*[42] quod quidem per metaphoram dicitur. Minister aliquis principis optimus, diligentissimus, dicitur brachium principis, auctoritas etiam principis brachium appellatur. Moyses fuit velut brachium Dei in salutem Hebraeorum, Christus brachium Dei, quia *omnia per ipsum facta sunt;*[43] *Per quem fecit et saecula.*[44] Hoc mirum est supra quam dici potest, ut Filius Dei, verus Deus, eo devenerit, ut per manus carnificis mortuus sit.

Patitur a satana.

IV. *Talem*[45] *sustinuit a peccatoribus,* inquit Paulus, *contradictionem.* A multis passus est Christus, nam in cruce conqueritur, ut videtur, de Patre: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?*[46] Spiritus Sanctus per Caipham protulit in eum mortis sententiam: *Expedit ut unus moriatur homo pro populo.*[47] Passus a discipulis, qui eum dereliquerunt corpore et spiritu, nam in eum credere destiterunt.[48] Et tamen Paulus peccatores tantum nominat, a peccatoribus passum dicit contradictionem. Passus est

36) Is 53, 1. 37) 1, 5. 38) Is 53, 2-7. 39) Ibid. vr. 11. Vulg.: *In scientia sua iustificabit,* etc. 40) Ibid. vr. 12. 41) Ibid. vr. 8. 42) Ibid. vr. 1. 43) Io 1, 3. 44) Hebr 1, 2. 45) Stylo latiori. 46) Mt 27, 46; Mc 15, 34. 47) Io 11, 50. 48) Cf. Mt 26, 56; Mc 14, 50.

Christus a daemonibus, nam *cum misisset diabolus in cor Iudae ut traderet eum,*[49] et: *Post bucellam introivit in eum satanas;*[50] Christus item ait: *Haec est hora vestra et potestas tenebrarum.*[51]

Sed tamen Paulus, dum peccatores dicit, non daemones, sed homines malos significat. Nec dicit a quibus hominibus malis passus est; non nominat Iudaeos aut Gentiles, non principes aut populares, sed tantum peccatores; nec dicit quales peccatores, superbos, avaros, invidos, iracundos, carnales, sed generatim dicit peccatores: *Talem sustinuit a peccatoribus contradictionem.* Profecto quia si non fuisset peccatum, non fuisset mortuus Christus. Peccatores nominat Paulus generatim, quia omne fere peccati genus, quod reperiri in hominibus potest, reperitur in historia passionis. Peccatum cordis in odio contra Christum, peccatum oris calumniis, falsis accusationibus et blasphemiis contra ipsum; peccatum manus in flagellis, etc.; peccatum fragilitatis in Petro, in Apostolis, in Pilato etiam; peccatum ignorantiae in turbis Iudaeorum, nam *si cognovissent, Dominum gloriae,* etc.;[52] peccatum malitiae in Iuda et principibus Iudaeorum et Pharisaeis. Omne autem genus hominum peccatorum concurrit in Christi passione: principum, popularium, fidelium, infidelium, saecularium, ecclesiasticorum et regularium, nam Pharisaei erant religiosi illius temporis apud Iudaeos, etiam mulieres concurrerunt, duae ancillae in domo pontificis,[53] idemque de similibus iudicium, ideo Paulus generatim peccatores dicit.

a peccatoribus omnibus.

quia si peccatum non fuisset, Christus mortuus non esset.

Forte etiam dicere voluit quod omnes peccatores, dum peccant, participes sunt passionis Christi, nam de malis christianis ipse ait: *Rursum Filium Dei crucifigentes et ostentui habentes.*[54] Si Iudaei et quicumque hodie Christum poenis et morte affecerunt, Deum magis quam mundum dilexissent divinaque bona mundanis praetulissent, proculdubio in tale tantumque peccati barathrum sese praecipites non dedissent. Sed quia ambitione et avaritia rerumque temporalium cupiditate obcaecati divina nihil nec Deum ipsum curabant, tam misere perierunt. Tales sunt omnes peccatores.

unde qui peccant passionis eius participes fiunt.

49) Io 13, 2. Vulg.: *Cum diabolus misisset,* etc. 50) Ibid. vr. 27. 51) Lc 22, 53. 52) 1 Cor 2, 8. 53) Cf. Mt 26, 69-72. 54) Hebr 6, 6. Vulg.: *Crucifigentes Filium Dei,* etc.

Sic pater amantissimus patitur a filiis.

Christi [55] passio etiam quoad personas, a quibus passus est, plena miraculo est. Nam quod homo ab alienis patiatur inimicitiae gratia, non mirum; quod benefactor etiam a beneficiatis, non est novum; quod magister a discipulis, saepe accidit; quod imperator a militibus sui exercitus, accidit quidem, licet raro; quod princeps a suis popularibus et subditis, accidisse legimus; quod dominus a servis, saepe accidit; sed quod pater a filiis crudelem passus sit mortem, nihil legimus, nisi quod David a filio Absalone persecutionem non modicam passus fuit; sed statim divina ultione periit. [56] In Sacris autem Litteris Iudaei non solum servi, discipuli, milites, populares, sed etiam filii Dei [dicuntur]: *Ego dixi: dii estis et filii Excelsi omnes;* [57] *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* [58] Hoc mirum, ut pater patiatur mortem a filiis et talem mortem, tam, dicam, tam crudelem. Noe ut cognovit se contemptum et iniuria affectum a filio suo Cham, aegerrime tulit et dura maledictione eum veluti fulmine de caelo percussit; [59] summum enim scelus videtur esse impietas gravisque contemptus filiorum erga parentes; nam est pater veluti imago viva Dei, summus benefactor et summo cum amore summoque cum desiderio, etc. Talis Christus fuit erga Judaeos; imo non dicam pater, sed mater: *Quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas.* [60] Quando mater talia passa est a filiis, licet scelerosissimis? Summam videmus impietatem in summum benefactorem, in patrem optimum, amantissimum, supra omnem matris amorem. [61]

Recogitanda est passio Christi in suis circumstantiis.

V. *Talem sustinuit a peccatoribus contradictionem.* Ostendit Paulus quidnam Christus passus sit et ait quod passus est contradictionem. Sic et Simeon passionem Christi contradictionem appellavit dicens de Christo: *Positus est hic... in signum cui contradicetur.* [62] Nec simpliciter Paulus passionem Christi contradictionem appellat, sed *talem contradictionem.* Vult Paulus ut recogitemus passionem et talem passionem cum suis circumstantiis, sicut ipse ait quod Christus *factus* est *obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* [63] Passus est mortem et talem mortem.

55) Stylo strictiori. 56) Cf. 2 Rg 15, 7 sqq.; 18, 1-15. 57) Ps 81, 6. 58) Is 1, 2. 59) Cf. Gn 9, 20-27. 60) Mt 23, 37. 61) Reliqua parte paginae alba relicta, prosequitur stylo latiori. 62) Lc 2, 34. 63) Phil 2, 8.

Multa passus est Christus a Iudaeis.

Multa passus est Christus a Iudaeis. Primo quidem contemptum personae et doctrinae, unde orta fuit incredulitas et perfidia, ut in eum credere nullo pacto vellent; sic olim contemnebant Prophetas. Secundo ingratitudinem pro collatis beneficiis. Tertio odium magnum, capitale, mortale. Hinc quarto loco passus est calumnias, blasphemias, falsas accusationes gravesque iniurias. Quinto apertas gravesque persecutiones, imo ipsam mortem, post tormenta capturae, vinculorum, flagellorum, spineae coronae, crucis et clavorum. Sexto non tantum vitam crudeliter adimere ei voluerunt, verum etiam honorem, famam, omnem aestimationem et bonum; comprehenderunt enim eum per ministros iustitiae et cohortem praesidis tamquam latronem, sic ait: *Tamquam ad latronem existis.*[64] Sic praesentatus fuit coram multis tribunalibus, sic accusatus fuit, sic per sententiam iudicis damnatus ad mortem latronum, sic peior iudicatus fuit quam Barabbas.[65] Si enim per vim ei vitam ademissent, multo minus passus fuisset; sed contra honorem multa passus est opprobria et ignominias.

Praeter autem extrinsecas has poenas, multo acerbiores pertulit intrinsecus dolores, unde *coepit pavere et taedere;* unde ait discipulis: *Tristis est anima mea usque ad mortem,* unde *factus* est *in agonia... et factus est sudor eius velut guttae sanguinis decurrentis in terram.*[66]

Quam multa et gravia passus sit Isaias paucis expressit.

I s a i a s[67] 53 paucis verbis expressit quam multa, quam gravia passus sit Christus. *Vidimus,* inquit, *eum leprosum et percussum a Deo et humiliatum,*[68] hebraice: *Vidimus eum tactum percussionibus Dei et humiliatum.* Percussiones autem Dei dicit solita Sacrarum Scripturarum phrasi, qua divina dicuntur quae ineffabilia sunt, quaeque supra modum magna sunt, ita ut ea nemo verbis assequi possit. Sic ait: *Vidimus eum tactum,* non percussione, sed *percussionibus;* non, inquit, magna percussione aut magnis percussionibus, sed *percussionibus Dei,* idest maximis, ineffabilibus.

64) Mt 26, 55; Lc 22, 52. 65) Cf. Mt 27, 17-26; Mc 15, 7-15; Lc 23, 7-19; Io 18, 40.
66) Lc 22, 43-44. Aliquae lineae albae relinquuntur. 67) Stylo valde strictiori.
68) Vrr. 2. 4.

Passio Christi omnia martyria electorum superavit.

Liquido patebit si consideremus persecutiones et martyria omnium electorum Dei. In Scripturis Sanctis passus fuit Abel a fratre Caino mortale odium et mortem, [69] sed non infamem, non ignominiosam, non turpem; passus fuit persecutionem Isaac ab Ismaele, [70] Iacob ab Esau, [71] Ioseph a fratribus, [72] Moyses a Pharaone, [73] David a Saule, [74] ab Absalone, [75] Elias a Iezabele, [76] sed non passi sunt mortem. Pontifex Zacharias passus fuit mortem a rege Ioas, [77] Naboth mortem a regina Iezabele [78] tamquam reus laesae maiestatis divinae et humanae, sed lapidibus ambo hi occisi fuere. Passus fuit Iob flagella plagasque a satana, sed tum bona tum filios [ac] sanitatem amisit, [79] non vitam, aut honorem. Missus fuit Daniel in lacum leonum, [80] proiectus Ionas in mare, [81] sed neuter vitam amisit, uterque servatus divinitus fuit. Passus fuit Noe a filio contemptum et derisionem, sed non flagella, non verbera, non mortem. Passus Isaac a patre onera lignorum, vincula, parumque abfuit quin etiam mortem, [82] sed non odium, non verbera, non flagella. Christus omnia patitur, si quis consideret quid in horto, quid in domo Annae et Caiphae, quid in domo Herodis et Pilati, quid tandem in Calvario passus sit.

Duplex fuit martyrium eius: internum et externum.

Fuit autem duplex Christi martyrium: alterum quidem internum spirituale in horto, alterum vero externum corporale. In aliis locis passionis suae internum fuit maximo dolore et afflictione animae suae ex magno amore erga Patrem, erga seipsum, erga Matrem, erga Apostolos et discipulos suos, erga patriam suam, cuius causa venerat in mundum - *ad oves quae perierunt domus Israel,* [83] - erga Ecclesiam suam, praevidit autem quales quantasque passura erat persecutiones et mala; tandem erga mundum universum praevidens quam pauci salvandi erant, quam multi multo peius damnandi. [84]

VI. D i v u s V a t e s I s a i a s capite 53 suarum *Revelationum*, agens manifeste ac veluti historico stylo de mysterio passionis Chri-

69) Cf. Gn 4, 2-8. 70) Cf. ibid. 21, 9-10. 71) Cf. ibid. 27, 41. 72) Cf. ibid. 37, 2 sqq. 73) Cf. Ex 2, 15. 74) Cf. 1 Rg 18, 8-29. 75) Cf. 2 Rg 15, 7 sqq. 76) Cf. 3 Rg 19, 1-3. 77) Cf. 2 Par 24, 20-22; Mt 23, 35; Lc 11, 51. 78) Cf. 3 Rg 21, 1-13. 79) Cf. Iob 1, 12-20; 2, 7-8. 80) Cf. Dn 6, 15-22; 14, 28-40. 81) Cf. Ion 1, 12-15; 2, 1 sqq. 82) Cf. Gn 22, 1-10. 83) Mt 15, 24. 84) Reliqua pars paginae alba relinquitur.

Ostendit iterum Isaias quis est qui patitur,

sti, ostendit et quis est qui patitur et quaenam patitur et a quibus et quam ob causam patitur. Eum qui patitur inquit esse *novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem.*[85] Deinde hominem innocentem: *Sicut ovis ad occisionem ducetur et tanquam agnus.*[86] Tertio iustum servum Dei: *In scientia sua iustificabit iustus servus meus multos.* Non solum innocentem declarat: *Qui peccatum non fecit nec inventus est dolus in ore eius,*[87] sed etiam iustum et iustificantem homines, auferendo peccata, quod solius Dei est. Hinc statim initio capitis eum *brachium Domini,* sed velatum appellat, Deum tamquam absconditum.

quae patitur,

Ea vero quae passus est expressit dicens: *Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit, et nos reputavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo et humiliatum,*[88] hebraice: *Nos autem putavimus eum tactum percussione Dei et humiliatum,* sicut Iob 19 tactum a Deo se dicit,[89] qui tamen mortem passus non fuit. At de Christo ait: *De angustia et de iudicio sublatus est* et *abscissus est de terra viventium;*[90] passus est violentam mortem.

a quibus patitur

Praeterea ostendit a quibus passus sit, sed obscure, ubi ait: *De angustia et de iudicio sublatus est,* hebraice *mehozer umimmiscpath* מֵעֹצֶר וּמִמִּשְׁפָּט, *a coetu et a iudicio sublatus est, ab impietate populi mei plaga est ei; hazarah* עֲצָרָה, nanque saepe in Sacris Litteris coetum et congregationem populi significat, maxime cum in maximis solemnitatibus conventum faciebant ex praescripto legis in templum Domini; sic *Levitici* 23,[91] *Deuteronomii* 16,[92] Isaiae 1,[93] Ieremiae 9,[94] Ioelis 1[95] et alibi saepe. Ait igitur Divus Vates passum Christum a coetu Iudaeorum et a iudicio, a iudicum consessu, a magistratu: *Ab impietate,* inquit, *populi mei plaga est ei.* Quid clarius dicere potuisset si praesens corpore fuisset? Interponit autem veluti per parenthesim dignitatem Christi dicens: *Generationem eius quis enarrabit?*[96] Aetatem et vitam Christi forte intelligit, sicut capite 38: *Generatio mea ablata est et convoluta est a me,*[97] aiebat

85) Vr. 3. 86) Ibid. vr. 7. Affert ex Act 8, 32. 87) Is 53, 9. Affert ex 1 Petr 2, 22. 88) Is 53, 4. 89) Cf. vr. 21. 90) Is 53, 8. 91) Cf. vr. 36. 92) Cf. vr. 8. 93) Cf. vr. 14. 94) Cf. vr. 9. 95) Cf. vr. 1. 96) Is 53, 8. 97) Vr. 12.

Ezechias rex, audito mortis nuncio: *Dispone domui tuae quia morieris.* [98]

Nec tamen ab hominibus tantum docet Vates Divinus passum esse Christum, verum etiam a Deo: *Percussum a Deo et humiliatum. Dominus voluit conterere eum.* [99] Sed cum primis agit ibi Divinus Vates de causa propter quam passus est: *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostrae super eum et livore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus... et posuit Dominus super eum iniquitatem omnium nostrum.* [100] Igitur passus est ad expianda peccata nostra.

et quare patitur.

Praeterea ait: *Si posuerit pro delicto animam suam, videbit semen longaevum et voluntas Domini in manu eius dirigetur. Pro eo quod laboravit anima eius, videbit et saturabitur. In scientia sua iustificabit ipse iustus servus meus multos et peccata eorum portabit. Ideo dispertiam ei plurimos et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam.* [101]

VII. Multa disserit de fine et fructu passionis et mortis Christi. Ubi advertendum quod universam passionis tractationem Vates in tres partes distinxit. Prius enim praenunciat ea quae passionem praecesserunt, puta humilitatem et paupertatem Christi, qua mundo fuit supra modum contemptibilis; secundo loco passionis ignominiam, poenas, cruciatus, mortem; tandem praenunciat effectus et praemia passionis, incipiens ab honore sepulturae; nam ubi Vulgatus habet: *Dabit impios pro sepultura,* [102] hebraice reddi potest: dabit cum impiis sepulcrum eius et cum divite excelsa eius, idest honorificum sepulcrum, nam Isaiae 22 [103] et Ezechielis 43 [104] honorifica sepulcra, qualia sunt regum et principum, excelsa appellantur. Ait igitur: *Dabit cum impiis,* sive apud impios, nam erat prope Calvarium, qui locus erat sceleratorum, [105] sed tamen sepul-

Universam passionem Christi S. Vates in tres partes distinxit,

98) Ibid. vr. 1. 99) 53, 8. 100) Ibid. vrr. 5-6. 101) Ibid. vrr. 10 sqq. Vulg.: *Si posuerit pro peccato... et iniquitates eorum ipse portabit.* etc. 102) Ibid. vr. 9. 103) Cf. vr. 16. 104) Cf. vr. 7. 105) De hoc cf. Corn. a Lapide *Comment. in Matthaeum,* 27, 33.

tus fuit in honorifico divitis Ioseph sepulcro. [106] Adiiciam etiam quod reddi potest: dabit impiis sepulcrum eius, nam militibus datum fuit sepulcrum custodiendum. [107]

deinde exponit fructus passionis eius;

Post honorem vero sepulturae prosequitur fructus passionis: *Si posuerit pro delicto* - hebraice delictum, piaculum, idest hostiam pro peccato, sicut Paulus ait quod *de peccato damnavit peccatum* [108] et: *Eum qui non novit peccatum... peccatum fecit,* [109] idest hostiam pro peccato - *videbit semen longaevum.* Hoc est quod Dominus ait de seipso: *Nisi granum frumenti cadens in terram,* etc., *multum fructum affert;* et: *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum,* [110] idest omnes homines. *Videbit,* inquit, *semen longaevum,* quod prolongabit dies: de Ecclesia loquitur, quae futura erat in mundo perpetua; haec fructus est passionis, formata, sicut Eva, [111] a latere Christi dormientis. Subiungit: *Voluntas Domini in manu eius dirigetur,* hebraice: prosperabitur, idest salus animarum, nam: *Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me;* [112] Deus *vult omnes homines salvos fieri;* [113] *Haec est voluntas Dei sanctificatio vestra.* [114] Salus animarum feliciter succedet, sic salvatus est latro; [115] cumque salus animarum sit optatissimus Christi cibus, ait: *Pro eo quod laboravit anima eius, videbit, saturabitur,* idest multi salvabuntur.

Adhuc ait: *In scientia sua iustificabit ipse iustus,* etc., sanctificabit multos: sanctitas Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum fructus est passionis Christi. Tandem: *Dispertiam ei plurimos et cum fortibus dividet spolia,* est hebraice *rabim* רַבִּים, quod non solum plurimos significat, verum etiam magnates. Agitur de victoria daemonum et mundi, de liberatione hominum a potestate satanae, sicut ipse ait: Cum *fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma eius auferet,* etc. [116]

Zacharias capite 13 suarum *Revelationum* explicat fructus passionis Christi, de qua capite 12 fuerat vaticinatus: [117] *In die illa,*

106) Cf. Mt 27, 57-60; Mc 15, 4-46; Lc 23, 50-53; Io 19, 38 sqq. 107) Cf. Mt 27, 62 sqq. 108) Rom 8, 3. 109) 2 Cor 5, 21. 110) Io 12, 24. 32. Vulg.: *Si exaltatus,* etc. 111) Cf. Gn 2, 21-22. 112) Io 4, 34. 113) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult,* etc. 114) 1 Thess 4, 3. 115) Cf. Lc 23, 40-43. 116) Lc 11, 22. 117) Cf. vrr. 10 sqq.

inquit, *erit fons patens domui David et habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris et menstruatae; et erit in die illa, dicit Dominus exercituum: disperdam nomina idolorum de terra.* [118] Spiritus Sancti gratiam in Sacramentis Ecclesiae statuit passionis fructum una cum destructione idololatriae, una cum qua desiere vates, qui daemonis spiritu afflati, futura praedicebant: oracula etiam toto orbe celeberrima, eiecto de mundo per crucem daemone, conticuerunt; unde Plutarchus librum scripsit *De Oraculorum Defensione.*[119]

sic etiam Propheta Zacharias.

VIII. Dominus noster Iesus Christus saepe locutus est de fructu passionis suae, quem nunc redemptionem dixit, ut: *Filius hominis* venit *dare animam suam redemptionem pro multis,* [120] nunc remissionem peccatorum: *Hic est sanguis meus qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum,* [121] nunc vitam aeternam: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit,* etc. [122]

Saepe Christus locutus est de fructu passionis suae;

Divus Paulus *Philippensium* 2 passionis Christi mysterium, sicut Isaias 53 capite, in tres partes distinxit. Nam primo ostendit Christi humilitatem: *Qui cum in forma Dei esset... exinanivit semetipsum formam servi accipiens,* etc.; [123] sic Isaias: *Branchium Domini cui revelatum est? Ascendet sicut virgultum coram eo,* etc. Nam si Dominus in maiestate venisset, sicut venturus est ad iudicandum vel sicut in transfiguratione apparuit, pati et crucifigi minime potuisset, si enim *Dominum gloriae cognovissent, nunquam crucifixissent,* ut Paulus ait; ad passionem igitur suam ordinavit Dominus humilitatem suam. Secundo loco Paulus ostendit cruciatum mortis: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*: paucis verbis complexus quod Isaias multis expressit. Tertio fructum passionis: *Propter quod et Deus exaltavit illum et dedit illi nomen, quod est super omne nomen,*

Divus quoque Paulus passionem Christi in tres partes distinxit.

118) Vrr. 1-2. 119) Titulus: *Cur Oracula edi desierint,* pag. 149-162. 120) Mt 20, 28. 121) Ibid. 26, 28; Mc 14, 24. 122) Io 3, 14. 123) Vrr. 6-7. Vulg.: *Semetipsum exinanivit,* etc.

ut in nomine Iesu omne genu flectatur... et omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster *Iesus Christus in gloria est Dei Patris,*[124] idest quod *assumptus est in caelum et sedet a dextris Dei,*[125] *tanto melior Angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen hereditavit.*[126]

Fructus passionis Dominicae vel maxime declarantur in iis quae gesta sunt in cruce et in verbis prolatis.

IX. Fructus autem passionis Christi, cum multiplex sit et copiosissimus, vel maxime in verbis quae Christus in cruce dixit et in his quae gesta sunt, eo pendente in cruce, declarantur; quamvis etiam in iis quae gesta sunt in horto, in domo Caiphae, in domo Herodis et Pilati et in ipsa Ierusalem videamus quae lucratus est Dominus et quae passione sua acquisivit. Nam in horto orans cum agonia et sanguineo sudore exauditus fuit; sic meruit ut nostrae orationes, maxime in tempore tribulationis, exaudiantur; confortatus fuit de caelo ab Angelo: meruit nobis caelestem divinumque consolatorem, Spiritum Paracletum; superavit timorem mortis, hinc post orationem, animo veluti leonis facto, obviavit inimicis suis:[127] obtinuit electis suis contemptum mortis, ut in tot millibus Martyrum patuit. In domo Caiphae acquisivit velum oculorum[128] ad velandos oculos divinae iustitiae, ne mundum pro meritis puniat, sicut olim faciebat; in domo Herodis vestem albam, stolam candidam innocentiae:[129] acquisivit nobis vestem nuptialem; in domo Pilati acquisivit purpuram, coronam spineam, sceptrum arundineum:[130] acquisivit sibi insignia regalia, dignitatem regiam Ecclesiae suae, fecit enim nos reges et sacerdotes; hinc vigintaquattuor seniores in *Apocalypsi* habent coronas aureas in capitibus suis.[131] In Ierusalem crucem acquisivit: *Baiulans sibi crucem,*[132] sic transtulit arcam foederis cum tabulis legis, virga virtutis Dei et vase mannae a tabernaculo Moysi in templum Salomonis:[133] veram fidem, Sacramenta omnemque ecclesiasticam auctoritatem a synagoga Iudaeorum in Ecclesiam suam.

124) Ibid. vrr. 8-11. 125) Mc 10, 19. 126) Hebr 1, 4. 127) Cf. Mt 26, 45-55; Mc 14, 41-49; Lc 22, 47-53; Io 18, 4-8. 128) Cf. Mc 14, 65; Lc 22, 64. 129) Cf. Lc 23, 7-11. 130) Cf. Mt 27, 27-30; Mc 15, 16-19; Io 19, 1-3. 131) Cf. 4, 4. 132) Io 19, 17. 133) Cf. 3 Rg 8, 1-9; 2 Par 5, 1-5.

In Calvario denique obscuratio mundi: electis Dei fructus crucis est ut mundus eis minime diligendus videatur; motus terrae: timor magnus invisibilis Dei; scissio petrarum: contritio cordium; mortuorum suscitatio ad instar suscitationis Lazari: [134] in spiritu suscitatus fuit hodie latro factusque instar Angeli dignus paradiso; reseratio sancti sanctorum: aperitio ianuae caelestis fructus mortis Christi est. Hinc exaltatus fuit Christus sicut serpens, *ut omnis qui credit in eum... habeat vitam aeternam;* sic morienti Stephano apertum fuit caelum. [135]

X. Regius Vates ait, de Christo verba faciens: *De torrente in via bibit, propterea exaltavit caput,* [136] quod idem est cum illo Pauli: *Humiliavit semetipsum... propter quod et Deus exaltavit illum.* Torrentem appellat Christi passionem, sicut alibi ipsemet gravem tribulationem: *Torrentem pertransivit anima nostra, forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.* [137] Hac autem metaphora designatur passio magna quidem et afflictionum poenarumque copiosissima, sed brevis et cito transiens, cito enim deficiunt aquae torrentis.

Regius Vates passionem Christi torrentem appellat,

Quamvis alium etiam sensum potest habere hic locus. Agit nanque *Psalmus* de bello Christi contra inimicos suos, nempe daemones: *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita,* hebraice *caput, in terra, rabbah, super terram multam.* [138] Loquitur de victoria Christi contra satanam et exercitum eius, utique in die passionis, ut apud Isaiam legimus: *Torcular calcavi solus,* etc. [139] Ad designandam autem victoriae magnitudinem ponitur veluti torrens sanguinis, sicut *Numerorum* 23 legimus: *Non accubabit donec devoret praedam et occisorum sanguinem bibat.* [140] Sic pugnavit Christus et vicit, sed patiendo multa et gravia. Non enim congressus est cum hoste potentissimo cum sua maiestate, sed cum nostra hu-

non tantum quia magna fuit,

sed singulariter quia maxima extitit eius victoria.

134) Cf. Io 11, 43-44. 135) Cf. Act 7, 55. 136) Ps 109, 7. Vulg.: *Bibet.* 137) Ps 123, 5. 138) Ps 109 (hebr. 110), 6. 139) 63, 3. 140) Vr. 24.

militate; quoniam autem de torrente passionis bibit, *propterea exaltavit caput*, ut sederet a dextris Dei, ut in eodem *Psalmo* dicitur, ut dominaretur in medio inimicorum suorum,[141] videretque inimicos suos sub pedibus suis, instar scabelli et subselli.[142]

141) Cf. Ps 109, 2.

142) Reliqua parte paginae alba relicta, in altera invenitur inscriptio: « Sabbato Sancto »; sed reliquae octo paginae item albae relinquuntur et sic transit ad Dominicam Resurrectionis.

DOMINICA RESURRECTIONIS

Nolite expavescere, scio enim quod Iesum, qui crucifixus est, quaeritis... Surrexit, etc. [1]

Brevi sermone Angelus praedicat resurrectionem Christi.

I. Dominicae resurrectionis divinum mysterium ab Angelo praedicatur sanctis mulieribus, sicut et mysterium nativitatis ipsius sanctis pastoribus: *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus;* [2] sic Matthaeus ait quod *Angelus Domini descendit de caelo* et *dixit mulieribus*: *Nolite timere.* [3] Paucissimis autem verbis divinum hoc mysterium complexus est Angelus, imo Angelorum princeps, hinc dicitur *Angelus Domini,* quasi inter omnes Angelos unicus et singularissimus; ait ergo: *Iesum quaeritis crucifixum: surrexit, non est hic.* [4]

Assignantur causae resurrectionis: efficiens,

II. Assignantur autem in hisce verbis divini huius mysterii plures causae. In eo quod ait: *Surrexit,* causa efficiens. Ad mortuum suscitandum supernaturali opus virtute est, divina potentia. Hinc saepe legimus Christum a Deo suscitatum; [5] hoc item est quod Deus iussit pisci, qui Ionam devoraverat, ut redderet eum et in terram evomeret, [6] alioquin actum erat de Iona. Sic Deus causa fuit resurrectionis Christi. At vero quia Christus Deus erat et homo, nec mortuus est ut Deus, sed ut homo, ipse tanquam Deus seipsum suscitavit; ut homo habebat principium intrinsecum resurgendi, sicut

1) Mt 28, 5-6. Vulg.: *Nolite timere vos.* 2) Lc 2, 10-11. 3) 28, 2. 5. 4) Mc 16, 6. 5) Cf. Act 2, 24; 3, 15. 26; 4; 10; 5, 30; 10, 40 et in aliis pluribus locis. 6) Cf. Ion 2, 1 sqq.

qui dormit naturali somno habet intrinsecus naturale principium sese excitandi a somno: *Nunquid qui dormit non adiiciet ut resurgat?* [7] Propterea ait: *surrexit*, non suscitatus est, quia, cum Deus esset, divina virtute sua seipsum a somno mortis excitavit: *Ego dormivi et soporatus sum, et exurrexi, quoniam Dominus suscepit me.* [8] Sic praefigurata fuit mors Christi in somno Adami; [9] hoc est quod Dominus ait: *Solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud; dicebat de templo corporis sui;* [10] sic ait: *Potestatem habeo ponendi* animam meam *et iterum sumendi eam.* [11] Hinc moriens spiritum Patri commendavit tamquam depositum: *Et inclinato capite, tradidit spiritum;* [12] sic in resurrectione iterum resumpsit spiritum. Ipse sibi auctor vitae fuit in resurrectione, hoc est: *Surrexit, non est hic.*

materialis, Quoad materialem autem causam ait: *Iesum, qui crucifixus est, quaeritis.* Crucifixus, mortuus et sepultus, causa materialis est: *Venite et videte locum ubi positus fuit Dominus;* [13] et Magdalena: *Tulerunt Dominum.* [14] Corpus Domini vere dicitur Dominus propter coniunctam divinitatem; corpus autem illud divina arte formatum, Spiritus Sancti opera in Virginis utero conceptum, a Iudaeis crucifixum et occisum, divinitus vivificatum est vitaque immortali et gloria perpetua donatum.

formalis, Formalis autem causa, reunio ac reconiunctio animae et corporis. Sicut Elias orabat pro suscitatione filii viduae sareptanae: *Revertatur,* Domine, *obsecro, anima pueri huius in viscera eius,* [15] sic hodie reversa est anima Christi ad corpus sacratissimum corpusque exanime vivificavit. Sicut radius solis nubem lucidam reddit et lumen positum intra lanternam ipsam illustrat, ita anima Christi gloriosissima et beatissima corpus vivificavit, glorificavit, beatificavit.

finalis. Finalis causa est glorificatio Christi: *Humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum et dedit illi nomen quod est super omne nomen,* [16] idest gloriam super omnem gloriam, dignitatem super omnem dignitatem: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra.* [17] Hinc Paulus alibi: *Ut sicut Christus surrexit in gloriam Patris, ita et*

7) Ps 40, 9. 8) Ps 3, 5. 9) Cf. Gn 2, 21-24. 10) Io 2, 19. 21. 11) Ibid. 10, 18. 12) Ibid. 19, 30. 13) Mt 28, 6. Vulg.: *Positus erat Dominus.* 14) Io 20, 13. 15) 3 Rg 17, 21. 16) Phil 2, 8-9. Vulg.: *Donavit illi nomen,* etc. 17) Mt 28, 18.

nos in novitate vitae ambulemus.[18] *Surrexit,* inquit, *in gloriam,* non hominum, non Angelorum, sed *in gloriam Patris,* idest cum infinita Dei gloria et honore, ut Deus gloriosus, cum omni gloria cum qua venturus est iudicare mundum. Hoc est quod alibi Paulus ait, quod Christus mortuus est et resurrexit, *ut vivorum et mortuorum dominetur,*[19] idest ut verum Deum rerum omnium Dominum se ostenderet. Hinc ab Angelo simpliciter *Dominus* est appellatus: *Venite et videte locum, ubi positus fuit Dominus.*

Fuit etiam veluti scopus quidam resurrectionis id quod Paulus ait: Mortuus est Christus *propter peccata nostra et resurrexit propter iustificationem nostram;*[20] nam sine fide non potest esse iustitia; nisi quis credat ex animo, iustificari non potest: *Si autem Christus non resurrexit... inanis est fides vestra;*[21] nisi Christus surrexisset, actum fuisset de fide, nam ipsi etiam Apostoli in incredulitate periissent. Resurgens Christus Apostolos ad vivam fidem revocavit ipsosque iustificavit et Spiritu Sancto replevit dicens: *Accipite Spiritum Sanctum;*[22] hinc veritatem suae resurrectionis multis argumentis probavit, ut Apostoli ceterique disciple firmissime crederent ac nullatenus dubitarent vere eum surrexisse.

Modus apparitionis Angeli imago fuit resurrectionis Christi.

III. Modus autem, quomodo Angelus apparuit sanctis hisce mulieribus annuncians eis Christi resurrectionem, veluti exemplar quoddam ac idea fuit divini huius mysterii, nam: *Viderunt iuvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, et obstupuerunt;*[23] viderunt Angelum mirabili gloria circumdatum: *Erat autem,* inquit Matthaeus, *aspectus eius sicut fulgur, vestimenta autem eius sicut nix,*[24] ubi ostenditur veluti imago quaedam gloriae transfigurationis Christi, quando *resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius,* etc.;[25] gloria nanque transfigurationis Christi idea veluti quaedam fuit gloriae resurrectionis. Sic in Antiquo Testamento multis mysteriis praesignata ac praefigurata est gloria resurrectionis Christi, sicut Dominus ipse praesignatam dixit in mysterio Ionae,

18) Rom 6, 4. Vulg.: *Per gloriam Patris,* etc. 19) Rom 14, 9. 20) Ibid. 4, 25. Vulg.: *Traditus est propter delicta,* etc. 21) 1 Cor 15, 14. 22) Io 20, 22. 23) Mc 16, 5. 24) 28, 3. Vulg.: *Vestimentum eius,* etc. 25) Ibid. 17, 2.

qui devoratus a pisce in mari, post tres dies redditus est vivus, salvus, incolumis;[26] itemque in templo reparato, de quo Vates ait: *Magna erit gloria domus istius posterioris magis quam prioris,*[27] nam multo maiori cum gloria Christus resurrexit. Adam evigilans de somno et Evam de latere suo formatam inveniens, mysterium hoc designat, etc.

Assignantur effectus resurrectionis,

IV. Resurrectionis autem Domini quam plures extitere effectus. Nam suscitatus Dominus dispersas congregavit oves ut bonus pastor, nam, ut ipsemet dixit, in passione adimpletum fuit illud: *Percutiam pastorem et dispergentur oves gregis.*[28] Praecipuus tamen effectus fuit Ecclesiae consolatio. Sicut enim Samson, cum in ore occisi leonis favum mellis invenisset, ipse ex eo comedit et dedit etiam patri, matri et domesticis suis,[29] ita plane Christus resurgens, devicta morte, triumphato principe tenebrarum, expoliato inferno, unde *multa corpora Sanctorum qui dormierant surrexerunt,*[30] plurimam sumpsit consolationem. Sicut enim in die passionis *coepit pavere et taedere,*[31] *contristari et moestus esse,*[32] unde ait: *Tristis est anima mea usque ad mortem,*[33] ita plane sanctissima Christi humanitas supra modum laetata est hodie. Laetatus est Pater cum tota caelesti curia, sicut clementissimus pater supra modum laetatus fuit, quoniam prodigum fiilium salvum recepit, dicens: *Epulari et gaudere* oportet, *quia... mortuus erat et revixit, perierat et inventus est;*[34] sic magna festivitas celebrata fuit in domo ipsius magna cum laetitia et exultatione. Ita plane hodie in paradiso. Hinc visi sunt Angeli in stola candida, in veste splendenti, in signum laetitiae. Si enim pro salute unius hominis gaudium magnum in caelo est coram Angelis Dei,[35] quanto magis pro salute omnium hominum et Christi Salvatoris omnium!

quorum praecipuus fuit consolatio humanitatis Christi;

Incredibili autem gaudio affecta est hodie universa Christi Ecclesia, sicut ob mortem ipsius incredibili dolore et afflictione affecta fuit, hinc plangebat Magdalena hodie, cui et Angeli et Domi-

26) Cf. ibid. 12, 39-40; 16, 4; Lc 11, 29-30. 27) Agg 2, 10. Vulg.: *Novissimae plusquam primae.* 28) Mt 26, 31. 29) Cf. Idc 14, 5-9. 30) Mt 27, 52. 31) Mc 14, 33. 32) Mt 26, 37. 33) Ibid. vr. 38; Mc 14, 34. 34) Lc 15, 22. 35) Cf. ibid. vrr. 7. 10.

nus Angelorum dixere: *Mulier, quid ploras? Quia*, inquit, *tulerunt Dominum meum;*[36] dolore inconsolabili Magdalena angebatur; sic universa Ecclesia. Sed, viso Christo, plena fuit ineffabili gaudio, hinc cum vocem Domini agnovit dicentis: *Maria*, statim ad pedes ipsius cucurrit, dicens: *Rabboni, magister mi,*[37] Domine mi. Ita sane hodie universa Ecclesia gaudio et consolatione repleta fuit: *Adhuc autem illis non credentibus et mirantibus prae gaudio, existimabant se visum videre,*[38] sicut Petrus ab Angelo eductus de carcere,[39] videbantur sibi fideles hodie somniare, sicut Regius Vates ait: *In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati*, hebraice: *sicut somniantes; tunc repletum est gaudio os nostrum et lingua nostra exultatione*, quia *magnificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus laetantes*, nam convertit Dominus, tranquillavit *captivitatem nostram sicut torrens in austro,*[40] sicut magna aquarum copia optatissima in australibus regionibus valde aridis, siticulosis, adustis prae nimio solis ardore. Ecclesia etiam ineffabili gaudio repleta fuit.

Hoc ipsum cecinit Regius Vates in alio *Psalmo*: *Exurgat Deus*, hebraice, *exurget Deus et dissipabuntur inimici eius et fugient qui oderunt eum a facie eius... et iusti epulabuntur et exultabunt et delectabuntur in laetitia;*[41] plane sicut populus Dei, transito mari Rubro ac Pharaone demerso, incredibili laetitia plenus canebat et exultabat: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est.*[42] Hodiernus autem dies transitus dies est, ait nanque: *Est enim phase, idest transitus Domini.*[43] Transivit nanque hodie Dominus a morte ad vitam, ab ignominia ad gloriam, sed immortalem, perpetuam, supernaturalem, divinam. Sancta autem Ecclesia transivit a moestitia ad ineffabile gaudium et laetitiam, et item ab imperfecta ad perfectam fidem et plenitudinem gratiae: *Pax vobis... Accipite Spiritum Sanctum;*[44] quare fuit laetitia maxime spiritualis et interna. quod cecinit Regius Vates;

Quae autem lingua dicere vel quis intellectus capere possit quali quantoque gaudio repleta fuerit hodie Virgo Beatissima? Amor enim mensura est et doloris in tristibus et gaudii in laetis. In passione et morte Christi sanctissimum cor ipsius acutissimo doloris sed maxime laetata fuit B. Virgo, quae maxime Christum diligebat.

36) Io 20, 13. 37) Ibid. vr. 16. 38) Lc 24, 37. 41. Vulg.: *Spiritum videre.* Affert ordine inverso. 39) Cf. Act 12, 9. 40) Ps 125 (hebr. 126), 1-4. 41) Ps 67 (hebr. 68), 2. 4. 42) Ex 15, 1. 43) Ibid. 12, 11. 44) Io 20, 19. 21-22.

gladio transverberatum fuit, quoniam maxime amabat Filium summe amabilem. Apparuit autem Christus iis prius qui eum magis diligebant: Magdalenae,[45] Petro, deinde aliis; Virgo autem Deipara Christum semper maxime omnium dilexit.

Pium studium mulierum ut Crucifixum ungerent

V. *Maria Magdalene et Maria Iacobi et Salome emerunt aromata ut venientes ungerent Iesum.*[46] Pium studium erat sanctaque sollicitudo mulierum Christum amantium, ut crucifixum Dominum ungerent. O beatas animas, quae in Christi obsequio et famulatu sollicitae sunt! Invenient enim Christum multo sollicitiorem. Haec enim lucta est Iacob patriarchae cum Deo.[47] En mulieres valde sollicitae, cum transisset sabbatum, prima sabbatorum, *valde mane,*[48] *cum adhuc tenebrae essent,*[49] cum aurora non esset satis clara, remoto omni impedimento tum legali sabbati tum naturali obscurae noctis, cum non licet honestis mulieribus domo exire, sed cum primum licuit domo egressae, venerunt ut ungerent Dominum et pietatis obsequium praestarent. Tota nocte sanctae mulieres vigilaverant ut pararent unguenta, ita ut summo mane parata iam essent.

sibi gratissimum fuisse Dominus ostendit,

Non sprevit Dominus pium hoc studium sanctarum mulierum, sed multo fuit eis sollicitior summo resurgens diluculo ut eas consolaretur. Sciens enim quanto cum dolore atque moestitia Ecclesiam suam reliquerit, sollicitus est ut resurgat ad eam consolandam; vix quadraginta horis mansit in sepulcro ad comprobandam mortis suae veritatem. Praedixerat mansurum se in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus, idest, phrasi hebraica, tribus naturalibus diebus, non tamen integris. Cum tertiae naturalis diei pars magna pertransisset, tota scilicet nox usque ad diei crepusculum, resurrexit, summo mane exortus est sol hic divinissimus, nam forte ad hoc mysterium insinuandum Marcus ait venisse ad monumentum mulieres *orto iam sole,*[50] licet quoad veritatem historiae per ortum solis auroram intelligat, tunc enim oriri incipit sol cum ipsius lux incipit manifestari nostro hemisphaerio.

45) Cf. Mc 16, 9; Io 20, 15-17. 46) Mc 16, 1. 47) Cf. Gn 32, 24-26.
48) Mc 16, 2. 49) Io 20, 1. 50) 16, 2.

Piae igitur huic sollicitudini Dominus respondit maiori sollicitudine, hoc est quod ait: *Cum sancto sanctus eris.*[51] Et cum piae mulieres Christum quaererent mortuum, invenerunt vivum, et cum existimarent se magnam reperturas difficultatem: *Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?*[52] invenerunt ab Angelo revolutum lapidem; *Angelus enim Domini descendit de caelo et accedens revolvit lapidem et sedebat super eum,*[53] exterrefactis terraemotu fugatisque custodibus, ne quam piae mulieres ab eis paterentur iniuriam: *Prae timore autem eius exterriti sunt custodes et facti sunt velut mortui.*[54] Angelus etiam sanctas mulieres blande affatus, consolatus fuit. Sic in Christi famulatu reperitur multo minor difficultas et labor quam existimatur, et bonum multo maius quam quaeritur, nam quaerebant Christum mortuum et invenerunt vivum, immortalem, beatum, gloriosum, quem cum vidissent, *tenuerunt pedes eius et adoraverunt.*[55]

apparens eis vivus et gloriosus dum mortuum quaererent.

VI. *Surrexit, non est hic.* Hodie vere usurpare possumus problema illud Samsonis: *De comedente exivit cibus et de forti egressa est dulcedo,*[56] cum in ore extincti leonis a se occisi favum mellis invenit. Leo terribilis et supra modum formidabilis mors est, quam tamen Christus vicit ac superavit nobisque « aeternitatis aditum, devicta morte, reseravit ».[57] Leo mors erat omnia devorans, leo qui in via prope Samariam occidit prophetam Domini.[58] Sed de comedente hodie exivit cibus cum Christus resurrexit, panis vitae aeternae. Resurrexit autem cum infinita gloria, hinc *de forti egressa est dulcedo.*

Hodie Christus mortem ipsam superavit.

Surrexit, non est hic: cum Angelus Domini de caelo descendens lapidem illum magnum revolvisset, haec ait. Cum autem Christus in Divinis Litteris lapis sit appellatus: *Petra autem erat Christus;*[59] *Ecce pono in Sion lapidem,*[60] merito per lapidem hinc revolutum designari potest Christi resurrectio plane mirabilis et divina, nonnisi divinitus facta. Super lapidem Angelus sedet, super Christum

Semper magnus in S. Litteris Christus ostenditur.

51) Ps 17, 26. 52) Mc 16, 3. 53) Mt 28, 2. 54) Ibid. vr. 4.
55) Ibid. vr. 9. Aliquae lineae albae relinquuntur et prosequitur in altera pagina.
56) Idc 14, 14. 57) Praefatio Paschatis. Cf. Missale Rom. 58) Cf. 3 Rg 13, 21-28.
59) 1 Cor 10, 4. 60) Is 28, 16; 1 Petr 2, 6.

hominem divinitas requiescit: *Erat* lapis *magnus valde*:[61] semper magnus in Divinis Litteris Christus ostenditur.

ALIA HOMILIA[1]

Nolite timere, scio enim quod Iesum, etc.[2]

Habemus hodie concionem:

I. Concionem habet Angelus ad has sanctas mulieres de Christi resurrectione. Ab Evangelista ostenditur concionator, concio ipsa et auditorium cui praedicata est concio.

concionator est Angelus

Quoad concionatorem ait: *Viderunt iuvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, et obstupuerunt;*[3] Matthaeus magis declarat: *Angelus autem Domini descendit de caelo.*[4] Orator definitur vir bonus, dicendi peritus; Angelus autem hic optimus extitit orator, sicut et ille qui nativitatem Christi pastoribus praedicavit.[5]

et praedicat resurrectionem Christi,

Quoad concionem vero, praedicat mirabile mysterium, hominibus incredibile, quod Crucifixus surrexit veluti a somno suamet natura excitatus. Prius autem veluti benevolentiam captans ait: *Nolite timere,* sic etiam Angelus ad pastores ait: *Nolite timere, ecce evangelizo vobis,* etc.[6] Praedicat autem Angelus hodiernus multo mirabilius mysterium, quam ille qui Christi nunciavit nativitatem, et tamen non ait: *Evangelizo vobis gaudium magnum,* sed nil laetius nunciare potuit, quam Christum crucifixum a morte excitatum. Hoc enim gaudium magnum Patris in caelo, gaudium magnum Matris in terra, gaudium magnum Angelorum in paradiso, gaudium magnum Apostolorum in mundo, magnum gaudium fidelium omnium in Ecclesia Sancta Dei, sicut in die passionis magna fuit omnium tristitia.

quod magnum gaudium attulit caelo et terrae;

Magna est autem laetitia omnium fidelium, quoniam surrexit Christus, omnibus auctor et exemplar vitae immortalis. Tristatus fuit vehementer Ezechias cum nuncium mortis accepit, laetatus autem cum nuncium vitae [recepit].[7] Christus autem resurgens vitam no-

61) Mc 16, 4.

1) Atramento clariori exarata. 2) Mt 28, 5. 3) Mc 16, 5. 4) 28, 2. 5) Cf. Lc 2, 9-14. 6) Ibid. vr. 10. 7) Cf. 4 Rg 20, 1-11; Is 38, 1 sqq.

bis aeternam nunciat. Haec igitur causa est gaudii, quoniam Christus bonorum omnium auctor est nobis.

Auditores autem huius concionis fuerunt tres sanctae mulieres, in quibus universa Ecclesia designatur propter tres status fidelium et tres virtutes theologicas ac divinas. Veris igitur fidelibus dicitur ne timeant, sed potius ut laetentur et exultent, quoniam surrexit Dominus. Sicut enim Christi resurrectio magnae fuit causa laetitiae hodie paradiso non inferno, Angelis non daemonibus, ita veris Christi fidelibus in Ecclesia, non autem infidelibus impiisque peccatoribus in mundo. In adventu arcae testamenti ad castra laetati fuerunt Hebraei fideles, non autem infideles Allophyli, nam contra eos veniebat.[8] auditores sunt tres mulieres designantes Ecclesiam.

II. De fructu autem huius[9] concionis nihil dicit Marcus, nisi quod repletae fuerunt timore et invasit eas pavor, graece extasis, stupor, *et nemini quidquam dixerunt, timebant enim*,[10] quasi dicat quod nimio timore exterritae vix loqui poterant. Matthaeus vero dicit quod repletae fuerunt *timore* et gaudio et cucurrerunt nunciare haec Apostolis; sed occurrit eis Dominus in via eisque seipsum manifestavit; at illae *accesserunt et tenuerunt pedes eius et adoraverunt eum.*[11] Hic igitur fuit fructus, dispositae fuerunt angelica concione ut Christum videre meruerint.

Praedicat autem Angelus et dictis et factis. Dictis quidem: *Surrexit, non est hic, venite et videte locum ubi posuerunt eum!*[12] Matthaeus: *Ubi positus erat Dominus.*[13] Agnoscit Angelus, qui de caelo descendit, et palam confitetur Christum Dominum suum, sicut Angelus qui nunciavit Christi nativitatem: *Qui est Christus Dominus,*[14] eumque absolute *Dominum* appellat, quo nomine solus Deus communis Angelorum et hominum, communis Dominus omnis creaturae, appellari solet. Ad designandam autem expressius formam resurrectionis, ait graece: *Excitatus est*, quasi a somno expergefactus: *Ego dormivi et soporatus sum, et exurrexi, quoniam Dominus suscepit me.*[15] Factis vero praedicat, nam ait quod *viderunt iuvenem* Angelus praedicat dictis et factis.

8) Cf. 1 Rg 4, 4-8. 9) Ms.: *Huius* repetitur. Quae sequuntur stylo strictiori exarata sunt. 10) 16, 8. 11) 28, 8-9. 12) Mc 16, 6. Inserit Mt 28, 6. 13) 28, 6. 14) Lc 2, 11. 15) Ps 3, 6.

sedentem in dextris, coopertum stola candida, et obstupuerunt; Matthaeus autem: *Angelus enim Domini* descendens *de caelo... revolvit lapidem et sedebat super eum. Prae timore autem eius exterriti sunt custodes et facti sunt velut mortui. Erat autem aspectus eius sicut fulgur, vestimenta autem eius sicut nix.* [16] Hic autem Angelus, sicut natura sua imago Dei est, ita in hac forma corporea veluti imago quaedam in speculo est Christi a mortuis excitati.

Modus apparitionis Angeli ostendit gloriam Christi suscitati.

Ostenditur autem hic Angelus validis viribus, nam ipsius virtute *terraemotus factus est magnus et prae timore eius exterriti sunt custodes et facti sunt sicut mortui,* sic revolvit lapidem, qui erat *magnus valde.* [17] Ostenditur iuvenis, licet enim Angelus ab initio creatus sit, semper tamen iuvenis mansit, sicut sol in caelo, quoniam natura immortalis et impassibilis est, nunquam senescit; ostenditur in veste candida atque fulgenti vultuque splendido instar fulguris, propter divinam sanctitatem et gloriam; ostenditur sedens et a dextris magni lapidis, quem revolverat. Sic Christus resurrexit ad vitam angelicam, caelestem, immortalem, impassibilem, beatam, gloriosam, omnis laboris expertem; hinc *assumptus est in caelum et sedet a dextris Dei,* [18] divina praeditus maiestate et virtute. Propterea igitur Angelus hic non communi hominum habitu apparuit, sicut alias saepe, ut Abrahae, [19] Loth, [20] Iacob, [21] Gedeoni, [22] parentibus Samsonis [23] et aliis, sed habitu plane caelesti, ita ut nullo modo dubitari posset quia Angelus esset, ut nedum sua auctoritate fidem faceret Christi resurrectionis, verum etiam eam repraesentaret.

Assignatur etiam tempus huius concionis, iuxta Evangelistas

III. Ponitur autem adhuc tempus huius concionis: *Valde mane,* inquit, *veniunt ad monumentum, orto iam sole;* [24] valde mane, *cum adhuc tenebrae essent,* ait Ioannes; [25] Matthaeus vero: *Vespere autem sabbati, quae lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene,* etc. [26] Sed non est graece apud Matthaeum *vespera de sabbaton,* ut accipiatur pro vespertino tempore post solis occasum, quae tunc vel per synecdochen accipi potuisset pro tota nocte,

16) Mt 28, 2-4. Affert ordine inverso. 17) Mc 16, 4. 18) Ibid. vr. 19. 19) Cf. Gn 18, 1 sqq. 20) Cf. ibid. 19, 1-22. 21) Cf. ibid. 32, 1-30. 22) Cf. Idc 6, 11-23. 23) Cf. ibid. 13, 1-21. 24) Mc 16, 2. 25) 20, 1. 26) 28, 1.

sicut in *Genesi*: *Factum est vespere et mane dies unus*[27] essetque facilis sensus; nocte, inquit, sabbati, non quae propria sabbati est, cum sabbatum ab occasu solis incipiat et ad occasum solis terminetur, sed nocte quae sabbatum sequitur, hinc: *Quae lucescit in prima sabbati*, quemadmodum Divus Augustinus *De Consensu Evangelistarum*[28] interpretatur; sed graece est *opse de sabbaton*, quae quidem vox, ut Hieronymus *ad Hedibiam* ait,[29] sero et tarde significat. Sic enim Graeci loquuntur: Opse tis oras, opse tis imeras, opse tis ilichias: longe transacta hora, longe transacta die, longe transacta aetate. Sic ait: longe iam transacto sabbato, remoto legali impedimento, cum iam lucescere inciperet prima dies sabbati, idest hebdomadis, cum primum eis licuit, remoto naturali temporis impedimento, neque enim licet honestis mulieribus intempesta nocte domum exire nec tantum habent audaciae ut nocte pergant ad monumentum. Sic non est diversus Matthaeus ab aliis Evangelistis, sed idem dicit. Hinc Marcus, qui veluti interpres solet esse Matthaei, ait: *Cum transisset sabbatum, valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum, orto iam sole*, idest oriente sole; valde mane erat cum domo egressae fuerunt, sed iam clarus erat dies cum ad sepulcrum pervenerunt, iam inclaruerat dies, cuius claritas nonnisi a sole est, ideo matutinam claritatem solis ortum appellat. Sic opportuno tempore facta fuit ab Angelo concio haec. Loco etiam opportuno aptoque ad persuadendum, nam intra ipsum sacrum sepulcrum, ita ut locus etiam ipse indicaret veritatem resurrectionis quam praedicabat eis: *Venite et videte locum ubi positus fuit Dominus, ubi posuerunt eum. Non est hic, surrexit* ergo, nam cum furari nemo potuit, cum milites hic excubarent.

et interpretationem Doctorum.

IV. *Surrexit, non est hic*. Annunciatur hodie ab Angelo fructus passionis et mortis Christi, ipsa, inquam, resurrectio, sicut Isaias ait: *Si posuerit pro delicto animam suam... voluntas Domini in manu*

Annunciatur fructus passionis Christi,

27) 1, 5. 28) Lib. 3, cp. 4 (P. L. 34, 1198). 29) Epist. 120, cp. 4, ibid. 22, 888.

idest ipsius gloriae magnitudo,

eius prosperabitur... videbit et saturabitur;[30] et Regius Vates: *De torrente in via bibit, propterea exaltavit caput;*[31] Paulus etiam: *Humiliavit semetipsum usque ad mortem... propter quod et Deus exaltavit illum.*[32] Sic hodie Angelus: Crucifixum quaeritis, *surrexit. Venite et videte locum, ubi positus erat Dominus.*[33] En Angelus Domini, qui descendit de caelo, Christum crucifixum agnoscit et palam confitetur Dominum suum. Magnus Dominus, qui talem tantumque servum habet. Hinc post resurrectionem suam Dominus ait: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra.*[34] Sicut autem, superata omni tentatione in deserto, *accesserunt Angeli et ministrabant ei,*[35] veluti triumphum victoriae ei facientes, ita nunc, superata omni pugna contra satanam, infernum et mortem, Angeli Christo ministrant, praedicant laudibus et encomiis celebrant.

de qua loquitur etiam D. Paulus.

Paulus, *Hebraeis* 2, exponens de Christo illud *Psalmi*: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum,* etc., ait: *Eum, qui modico ab Angelis minoratus est, videmus Iesum propter passionem carnis gloria et honore coronatum.*[36] Sic igitur Christus ex merito passionis suae resurrexit, gloria et honore coronatus et constitutus super opera manuum Dei,[37] nam, ut Paulus ait, *in eo quod dicit*: *Omnia subiecisti sub pedibus eius... nihil reliquit non subiectum ei.*[38] Propterea Angelus hodie *Dominum* eum appellat.

Christus exemplar est futurae resurrectionis nostrae.

Quoniam vero Christus archetypum exemplar est naturae humanae, Christi etiam resurrectio et gloria exemplar est futurae resurrectionis nostrae; hinc nanque appellatus est *primogenitus mortuorum.*[39] Electi omnes filii Dei sunt et fratres Christi, heredes Dei coheredes Christi,[40] eiusdem hereditatis consortes. Haec nobis summae est causa laetitiae.

V. *Viderunt revolutum lapidem, erat quippe magnus valde.*[41] Revera mihi Christus suscitatus videtur lapis revolutus. Saepe Di-

30) 53, 10-11. Vulg.: *Si posuerit pro peccato... in manu eius dirigetur.* 31) Ps 109, 7. Vulg.: *Bibet.* 32) Phil 2, 8-9. 33) Mt 28, 6. 34) Ibid. vr. 18. 35) Ibid. 4, 11. 36) Vr. 9. Ps 8, 6. 37) Cf. Hebr 2, 7. 38) Ibid. vr. 8. Vulg.: *Nihil dimisit,* etc. 39) Apc 1, 5. 40) Cf. Rom 8, 17. 41) Mc 16, 4.

vina Scriptura de Christo sub lapidis metaphora loquitur. Ipse enim lapis est apud Danielem e monte praecisus sine manibus, qui postea in immensum crevit;[42] ipse apud Isaiam prius quidem lapis offensionis et petra scandali,[43] postea vero lapis in Sion angularis, probatus, pretiosus;[44] ipse lapis, de quo Regius Vates: *Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli; a Domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris,*[45] sicut ipsemet Christus interpretatus fuit,[46] et postea Petrus.[47] Saepe vidimus hunc lapidem revolutum ab altitudine gloriae ad humilitatem et ab humilitate ad gloriam: *Cum in forma Dei esset... exinanivit semetipsum formam servi accipiens;* at vero postea *Deus exaltavit illum.* Vidimus humilitatem in nativitate, exaltationem in Epiphania; humilitatem in baptismo, exaltationem in caelesti manifestatione; humilitatem in deserto, dum ieiunat et tentatur, exaltationem dum vincit et ab Angelis triumphum victoriae accipit; humilitatem in conversatione, gloriam in transfiguratione; humilitatem in praedicatione, gloriam in operatione miraculorum; humilitatem in perpessione persecutionum, gloriam in die palmarum; tandem humilitatem in passione, gloriam in resurrectione. Sic: *Viderunt revolutum lapidem,* mortem mutatam in vitam immortalem, ignominiam in gloriam perpetuam, poenas in felicitatem aeternam, paupertatem in divitias caelestes.

Saepe S. Scriptura de Christo loquitur sub lapidis metaphora, ad ostendendam illius humilitatem et gloriam.

Vidimus alias huiuscemodi mutationes in Iacob, in Ioseph, in Iob, in Moyse, in David; sed omnes illae fuerunt mutationis huius veluti imagines. Dictus est autem lapis hic *magnus valde,* sicut apud Danielem legimus; et quidem in multis conspicua apparuit magnitudo Christi; sed maxime omnium in resurrectione. Magnus Christus in conceptione, magnus in nativitate, magnus in baptismo, magnus in deserto, magnus in transfiguratione, magnus in miraculorum operatione, magnus tandem in cruce; sed maximus in resur-

Gloria transfigurationis vix imago fuit gloriae resurrectionis.

42) Cf. 2, 31-35. 43) Cf. 8, 14. 44) Cf. ibid. 28, 16. 45) Ps 117, 22-23.
46) Cf. Mt 21, 42; Lc 20, 17. 47) Cf. 1 Petr 7-8.

rectione. Hic nanque gloria et honore coronatus est; hinc ait: *Data est mihi omnis potestas.*[48] Nunquam ita magnus apparuit Christus, ut in transfiguratione; sed gloria transfigurationis nonnisi imago quaedam fuit gloriae resurrectionis.[49]

48) Mt 28, 18. 49) Quattuor paginis albis relictis, transit ad diem sequentem.

FERIA SECUNDA INFRA OCTAVAM PASCHAE

Duo ex discipulis Iesu ibant ipsa die in castellum, quod erat, etc. [1]

I. Etiam in hodierno Evangelio agitur de mysterio resurrectionis Christi, sed heri praedicatum fuit hoc mysterium sanctis mulieribus ab Angelo, hodie vero praedicatur duobus discipulis ab ipsomet Christo, Domino Angelorum. Agitur itaque in hodierno Evangelio de Christo concionante vel doctore, de concione et doctrina quam docet, de fructu et utilitate doctrinae ipsius. Doctor Christus, qui *fuit vir propheta, potens in opere et sermone coram Deo et omni populo.* [2] Ostenditur autem mirabilis prudentia, sapientia, miraculis. Prudentia, nam ad reducendas oves has in ovile salutis multa utitur arte: dissimulat personam, nam apparet in habitu peregrini: *Tu solus peregrinus es in Ierusalem,* [3] ac si nec iudaeus homo esset, sed alienigena; simulat ignorantiam: *Qui sunt hi sermones?* [4] simulat oblivionem: *Quae?* simulat actionem: *Finxit se longius ire.* [5] Fingit autem, non ut seducat, ut in errorem inducat, sed ut ab errore reducat ad fidei veritatem. Sicut enim satanas peregrinam formam assumpsit ad decipiendum et perdendum hominem, [6] ita Christus ad salvandum. Non semper malum est fingere, sed fingere ad malum finem, malo animo, nam alias Dominus finxit se esurire, dum abiit ad quaerendum fructum in ficulnea, cum tempus fructuum non esset, in vere, mense Martio, paulo ante pascha. [7]

Hodie Christus concionatorem agit suae resurrectionis.

Magnus etiam ostenditur doctor hic sapientia, doctrina, eruditione, nam *incipiens a Moyse et omnibus Prophetis, interpretabatur*

1) Pericope huius diei Lc 24, 13-35. Cf. Missale Rom. 2) Lc 24, 19. 3) Ibid. vr. 18. 4) Ibid. vr. 17. 5) Ibid. vr. 28. 6) Cf. Gn 3, 1-7. 7) Cf. Mc 11, 13-21.

et doctor magnus ostenditur sapientia et miraculis,

illis, etc.;[8] *dum loqueretur et aperiret Scripturas,* idest declararet; tractabat Divinas Litteras summa cum claritate et loquebatur magna cum energia: *Cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur.*[9] Magnus miraculis: *Potens in opere et sermone.*[10]

quae hodie operatus est.

Verum etiam hodie operatus est miracula, primo quidem induendo formam peregrini, ita ut discipuli eum agnoscere non potuerint ac si clausos haberent oculos, hoc enim est: *Oculi eorum tenebantur ne eum agnoscerent,*[11] et postea: *Aperti sunt oculi eorum et cognoverunt eum.*[12] Alterum miraculum, quia cum recubuisset, cum coenasset cum eis, *accepit panem et benedixit ac fregit*[13] deditque eis, idest panem in suum corpus transmutavit, nam eadem hic agit quae in ultima coena, dum Sacramentum corporis sui instituit. Hinc in *Actis Apostolorum,* capite 2, Divinum hoc Sacramentum fractio panis appellatur in communione.[14] Sic Dominus communicando hos discipulos illuminavit: *Aperti sunt oculi eorum et cognoverunt eum in fractione panis.*[15] Tertium miraculum: *Evanuit ex oculis eorum,*[16] graece *invisibilis* sive inconspicuus factus est eis; iterum reddidit se eis invisibilem. Tandem talis ac tantus est divinus hic doctor, ut omnes Divinae Litterae nonnisi de eo loquantur.

Magnam hodie Christus habet concionem,

II. Magnam habuit Dominus concionem: *Incipiens a Moyse,* etc., sed plena fuit dogmatibus, plena paraenesibus, plena acrimonia critica. Dogmatibus, quoniam agit de Christi persona ac de mysteriis mortis et resurrectionis: ad probanda haec mysteria adhibuit Moysen et Prophetas omnes; plena paraenesibus, nam cum eis familiariter agit et conversatur; plena acrimonia critica: *O stulti et tardi corde,* etc.[17] Sed singulariter agitur de dogmatibus mortis et resurrectionis. Probatur Divinarum Scripturarum testimoniis veritas resurrectionis, quae etiam probatur testimoniis Angelorum: Dicunt *se visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere;*[18] testimoniis etiam Apostolorum: *Invenerunt congregatos undecim... dicentes: Surrexit Dominus vere et apparuit Simoni.*[19]

8) Lc 24, 27. 9) Ibid. vr. 32. 10) Ibid. vr. 19. 11) Ibid. vr. 16. 12) Ibid. vr. 31. 13) Ibid. vr. 30. 14) Cf. vr. 42. 15) Lc 24, 35. 16) Ibid. vr. 31. 17) Ibid. vr. 25. 18) Ibid. vr. 23. 19) Ibid. vrr. 33-34.

Multis igitur testimoniis probatur veritas resurrectionis, sed singulariter probatur a Domino testimoniis Moysi et Prophetarum: *Incipiens a Moyse et omnibus Prophetis, interpretabatur,* quia *oportuit pati Christum* et resurgere a mortuis *et ita intrare in gloriam suam.* [20] Resurrectio Christi veluti basis et fundamentum est fidei nostrae, nam *si Christus non surrexit, inanis est fides* nostra, [21] ideo tantis probatur testimoniis Scripturarum, miraculorum et ipsorum etiam sensuum. His enim potissimum tribus mediis ostendit Dominus veritatem suae resurrectionis; testimoniis, inquam, Scripturarum, miraculorum et sensuum.

nam testimoniis Moysi et Prophetarum probat veritatem resurrectionis suae.

Ostenditur etiam fructus praedicationis huius internus et externus: internus quidem: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via?* externus vero, quoniam cum cognovissent Dominum in fractione panis, regressi sunt eadem hora in Ierusalem. Sic reductae sunt oves ad ovile salutis; erant in statu perditionis, ibant in Emmaus, relicta congregatione fidelium: *Nos... sperabamus,* [22] nunc autem non speramus. *O stulti et tardi corde ad credendum!* nunc autem facti sunt testes et praecones verae resurrectionis: *Narrabant quae gesta erant in via et quomodo cognoverunt eum in fractione panis.* Sic Dominus vere ad statum salutis eos reduxit.

Ostenditur etiam fructus concionis huius.

III. Ostenditur [23] in hodierno Evangelio mirabilis Christi apparitio in ipsa resurrectionis die et tria ostenduntur: primum est forma ipsa apparitionis et modus quo apparuit; secundum est finis apparitionis [24] huius, ut plantaret fidem resurrectionis in cordibus eorum; tertium est effectus apparitionis: *Cognoverunt eum in fractione panis* et dicebant: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur... et aperiret... Scripturas? Et regressi sunt eadem hora in Ierusalem* et *narrabant... quomodo cognoverunt eum.*

In apparitione Christi tria ostenduntur:

Quoad primum forma ostenditur et modus apparitionis. Saepe enim Deus variis modis apparuit Patriarchis atque Prophetis, semper autem in habitu peregrini. Christus item in Sacris Litteris nunc habitum induit prophetae, nunc doctoris, nunc magistri, nunc pa-

forma et modus,

20) Ibid. vr. 26. 21) 1 Cor 15, 14. 22) Lc 24, 21. 23) Atramento nigriori.
24) Ms.: *Apparitionis* bis ponitur.

storis, nunc medici, nunc principis, legislatoris, iudicis, regis. Post resurrectionem variis modis apparuit, sed hodie sub habitu peregrini, *in altera effigie,* ut Marcus habet.[25] Ostenditur autem peregrinus mirabilis humanitate et benignitate, nam hic vere possumus dicere quod *apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiae... sed secundum misericordiam suam.*[26] Non apparuit, sicut Paulo, de caelo exterrens eos,[27] sed tamquam humilis peregrinus, qui pedes conficit iter illisque se adiungit itineris comitem ut consolaretur eos, cum tristes eos videret. Summa cum eis humanitate agit, cui tamen postea severitatem adiungit: *O stulti et tardi corde ad credendum!* Nam cherub ille est habens faciem hominis et faciem leonis:[28] *Dulcis et rectus Dominus.*[29] Mirabilis prudentia, dum, quo medicum agat cum eis, dissimulat personam, cognitionem eorum, ignorantiam fingit, aut potius nescientiam et oblivionem, dum tandem fingit se longius ire. Mirabilis sapientia, dum exponit et aperit omnes Scripturas; mirabilis virtute, qua potuit seipsum in peregrini speciem veluti transformare et postea invisibilem se reddere, ut graece apud Lucam est: *che autos aphantos egeneto*: *et ipse invisibilis,* sive non apparens, *factus est,* veluti cum Angelus apparuit Gedeoni[30] et alius qui Samsonis parentibus apparuit statimque ex oculis eorum evanuit.[31] Imo miraculum etiam fuit cum hodie discipulis apparuit, nam revera nudus Christus erat, nudus enim resurrexit. Linteamina, quibus involutus positus fuit in monumento, ibi reliquit et tamen indutus videbatur et quidem veste peregrina, non nudus: *Oculi tamen eorum tenebantur ne eum agnoscerent,* et ne ipsius nuditatem viderent, quamvis non esset Christi nuditas, cum corpore esset beato, pudenda, sicut nec Adam in innocentia.[32]

finis Finis autem huius apparitionis fides fuit, hinc incredulitatem obiurgavit: *O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quae locuti sunt Prophetae!* Sic Divinarum Scripturarum testimoniis fidem veritatemque resurrectionis probavit firmavitque, nam veritas haec totius christianae fidei cardo, basis, fundamentum est; *si enim,*

25) 16, 12.
26) Tit 3, 4-5. Vulg.: *Benignitas et humanitas apparuit,* etc.
27) Cf. Act 9, 1-4.
28) Cf. Ez 1, 4-10.
29) Ps 24, 8.
30) Cf. Idc 6, 11-21.
31) Cf. ibid. 13, 2-21.
32) Cf. Gn 2, 25.

ut Paulus ait, *Christus non surrexit, inanis est fides* nostra. Fides scopus est omnium Divinarum Scripturarum; hinc *incipiens a Moyse et omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis.* Sic eradicavit ex eorum cordibus evertitque omnem incredulitatem; plantavit autem et firmissimo fundamento supra solidam petram aedificavit fidem ac postea magis magisque confirmavit, dum, regressi in Ierusalem, invenerunt congregatos Apostolos dicentes: *Surrexit Dominus vere et apparuit Simoni.* Quoniam fides basis et fundamentum salutis nostrae est, Christus autem suscitatus basis et fundamentum fidei; oportuit firmum esse fundamentum hoc, ne domus esset super arenam, sed super firmam petram fundata.[33]

Tandem habemus apparitionis huius effectum: *Cognoverunt eum in fractione panis; Nonne cor nostrum ardens erat? Eadem hora regressi sunt in Ierusalem.* Non dicit quod crediderunt in Christum, sed, quod maius est, cognoverunt, dilexerunt, cucurrerunt ad praedicandam aliis fidem resurrectionis. Cognoverunt autem non in expositione Scripturarum, sed *in fractione panis.* Ad cognoscendum Christum necessariae quidem videri possunt Scripturae, sed non sufficientes. Utinam hoc advertant haeretici, qui tantopere Scripturas iactant! Non enim hi in expositione Scripturarum cognoverunt Christum, sed *in fractione panis.* Credebant hi Scripturis, aperiente Christo, intelligebant, et tamen adhuc Christum non agnoscebant. Non ergo sufficiunt Divinae Scripturae ad cognoscendum Christum; in mensa, in panis sacratissimi fractione et gratiae perceptione agnitus est. et effectus.

IV. Ponitur in hodierno Evangelio disputatio quaedam de veritate resurrectionis Christi. Disputat autem fides cum incredulitate, sicut olim duae mulieres coram Salomone disputarunt.[34] Vera fides per Christi os et linguam loquitur, incredulitas per ora linguasque duorum discipulorum. Ponitur conclusio: *Oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam.* Ponitur disputatio de veritate resurrectionis.

Duo hi discipuli referunt haereticorum imaginem, qui iam a Sancta Ecclesia descivere, fide in incredulitatem commutata. Hae-

33) Cf. Mt 7, 24-27. 34) Cf. 3 Rg 3, 16-27.

Duo hi discipuli imaginem haereticorum referunt,

reticus christianus dicitur et appellatur; ita plane hi discipuli christiani dicuntur. Haereticus partim credit, partim non credit, ut manifestum est in quavis secta haereticorum; ita et hi partim credebant, partim non credebant. Credebant hi de Christo multa, ut ipsimet dicunt: *De Iesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere et sermone coram Deo et omni populo;* sed de divinitate ipsius nec verbum quidem, resurrectionem ipsius non credebant; faciliora credebant, difficiliora minime. Hoc plane est haereticorum ingenium. Credebant fuisse magnum prophetam, non autem verum Messiam: *Nos autem sperabamus quod ipse esset redempturus Israel, et nunc super haec omnia tertia dies est hodie quod haec facta sunt.*[35] Dixit, inquiunt, ipse quod esset redemptor Israel, hinc nos sperabamus videre redemptionem hanc. Dixit se tertia die resurrecturum, iam autem tertia dies fere pertransiit, nam: *Advesperascit et inclinata est iam dies,*[36] nec surrexit sicut dixit.

quia contra fidem utuntur argumentis incredulitatis,

Haec sunt argumenta incredulitatis contra fidem. Ipse non redemit Israel, ergo non est redemptor Israel expectatus divinitusque promissus; dixit se resurrecturum tertia die; non surrexit, ergo non expectanda ulterius resurrectio est. Acutis et subtilibus rationibus disputat contra fidem incredulitas, uti in haereticis videmus, qui humanis rationibus impugnant fidei veritatem, a satana excaecati. Versabantur hi in errore, existimabant enim Christum redempturum populum Dei a tyrannide Romanorum, sicut olim Moyses a tyrannide Aegyptiorum, non autem a tyrannide satanae et a peccatis; atque ex hoc errore procedit argumentum et ad hunc usque diem error hic in perfidis Iudaeis perseverat. Existimabant etiam crucem, passionem et mortem pugnare cum vera redemptione, neque enim capere poterant quomqdo mors via esset ad vitam aeternam, talis tantaque ignominia ad gloriam, talium tantarumque poenarum perpessio ad felicitatem beatissimam, cum tamen haec unica via esset redemptionis et salutis.

Sic rationes incredulitatis contra fidem falso nituntur fundamento et ex stultitia ac stolida tarditate oriuntur: *O stulti et tardi*

35) Lc 24, 21. 36) Ibid. vr. 29.

corde ad credendum! Summa nanque stultitia est suo potius ingenio credere quam Deo, qui summa veritas et sapientia est, nec decipere potest aut decipi. Divina, inquit, mysteria non sunt humana ratione metienda. Potest Deus omnia, quando vult et quomodo vult, etiam mediis contrariis, peragere, sicut *de tenebris dixit lumen splendescere.*[37] Tunc suam conclusionem contra incredulitatem multis probavit: *Incipiens a Moyse et omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis.*

quae semper falso nituntur fundamento.

In hanc autem arenam descendit Dominus, non in sua maiestate, sed in nostra humanitate, sicut in ea forma in mundum venire voluit, ut homines commodius docere posset et instruere.

V. Videri poterat paradoxum in hoc Evangelio, nam ut cognosceretur apparuit et ne agnosceretur sub peregrini forma se veluti abscondit. Quid est hoc? Si cognosci nolebat, cur apparuit? Si volebat, cur sub aliena persona apparuit divinoque miraculo eorum oculos tenuit ne ipsum agnoscerent? Sed ita etiam venit in mundum, ut cognosceretur et crederetur verus Filius Dei verusque Deus. Ad hanc fidem, quae ad salutem summopere necessaria erat, plantandam, venit in mundum et tamen absconditus venit sub humana humilitate et infirmitate, *formam servi accipiens,*[38] plane ut ita multo commodius posset instruere homines et mysteria regni caelestis praedicare. Hanc ob causam hodie alieno sub habitu discipulis his apparuit, sicut effectus ipse comprobavit, ut multo maiorem sui ipsius cognitionem ipsorum mentibus animisque instillaret atque infunderet, Divinarum Scripturarum arcana aperiendo mysteria. Ad maiorem nostram utilitatem humilis peregrini habitum assumpsit.

Deus venit in mundum absconditus, ut commodius posset homines instruere;

Sic propositam conclusionem firmissimis validissimisque argumentis probavit, victaque ac superata in eorum animis incredulitate, cum palma victoriae abiit: *Cognoverunt eum* in fractione panis, *et evanuit ex oculis eorum.*[39] Sicut lux tenebras vincit fugatque, ita fides incredulitatem, veritas errores et falsitatem. Sic duo hi discipuli, cum essent tenebrae, facti sunt lux in Domino et ut filii lucis

sic hodie sub habitu peregrini discipulos illuminavit.

37) 2 Cor 4, 6. 38) Phil 2, 7. 39) Lc 24, 31.

ambulaverunt,[40] regressi statim in Ierusalem ad Apostolos aliosque Christi discipulos magno cum ardore et fervore spiritus. Sicut autem *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem,*[41] ita cum corde hi credidissent, palam postea confessi sunt: *Narrabant quae gesta erant in via et quomodo cognoverunt eum in fractione panis.* Sic Dominus oves has, quae perierant, sicut bonus pastor reduxit ad suum ovile.[42]

40) Cf. Eph 5, 8. 41) Rom 10, 10. 42) Quattuor foliis albis relictis, transit ad feriam sequentem.

FERIA TERTIA INFRA OCTAVAM PASCHAE

Stetit Iesus in medio discipulorum suorum et dixit eis: Pax vobis, ego sum, nolite timere, etc. [1]

I. Proponitur in hoc Evangelio apparitio Christi, qua in ipsa resurrectionis die apparuit Apostolorum collegio, in qua, sicut et in alia, qua euntibus in Emmaus apparuit,[2] tria consideranda sunt: forma modusque apparitionis, finis ipsius et tandem effectus fructusque.

Agitur de prima Christi resuscitati apparitione Apostolis.

II. Quoad primum, non apparuit Christus hodie in ea forma qua revera resurrexit, nempe in forma corporis gloriosi, quam in transfiguratione praeostenderat et in ascensione ascendit; nam Angeli dixerunt: *Hic Iesus, qui assumptus est a vobis in caelum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in caelum;* [3] si ita ascendit ut descensurus est, ergo in ea gloria et maiestate ascendit in qua descensurus est. At vero non ita hodie apparuit, sed in ea forma ac figura corporis, qua ante passionem suam cum eis conversatus fuerat. Ostendit quidem se corpus gloriosum habere, dum ad eos ianuis clausis ingressus est, sed non ostendit formam corporis gloriosi. Ostendit se aliam nunc habere formam quam prius, nam ait: *Haec sunt verba quae locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum,* [4] quasi nunc non esset cum eis, cum revera praesens esset;

Consideratur modus quo Christus apparuit:

non apparuit in forma corporis gloriosi,

1) Pericope huius diei Lc 24, 36-47. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Lc 24, 13-31. 3) Act 1, 11. 4) Lc 24. 44.

sed quia nunc, post resurrectionem, non habebat eamdem quam prius humilitatis et infirmitatis formam, sed virtutis, maiestatis et gloriae, dicit se non esse cum eis, quia non ut antea communem cum eis habebat humilitatis et infirmitatis formam; erat cum eis, sed alio modo quam prius, hinc ait: *Cum adhuc essem vobiscum,* in corpore et carne mortali sicut vos; nunc immortalitate et gloria donatus sum sicut Angeli, quare nunc cum beatis Angelis electisque Dei sanctis potius sum, quam vobiscum.

sed in ea quam ostendebat ante passionem.

Nec tamen resurrectionis suae gloriam eis ostendebat, sed eamdem corporis formam propriamque figuram obiectabat, qua prius cum eis conversari solebat, eadem lineamenta, eamdem staturam, eumdem colorem totiusque corporis habitum, eadem loquebatur voce, eadem lingua, eodem modo, ut antea; et tamen *existimabant se spiritum videre,*[5] quia ianuis clausis ad eos ingressus fuerat per impenetrabile corpus, absque ullo strepitu aut rumore vel minimo, de repente et improviso in medio eorum constitit ac si non verum corpus esset, sed phantasticum, quale assumere solent Angeli vel animae defunctorum, ut hominibus appareant corpore et forma. Sic cum existimarent se spiritum videre, veluti etiam cum viderunt eum supra mare ambulantem, existimarunt phantasma esse et propterea in magnum timorem magnamque animi conturbationem inciderunt,[6] ita nunc quoque *conturbati et conterriti existimabant se spiritum videre.* Hinc Dominus, cognitis perspectisque intimis cordium ipsorum cogitationibus: *Quid turbati,* inquit, *estis et cogitationes ascendunt in corda vestra?... Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet.*[7] Voluit Dominus apparere Apostolis in priori humilitatis forma propter scopum finemque huius apparitionis, ut eos de veritate resurrectionis suae multo melius multoque facilius instruere posset.

III. Alterum itaque, quod in hodierno Evangelio habemus, finis et scopus est, nempe clara et manifesta demonstratio verae resurrectionis suae. Hoc est quod ait: *Ego sum, nolite timere.*[8] Demon-

5) Ibid. vr. 37. 6) Cf. Mt 14, 24-26. 7) Lc 24, 38-39. 8) Ibid. vr. 36.

strat autem Dominus veram carnis suae resurrectionem multis argumentis: primo quidem a sensuum experimento certissimo petitis, nam *ostendit eis manus et pedes,*[9] Ioannes etiam *latus* ostendisse dicit.[10] Nec tantum videnda haec praebuit, verum etiam palpanda, ait enim: *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere;* cumque adhuc non plene crederent: *Habetis,* inquit, *hic aliquid quod manducetur?*[11] Alio sensibili argumento hoc ipsum probavit, ut nullus relinqueretur dubitandi locus; hinc voluit ipsos etiam Apostolos secum manducare; hinc Petrus ait: *Quem Deus suscitavit a mortuis et dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus praeordinatis ab eo, nobis, qui manducavimus et bibimus cum eo, postquam surrexit a mortuis.*[12] Hinc etiam Ioannes alludens ad hoc ipsum, quod hodie gestum est, ait: *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae... annunciamus vobis.*[13] Sic hisce argumentis Apostoli luce clarius cognoverunt veritatem divinae resurrectionis.

Consideratur finis: apparuit ad demonstrandam veritatem resurrectionis suae,

Nec valde arguti esse voluerunt, quales haeretici solent esse, ut dicerent argumenta haec non probare veritatem carnis et corporis; nam ita etiam Angeli, qui Abrahamo apparuere, probassent se vera corpora habere, nam ut homines veram corporis formam obiectarunt, locuti sunt, quieverunt sub arbore, lotis pedibus comederunt,[14] et tamen Angeli erant, non homines, spiritus erant sine carne et ossibus nulloque modo, ut apparebant, vera corpora habebant. Sed, ut dixi, noluerunt Apostoli tam arguti esse, sat eis fuit quod nemo hominum pluribus aut evidentioribus argumentis probare poterat se verum non phantasticum corpus habere. Plura autem possibilibus argumenta ad aliquid probandum quaerere insolentis dementiae est.

quam dictis et factis probavit,

Post argumenta vero a sensuum visus, auditus, gustus tactusque experimentis petita, probat eamdem veritatem argumentis petitis a Divinis Litteris: *Quoniam necesse* erat *impleri omnia quae scripta* erant *in lege Moysi et Prophetis et Psalmis de me;* et item: *Quia sic scriptum* erat *et sic oportebat pati Christum et resurgere a mortuis ter-*

argumentis etiam a divinis Litteris petitis,

9) Ibid. vr. 40. 10) 20, 20. 11) Lc 24, 41. 12) Act 10, 40-41.
13) 1 Io 1, 1-2. 14) Cf. Gn 18, 1-9.

tia die et praedicari in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes. [15] Cum, inquit, omnes Prophetae Divino Spiritu afflati manifeste praedixerint et corde praesago vaticinati sint cum de passione et morte Christi tum etiam de resurrectione ipsius, profecto, cum non possit solvi Scriptura nec mentiri possit Deus, « qui locutus est per Prophetas », [16] sicut impletae sunt Scripturae de passione et morte ipsius, ita etiam necesse est ut impletae sint etiam et verae repertae de resurrectione ipsius: *Sic scriptum est et sic oportebat pati Christum et resurgere a mortuis tertia die.*

idest naturalibus et supernaturalibus rationibus.

Sic Dominus et naturalibus, ut summus philosophus, et supernaturalibus, ut eminentissimus theologus, argumentis probavit resurrectionis suae veritatem, quae totius fidei et pietatis nostrae basis est et primarium fundamentum. Crediderunt nanque Apostoli his Christi argumentis permoti, quod postea Thomas et credidit et apertis verbis expressit dicens: *Dominus meus et Deus meus.* [17] Hinc Ioannes ait: *Haec scripta sunt, ut credatis quoniam Iesus est Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine eius.* [18]

Christus hanc veritatem probare voluit ad salutem nostram,

Sic Dominus ad salutem nostram potius procurandam, quam ad gloriam suam promovendam, apparere voluit hodie ad iacienda fidei fundamenta, quoniam fides vera et viva unica est via salutis, scala caeli, porta paradisi. Ipse iam beatus, bonorum nostrorum non indigebat; [19] sed ea ipsa caritate, qua propter nos crucem subiit et mortem obivit, urgente, post resurrectionem suam salutem nostram modis quibuscumque potuit procuravit. Quare apparitionis hodiernae scopus fides est, ut in eum credamus; finis vero salus nostra est: *Ut credentes vitam habeamus in nomine eius.* Nostrae igitur salutis causa post resurrectionem suam discipulis apparere voluit, sicut nostrae salutis causa in mundum venit. Nostrae salutis ergo hodie manus, latus et pedes ostendit, per quae designantur ipsius erga nos amor, opera, passiones. Utinam intelligamus!

sicut nostrae salutis causa in mundum venit.

IV. Quoad tertium multi sunt apparitionis huius effectus et fructus. Obtulit deditque pacem et securitatem dicens: *Pax vobis, ego*

15) Lc 24, 44. 46. 16) *Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum*, Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symbolorum*, n. 86. 17) Io 20, 28. 18) Ibid. vr. 31. 19) Cf. Ps 15, 2; 49, 9-13.

sum, nolite timere.[20] Dedit manus, pedes et latus inspicienda atque palpanda: *Palpate et videte*: *ostendit eis manus et pedes et latus,* ut Ioannes habet. Replevit eos gaudio et admiratione: *Adhuc autem illis non credentibus,* idest, vix credentibus, *et mirantibus prae gaudio;* expulit animi conturbationem et gaudio eos affecit; voluit eos mensae suae participes esse: *Cum manducasset partem piscis assi et favum mellis, sumens reliquias dedit eis;*[21] contulit caeleste donum intelligentiae Divinarum Scripturarum: *Aperuit illis mentem, ut intelligerent Scripturas;*[22] instituit Evangelii praedicatores in universo mundo: *Praedicari in nomine eius poenitentiam et remissionem* [*peccatorum*] *in omnes gentes.*[23]

Considerantur effectus:

Hi sunt effectus divinae resurrectionis Christi. Apostolos hac apparitione veluti beatificavit, veluti deificavit. Neque enim tantum praedicandi poenitentiam et remissionem peccatorum potestatem dedit, verum etiam, ut Ioannes habet, potestatem dimittendi peccata, quod divinum est: *Sicut misit me,* inquit, *Pater, et ego mitto vos... Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis.*[24] Magnum Dei donum est *pax Dei, quae,* ut Paulus ait, *exuperat omnem sensum,*[25] et securitas mentis ab omni metu libertasque animi ab omni perturbatione. Magnum Dei donum laetitia spiritualis cum admiratione ex praesentia Dei, ex praesentia Christi. Magnum Dei donum Christi perfecta cognitio, ad hoc enim corpus suum videndum et palpandum exhibuit. Magnum Dei donum participatio mensae Christi, divinae dulcedinis et suavitatis: *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te!*[26] Magnum Dei donum intelligentia Divinarum Scripturarum, cognitio divinorum mysteriorum. Ac tandem magnum Dei donum salutaris poenitentia et remissio peccatorum, imo Spiritus ipse Sanctus datus ad praedicandum Evangelium et remittenda peccata, ad salvandas animas.

apparitione sua Christus veluti beatificavit Apostolos,

magna enim dona ipsis concessit cum Spiritu Sancto

Sic depulit hodie Christus sua praesentia tamquam divinus sol ex mentibus discipulorum tenebras ignorantiae, ex animis vero tene-

20) Lc 24, 36. 21) Ibid. vrr. 42-43. 22) Ibid. vr. 45. Vulg.: *Aperuit illis sensum.*
23) Ibid. vr. 47. 24) 20, 21-23. 25) Phil 4, 7. 26) Ps 30, 20.

et divinam auctoritatem Ecclesiae contulit;

bras timoris conturbationisque omnis, ex cordibus tenebras incredulitatis deditque animis pacem et serenitatem, cordibus fidem atque gaudium et laetitiam, mentibus divinum intelligentiae lumen, Ecclesiae divinam summamque auctoritatem per Spiritum Sanctum dimittendi peccata.

dedit insuper animis pacem,

Circa haec tria, quoad primum, apparuit Dominus, non in forma hominis terribilis, formidabilis, ad incutiendum timorem exterrendosque Apostolos, sed in forma hominis placidi, pacifici, humanissimi, ad expellendum omnem timorem: *Pax vobis, ego sum, nolite timere;* in forma hominis divina virtute praediti, qui, ianuis clausis, per impenetrabile corpus potuit ad eos penetrare.

cordibus fidem et gaudium,

Quoad secundum, cum dicitur: *Adhuc autem illis non credentibus prae gaudio et mirantibus,* non negari fidem, nam si non credebant, quomodo gaudebant? Profecto si de resurrectione gaudebant, utique resurrexisse credebant; sed prae magnitudine gaudii vix credere posse sibi videbantur eum resurrexisse. Accidit eis sicut Petro: a vinculis per Angelum liberato, *nesciebat verum esse quod fiebat per Angelum, existimabat autem se visum videre.*[27] Quod maxime optamus cum acceperimus, vix iam accepisse et consecutos nos esse credimus, maxime cum ex insperato accipimus. Iacob patriarcha vix credere poterat renuntiantibus filiis quod Ioseph viveret.[28] De Iudaeis a captivitate liberatis dicitur: *In convertendo Dominus captivitatem Sion facti sumus sicut consolati,*[29] hebraice: *sicut somniantes,* idest vix credebamus nos liberatos esse, sed somniare nos putabamus. Erant Apostoli similes sitibundis, qui licet satis superque biberint ad levandam sitim, adhuc tamen sitire nec satis bibisse putant, adhuc bibere volunt.

animabus iustificationem.

Quoad tertium, principalis effectus huius apparitionis fuit Apostolorum iustificatio per veram vivamque fidem; perfecta item consolatio divinarumque virtutum Christi participatio.

27) Act 12, 9. 28) Cf. Gn 45, 25-26. 29) Ps 125 (hebr. 126), 1.

Tria notanda sunt: primo, falso haeretici affirmant D. Scripturas facillimas esse;

V. Notanda sunt autem hic nonnulla contra novatores. Primum est quod Christus Apostolis hodie *aperuit sensum*, idest mentem, *ut intelligerent Scripturas*, sicut etiam duobus discipulis interpretatus fuit Scripturas: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via et aperiret Scripturas?* Non ergo tam facilis, tam aperta est Divina Scriptura, ut novatores fingunt, ut nulla opus sit expositione.[30] Si enim ita est, quomodo Christus interpretatus fuit Scripturas? Quomodo aperuit eas? Quomodo aperuit mentem ad intelligendas Scripturas? Vellem ut indicarent mihi ubi sunt in lege Moysi tam clara, tam aperta testimonia de Christi passione, cruce, morte, resurrectione, cum hic dicat Dominus quod necesse erat impleri in ipso omnia quae scripta sunt in lege Moysi, Prophetis et Psalmis de eo, et quia *sic scriptum est et sic oportebat pati Christum et resurgere a mortuis tertia die.* Ubinam sunt haec clara testimonia, quae expositione non indigent? Ubi dicitur quod Christus Iesus crucifigendus erat, moriturus in cruce et die tertia a mortuis surrecturus? Ubi hoc reperitur in lege Moysi tam aperte?

secundo, poenitentia est evangelicae praedicationis materia,

Secundo notandum id quod ait: *Praedicari in nomine* meo, *poenitentiam.* Alibi iubet praedicari Evangelium dicens: *Praedicate Evangelium omni creaturae: qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit;*[31] hic autem oportere dicit praedicari poenitentiam. Profecto poenitentia est materia evangelicae praedicationis. Haec enim prima fuit Evangelii vox per Ioannem in deserto: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum.*[32] Similiter Christus a poenitentia exorsus fuit praedicationem suam, dicens: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum.*[33] Hinc dixit in die iudicii condemnandos fore Iudaeos a Ninivitis, *quia poenitentiam egerunt in praedicatione Ionae, et ecce plus quam Ionas hic.*[34] Ubi docet quod Iudaeis ipse poenitentiam praedicabat, sicut Ionas Ninivitis.[35] Cum Dominus Apostolos misit ad praedicandum, Lucas 9 ait quod *misit eos praedicare regnum Dei;*[36] Matthaeus 10:

30) Ita Lutherus. Cf. S. Laurentius a Br. *Hypotyposis*, part. 2, pag. 350-351. 356; S. Bellarminus *Controversiae*, t. 1, *De Verbo Dei*, lib. 3, cp. 1, col. 127. 31) Mc 16, 15-16. 32) Mt 3, 2. 33) Ibid. 4, 17. 34) Ibid. 12 41; Lc 11, 32. 35) Cf. Ion 3, 1 sqq. 36) Vr. 2.

Euntes praedicate dicentes: quia appropinquavit regnum caelorum;[37] Marcus vero 6 ait quod missi a Domino Apostoli *exeuntes praedicabant ut poenitentiam agerent.*[38] Missi sunt praedicare regnum Dei, praedicare Evangelium, et nonnisi poenitentiam praedicant. Profecto quia poenitentia materia est evangelicae praedicationis, ut convertantur homines ab erroribus ad veram Christi fidem et a vitiis et peccatis ad imitationem vitae et virtutum Christi.

contra haereticos dicentes Evangelium nonnisi continere consolationem;

Etiam tamen novatores Evangelium definiunt tantum a suo etymo bonum nuncium esse, nonnisi consolationem continere per fidem promissionum Dei. Magna profecto horum est sapientia! Quia Evangelium dicitur bonum nuncium, nonnisi bona et consolationes nunciat? quia lingua dicitur a lingendo, non aliud agit quam lingere? et quia clavis dicitur a claudendo, aperire non potest? et quia homo dicitur ab humo, nonnisi terra est, animam non habet? et quia caelum dicitur a celando, nonnisi supercaelestia celat aut terram tegit?[38a] et quia Angelus dicitur a nunciando, nihil aliud agit? et quia Deus dicitur a dando, nihil aliud agit nisi dare? Num Evangelium divinam tantum praedicat misericordiam, non autem iustitiam? paradisum tantum, non autem infernum? Deum patrem tantum, non autem iudicem? consolationes tantum, non autem afflictiones? non carnis mortificationem? non crucem? non sui abnegationem? Sic boni isti viri Evangelium Christi in Epicuri dogmata, in Mahumetis Alchoranum convertunt.

sed Christus et Apostoli poenitentiam praedicavere;

Oportet, inquit, *praedicari in nomine eius poenitentiam.* Dixit autem hoc post passionem suam, post suam resurrectionem. Sic ostendit necessariam esse poenitentiam ad salutem, sicut necessaria est fides passionis et resurrectionis ipsius. Sic etiam Petrus Iudaeis compunctis corde et dicentibus: *Quid faciemus, viri fratres?* respondit: *Poenitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini nostri Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum et accipietis donum Spiritus Sancti;*[39] et alibi: *Poenitemini et con-*

37) Vr. 7. 38) Vr. 12. 38a) De etymologia huius vocis A. Forcellini-Perin *Lexicon Totius Latinitatis*, sub voce: *Caelum.* 39) Act 2, 37-38.

vertimini, ut deleantur peccata vestra.[40] Sic Paulus Athenis poenitentiam praedicavit: *Et tempora quidem huius ignorantiae despiciens Deus, nunc annunciat ut omnes ubique poenitentiam agant,* Actuum 17;[41] ac praeterea 20: *Testificans Iudaeis atque Gentibus in Deum poenitentiam per fidem in Dominum nostrum Iesum Christum;*[42] itemque 26: *Gentibus annunciabam ut poenitentiam agerent et converterentur ad Deum digna poenitentiae opera facientes;*[43] sicut et Ioannes Baptista: *Facite fructus dignos poenitentiae.* Sic Paulus, Evangelii Christi divinus praedicator, semper et ubique poenitentiam praedicabat.

tertio, effectus verae poenitentiae est vera peccatorum remissio,

Tertio tandem advertendum quod ait: *In remissionem peccatorum.* Hic nanque effectus est verae poenitentiae. Hinc Petrus Simoni Mago dixit: *Poenitentiam itaque age ab hac nequitia tua et roga Deum, si forte remittatur tibi haec cogitatio cordis tui.*[44] Sic hodie dedit Deus noster Apostolis per Spiritum Sanctum divinam auctoritatem remittendi peccata; nec tantum remittendi, verum etiam retinendi: remittendi poenitentibus, propterea coniungitur hic remissio peccatorum cum poenitentia: *Praedicari in nomine eius poenitentiam in remissionem peccatorum;* retinendi impoenitentibus, sic enim coniungenda sunt quae a L u c a et quae a I o a n n e[45] litteris exarata sunt et consignata.

non remissio ficta et mendax, ut asserunt novatores.

Dicit autem *remissionem peccatorum,* non autem, ut nugantur novatores, non imputationem, idest falsam, mendacem, deceptricem, fictam remissionem,[46] phrenesis instar, qua fit ut qui gravissimo morbo laborat, sanus sibi esse videatur. Non ita locutus fuit Petrus Simoni Mago: Crede tantum remissum tibi esse peccatum et per fidem hanc remissum tibi erit, non imputabitur tibi; sed ait: *Poenitentiam age ab hac nequitia tua et roga Deum, si forte remittatur tibi haec cogitatio cordis tui.* Sol non ficte expellit tenebras,

40) Ibid. 3, 19. 41) Vr. 30. 42) Vr. 21. Vulg.: *Et fidem.* 43) Vr. 20.
44) Ibid. 8, 22. 45) Cf. 1 Io 1, 5. 46) Cf. S. Bellarminus op. cit., t. 3, *De poenitentia,* lib. 1, cp. 1, col. 887-889; S. Laurentius a Br. *Hypotyposis,* part. 3, pag. 238; Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symbolorum,* n. 802. 820-821.

sed revera. *Deus lux est,* Christus *Sol iustitiae.*[47] Non ergo ficte, sed verissime expellit tenebras peccatorum revera remittendo peccata, sicut non ficte sed vere sanabat infirmos, illuminabat caecos, suscitabat mortuos.[48]

47) Mal 4, 2. 48) Septem paginis albis relictis, transit ad Dominicam in Albis.

INDEX

SYNTHETICO - ANALYTICUS

INDEX SYNTHETICO-ANALYTICUS
QUADRAGESIMALIS QUARTI

FERIA QUARTA CINERUM

I. Hodie Christus regulam dat sancte vivendi; — II. indicat viam salutis, — III. et scalam qua ad caelum ascenditur . . . . Pag. 1-4

II. Alia Homilia

I. Solum ieiunium rite factum Deo placet. — II. Ieiunandum est cum animi puritate et spiritu poenitentiae. — III. Requirit Dominus ut ieiunium sit virtutibus ornatum. — IV. Corporale ieiunium sine spirituali Deo placere nequit. — V. Ieiunium sanctum thesaurus caelestis est. — VI. Docet Christus quale esse debeat ieiunium et quales ieiunantes . . . . . . Pag. 4-14

III. Alia Homilia

I. Vita spiritualis multas partes habet, quas Christus hodie ad duo capita reducit. — II. Refutantur haeretici ieiunium reprobantes; Christus vero hodie dat regulas ieiunii. — III. Magna est ieiunii utilitas, si purum et sanctum sit. — IV. Vita spiritualis in solida virtute consistit. Omnes Sancti ad orationem semper ieiunium adhibuerunt . . . . Pag. 14-20

FERIA QUINTA POST DIEM CINERUM

I. Homo mirabile opus Dei est, sed ut christianus est miraculum supra naturam.—II. Plurimi sunt fidei fructus in christiano, sed maximus quod hominem deificat. — III. Ad constituendum christianum requiritur gratia supernaturalis. — IV. Christianus per fidem constituitur filius Dei. — V. Fides maximus thesaurus sapientiae est. — VI. Ostenditur in hodierno centurione christiani hominis summa dignitas. — VII. In oratione omnis virtus exercetur . . . Pag. 21-31

II. Alia Homilia

I. Valde commendatur hodie virtutis meritum. — II. Virtus homini non est impossibilis in quocumque statu. — III. Sola virtus efficit verum christianum. — IV. Triplici ex capite commendatur fides centurionis . . . . Pag. 31-36

III. Alia Homilia

I. Centurio hodiernus imago est veri christiani. — II. Forma veri christiani est fides cum spe et caritate coniuncta. — III. Ostenditur veri christiani dignitas, meritum et praemium, — IV. et quanti apud Deum valeat intercessio Sanctorum. — V. Deus internam et externam pietatem a nobis quam maxime requirit . . . . Pag. 36-40

FERIA SEXTA POST DIEM CINERUM

I. Ostenditur hodie Christus divinus legislator eiusque legis divina perfectio. — II. Multa philosophatur R. Vates de lege Domini, quae perfectior est lege Moysi. — III. Dat hodie Christus legem perfectae caritatis. — IV. Praeceptum diligendi inimicos non est servatu impossibile. — V. Lex evangelica perfecta est, — VI. facilis ac supra modum utilis, cuius observatio similes Deo nos efficit . . . . Pag. 41-51

II. Alia Homilia

I. Agitur hodie de praecepto dilectionis fraternae. — II. Tres rationes Christus proponit ad illud servandum. - III. Naturae difficile est hoc praeceptum, non autem gratiae Dei. — IV. Vult Christus ut fideles sui Deo similes sint in caritate. Perfecta virtus impossibilis non est . Pag. 52-58

DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMAE

I. Paradisus homini via fuit perditionis, desertum per Christum via fit salutis. — II. Ostenditur hodie quid sit tentatio, quis tentatus et quis tentator. — III. Satanas praecipue spirituales tentat, — IV. quaerit autem fidem, spem et caritatem evertere, invidia motus contra Deum et hominem . . . . Pag. 59-65

II. Alia Homilia

I. Proponitur hodie imago perfecta vitae christianae. — II. Tres sunt inimici vitae christianae. — III. Multiplex fuit odierna tentatio. — IV. Quisque a Deo habet spiritum bonum in salutem, a satana spiritum malum in perditionem . . . . Pag. 66-70

III. Alia Homilia

I. Consideratur factum, finis facti et mysterium. — II. Ostenditur hodie Christus exemplar vitae christianae. — III. In christiano tria consideranda sunt: dignitas, vita et finis . . Pag. 71-74

FERIA SECUNDA INFRA HEBDOMADAM PRIMAM QUADRAGESIMAE

I. Proponitur hodie mysterium universalis iudicii, — II. de quo primo consideratur persona iudicis. — III. D. Paulus ad tria redegit omnia mysteria divini iudicii. — IV. De universali iudicio frequentissime loquuntur Divinae Scripturae. — V. Tria considerantur circa personam iudicis. — VI. Quisque iudicandus erit pro meritis. — VII. Sententia erit de vita vel de morte aeterna. — VIII. Iudex erit humanissimus, sanctissimus ac sapientissimus in ferenda sententia. — IX. De hoc iudicio specialiter loquitur propheta Daniel et etiam D. Paulus. — X. Contra novatores ostenditur necessitas bonorum operum. — XI. Iudicium universale spectaculum erit iucundis-

simum simul et formidabile; iudicabitur totum genus humanum in anima et corpore. — XII. Considerantur effectus huius iudicii. — XIII. De iudice loquitur etiam R. Vates. — XIV. Causa finalis iudicii universalis erit glorificatio Christi . . . . . . Pag. 75-92

FERIA TERTIA INFRA HEBDOMADAM PRIMAM QUADRAGESIMAE

I. Magna res est Christum cognoscere. — II. De Christo testificantur Deus, Prophetae, Ecclesia universalis. — III. Ostenditur hodie Christus homo mirabilis. — IV. Cognoscitur Deus via naturali, — V. sed clarius et perfectius via supernaturali. — VI. Ex cognitione Dei omnia oriuntur bona, ex eius ignorantia omnia mala . . . . Pag. 93-101

II. Alia Homilia

I. Pluribus modis cognoscitur Deus ex Scripturis, sic et Christus, cuius magnitudo infinita est. — II. Christus princeps est et talis hodie ostenditur . . . . . . Pag. 101-104

III. Alia Homilia

I. Tria habemus hodie de Christo, — II. qui ostenditur verus reformator Ecclesiae. — III. Novatores non reformatores religionis sunt, sed eversores. — IV. Christus a nobis requirit pietatem puram, non vitiis infectam . . . . Pag. 104-110

FERIA QUARTA INFRA HEBDOMADAM PRIMAM QUADRAGESIMAE

I. Multis signis Christus probavit divinitatem suam. — II. De adventu Messiae plurima signa data sunt: patet ex vaticiniis quae iam impleta fuerunt. — III. Multi dubitant de veritate miraculorum Christi, sed ob malam voluntatem. — IV. Ostenduntur fructus cum incredulitatis tum fidei. — V. Synagoga Christum tentat contemnens illius divinum miraculum. — VI. Christus venit ut novam Ecclesiam aedificaret. In supernaturalibus non requiritur evidentia. — VII. Christus petita negat et acriter petentes obiurgat, quia male petebant . . . . . Pag. 111-121

II. Alia Homilia

I. Negat Christus Iudaeis signum petitum, quia increduli et perfidi erant. — II. Agitur hodie de quattuor principalibus mysteriis Christi. — III. Hodie Christus prophetam agit et probat divinam missionem suam. — IV. Christus Pharisaeos obiurgat miraculum vitiosum ad credendum petentes. — V. Fides non est effectus miraculi. — VI. Scribae et Pharisaei hodierni imaginem referunt haereticorum . . . . Pag. 121-128

FERIA QUINTA INFRA HEBDOMADAM PRIMAM QUADRAGESIMAE

I. Chananaea imago est animae christianae. — II. Videndus est modus conversionis huius mulieris, — III. in qua cernitur vera fides. — IV. Fideles suos Deus prius probat, deinde consolatur. — V. In chananitide elucet triplex status vitae spiritualis, quae maxime in oratione consistit. — VI. Oratio opus proprium est animae sanctae, si bene facta sit . . . Pag. 129-139

II. Alia Homilia

I. In hodierno Evangelio ostenditur efficacia sanctae orationis. — II. Oratio est petitio divini auxilii. Solus Deus proprie rogatur. — III. Quomodo orandum sit. — IV. Orandum est pro se et etiam

pro aliis, cum vivis tum defunctis. Magna est orationis dignitas, virtus et necessitas ad vitam spiritualem. — V. Insaniae haereticorum de oratione, — VI. contra quos tria dogmata hodie habemus . . . . Pag. 139-146

FERIA SEXTA INFRA HEBDOMADAM PRIMAM QUADRAGESIMAE

I. Multa mysteria insinuantur per hanc piscinam iuxta templum. — II. Piscina haec symbolum est mundi, synagogae et Ecclesiae. — III. In hac piscina cognoscitur natura Dei, Angeli et etiam hominis in triplici statu. — IV. Elucet etiam mysterium divinae providentiae et caritatis. — V. Ad salutem necessaria est bona voluntas et gratia supernaturalis. — VI. Desiderare potest homo salutem, sed ei sufficientes vires desunt sine gratia cum voluntate cooperante. — VII. Ostendit Dominus quid agendum sit, maxime diebus festis. — VIII. Piscina haec imaginem refert Sacramentorum. — IX. Multa agit hodie Christus opera religionis et caritatis. In piscina elucet divina providentia . . . . Pag. 147-158

II. Alia Homilia

I. Hodierni miraculi consideratur historia et mysterium. — II. Quoad historiam hoc insigne miraculum Christus operatus est ad ostendendam divinitatem suam. — III. Quoad mysterium piscina haec multa significat. — IV. Deus impossibilia non iubet, sed adiuvat ut quod iubet fiat, requirit tamen consensum liberi arbitrii, quod a novatoribus negatur. — V. Sanitas haec symbolum est iustificationis . . . . Pag. 158-164

DOMINICA SECUNDA QUADRAGESIMAE

I. Proponitur hodie spectaculum gloriae Christi. Paradisus terrestris imago fuit caelestis.—II. Christi gloria infinite superat gloriam omnium Beatorum. — III. Multa praedicantur de sole a S. Litteris et ab antiqua philosophia. Quod sol est mundo, Deus est mentibus. — IV. Hodie Christus constituitur princeps divinus Ecclesiae, et ostenditur gloria paradisi. — V. Ostenditur etiam gloria servorum Christi. — VI. Christus natura princeps est et eius magnitudo incomprehensibilis. — VII. Sub imagine solis describuntur quae in optimo principe desiderari possunt, cui obedientia et fides praestanda est. — VIII. Ad regnum Christi pervenitur fide firma, spe vera, solida caritate . . . . Pag. 165-175

II. Alia Homilia

I. Ostenditur hodie divina Christi gloria. — II. Proponitur Christus obiectum fidei nostrae, — III. obiectum spei, — IV. et caritatis . . . . Pag. 175-178

III. Alia Homilia

I. Transfiguratio Christi quoad mysterium ostendit gloriam divinitatis eius, — II. quoad historiam ipsum exhibet divinum legislatorem. — III. Hodie Christus constituitur princeps Ecclesiae et exemplar futurae gloriae nostrae. — IV. Ostenditur veritas huius transfigurationis et causae assignantur . . . . Pag. 178-184

FERIA SECUNDA INFRA HEBDOMADAM SECUNDAM QUADRAGESIMAE

I. Ostenditur hodie peccati pernicies et remedium. — II. Peccatum est causa irae Dei et reatus poenae aeternae. — III. Enumerantur pessimi effectus peccati. — IV. Datur hodie etiam cognitio

Christi et hominum peccatorum. — V. Ostenditur Christus verus Deus. — VI. divina eius potentia, natura, persona et virtutes. — VII. Christus principium est per quod facta sunt omnia; beneficium creationis ostendit maximam peccati ingratitudinem. — VIII. Fides huius maximi beneficii efficax antidotum est contra peccatum . . . . . . Pag. 185-195

II. Alia Homilia

I. Continet hodiernum Evangelium quattuor principalia mysteria Christi. — II. Ostenditur necessitas fidei et quae de Christo credenda sunt. — III. Sola fides ad salutem non sufficit, sed maxime commendatur, quia fundamentum est salutis . . . . . . Pag. 195-200

FERIA TERTIA INFRA HEBDOMADAM SECUNDAM QUADRAGESIMAE

I. In Ecclesia plures sunt gradus. — II. In sacerdotibus tria sunt conspicua: dignitas, auctoritas et officii sanctitas. — III. Ostendit Dominus quale oporteat esse sacerdotum officium. — IV. Omnia synagogae ornamenta Christus in Ecclesiam transtulit. — V. Sacerdotii dignitas semper venerabilis est, quia divina, etsi aliquando vitiis deturpata. — VI. Ecclesia ministris opus habet et sanctis legibus, quibus obedire oportet. — VII. Sacerdotalis dignitas a mundo contemnitur, quia ignorat illius excellentiam. — VIII. Maxima cum maiestate in Sacra Scriptura introducitur Sacerdotium . . . . Pag. 201-212

II. Alia Homilia

I. Praelati ecclesiastici divina praediti sunt auctoritate; — II. ideo iubet Dominus ut obedientia ipsis a fidelibus praestetur. — III. Veri Episcopi non sunt qui ab Apostolis non descendunt. Catholicis Praelatis obediendum est in iis quae ad fidem vel mores spectant . . Pag. 212-218

FERIA QUARTA INFRA HEBDOMADAM SECUNDAM QUADRAGESIMAE

I. Ierusalem duplicem felicitatem significat: mundanam et caelestem. — II. Felicitas paradisi sine labore consequi nequit. — III. Vera felicitas non in bonis terrenis, sed in sola virtute reperitur. — IV. Multa mysteria continet hodiernum Evangelium. — V. Passio Christi omnia mysteria complectitur christianae philosophiae. — VI. In omni mysterio Christi fere semper cum humiliate coniuncta est gloria. — VII. Vera felicitas in uno Deo reposita est, — VIII. quia ipse solus implere potest omne desiderium cordis humani. — IX. Passionem Christi iugiter meditari oportet. Pag. 219-230

II. Alia Homilia

I. Via ad felicitatem virtus est, non voluptas. — II. Ostenditur hodie perfectio Christi, imperfectio Apostolorum et forma cristianae perfectionis. — III. Gloria caeli non datur nisi merentibus. Pag. 230-233

III. Alia Homilia

I. Ad gloriam aeternam consequendam oportet multa pati, — II. idest, praeter meritum passionis Christi, requiritur vita vere christiana. — III. Hodie Christi virtutes proponuntur, ut eas imitemur. — IV. Elucet hodie Christi caritas, humilitas eiusque perfectionis excellentia. Pag. 233-238

FERIA QUINTA INFRA HEBDOMADAM SECUNDAM QUADRAGESIMAE

I. Ad assequendam aeternam beatitudinem virtute opus est. — II. Agitur hodie de quattuor hominis novissimis, — III. sed praecipue de animae immortalitate, – IV. quae etiam ab ethnicis philosophis naturali lumine perspecta fuit. — V. Elucet quoque hodie mysterium de divina providentia, — VI. de iudicio Dei in morte, — VII. et de perpetua animarum vita post mortem. — VIII. Repraesentat hodiernum Evangelium veluti theatrum iudiciorum Dei . . . . . Pag. 239-248

II. ALIA HOMILIA

I. De multis mysteriis loquitur hodie Christus. — II. Agitur etiam de invocatione Sanctorum, de vita spirituali et carnali. — III. Hodiernum Evangelium exprimit actiones animarum post mortem. — IV. Ostenditur mundus temporalis habitatio hominis, ubi nec vera bona nec vera mala inveniuntur. — V. In vita futura remanet in anima naturalis affectio erga vivos quos dilexerat. — VI. Duo opposita proponuntur hodie in epulone et Lazaro . . Pag. 248-256

FERIA SEXTA INFRA HEBDOMADAM SECUNDAM QUADRAGESIMAE

I. Proponitur hodie severissimum Dei iudicium contra Iudaeos. — II. Multa mysteria significantur in vinea ista, sed speciatim synagoga figuratur. — III. Fides etiam vinea Dei est. — IV. Ostenditur hodie iusta ira Dei et maxima Iudeorum impietas. — V. Duas vineas legimus in Scripturis: Dei et satanae. — VI. Fides opus Dei est, si per caritatem operatur . . Pag. 257-266

II. ALIA HOMILA

I. Agitur hodie praecipue de Ecclesia, quae peculiaris vinea Dei est. — II. Ecclesia divina est, una, visibilis, apostolica, summa auctoritate donata. — III. Ostenditur summa Iudaeorum impietas et severa punitio divina. — IV. Deus maxime a nobis requirit vitae sanctitatem et opera pietatis. — V. Multa vaticinatur hodie Christus sicque ostenditur verus propheta. — VI. Deus in mundo rex est, et ita Christus in Ecclesia . . . . Pag. 267-274

DOMINICA TERTIA QUADRAGESIMAE

I. Ostenditur hodie Christus divinus exorcista. — II. Messias venturus erat ut esset exorcista. — III. Elucet in hodierno Evangelio Christi summus amor ac potentia et satanae summum odium erga hominem . . . . Pag. 275-278

II. ALIA HOMILIA

I. Christus et satanas duo principes sunt potentissimi et sibi invicem inimicissimi. — II. Satanas principium est omnium malorum in mundo, quia auctor peccati. — III. Ostenditur in hodierno Evangelio magna satanae potentia et odium in hominem. — IV. Venit Christus ad satanam expugnandum armis potentiae, sapientiae et caritatis. — V. Hodie Dominus miraculis et rationibus fidem suam roborat . . . . Pag. 278-285

III. ALIA HOMILIA

I. Considerantur in hodierno miraculo historia et mysterium. — II. Refutantur novatores de iustitia imputativa delirantes. — III. Gratia Spiritus Sancti revera peccatorem iustificat. — IV. Ostenditur Christus verus ille Redemptor a principio promissus . . . . Pag. 285-290

FERIA SECUNDA INFRA HEBDOMADAM TERTIAM QUADRAGESIMAE

I. Elucet hodie quam incomprehensibilia sint iudicia Dei. — II. Reiecta synagoga, electa fuit Ecclesia Gentium. — III. Multis mysteriis plenum est hodiernum Evangelium. — IV. Elias et Eliseus imagines referunt personae Christi, qui vere est potens Deus et Salvator. — V. Pauci sunt qui salvantur defectu fidei et obedientiae. — VI. Ira perciti Nazareni consurgebant contra Christum, qui in Nazareth miracula non operabatur ob eorum incredulitatem. Agitur etiam de mysterio divinae praedestinationis . . . . Pag. 291-302

FERIA TERTIA INFRA HEBDOMADAM TERTIAM QUADRAGESIMAE

I. Datur praeceptum correptionis fraternae et indicatur ordo iuris servandi. — II. Multa adinvenit Deus pro animae salute. — III. Peccatum mors est animae, antidotum peccati verbum Dei. — IV. Ad salutem animarum posuit Deus in Ecclesia tribunal iustitiae. — V. Erga peccatores Deus maxime requirit iustitiam et caritatem. — VI, Homo peccare potest, sed etiam converti; — VII. unde Christus exigit odium in peccatum, sed amorem in peccantem . Pag. 303-312

II. Alia Homilia

I. Tradit hodie Christus sanctissimas leges caritatis et iustitiae. — II. Episcopi divina pollent auctoritate et potestate iudiciaria, — III. quia successores sunt Apostolorum, qui potestatem a Christo acceperunt ligandi et solvendi . . . . Pag. 312-316

FERIA QUARTA INFRA HEBDOMADAM TERTIAM QUADRAGESIMAE

I. Assignat Christus rationes quibus divinae leges servandae sunt. — II. Agitur hodie de duplici genere legum: divinarum et humanarum. — III. Magnum est discrimen inter divinas et humanas leges. — IV. Lex divina gravis non est nec obscura, sed sapientissima; — V. facile tamen violatur, quia vitia magis quam virtutes delectant. — VI. Ad legem divinam servandam maximi refert educatio et auxilium Dei. — VII. Praeceptum dilectionis parentum potissimum est in lege divina. — VIII. Multa hodie Dominus docet de divinis legibus. — IX. Christus solas traditiones reprobat quae divinis mandatis repugnant. — X. Refutantur novatores ecclesiasticas omnes traditiones damnantes . . . . Pag. 317-329

II. Alia Homilia

I. Disputat hodie divina sapientia cum humana prudentia. — II. Contra Pharisaeos Christus tantum eas traditiones damnat, quae contra legem divinam pugnant. — III. Agit hodie Dominus doctorem populi Pag. 329-332

FERIA QUINTA INFRA HEBDOMADAM TERTIAM QUADRAGESIMAE

I. Per socrum Simonis duplex mysterium significatur. — II. Febris omne vitium figurat. — III. Domus Simonis hieroglyphicum est Ecclesiae, in qua reperiuntur remedia contra morbos spirituales, — IV. qui graviores sunt corporalibus. — V. Cupiditates nostrae inexplebiles sunt. — VI. Peccatum originale prima infirmitas est humanae naturae. — VII. Illa vera Ecclesia est quae a Christo supra Simonem fundata fuit. — VIII. Exhibentur hodie notae verae Ecclesia Christi . Pag. 333-343

*

II. Alia Homilia

I. Insinuatur hodie dogma intercessionis Sanctorum. — II. Refutantur haeretici hoc negantes. — III. Sancti cum Deo in caelo viventes possunt quod poterant in terra; — IV. nec fit iniuria Christo cum ad ipsos recurritur. — V. Etiam damnati in inferno et daemones ipsi pro vivis orant, eo magis Sancti et Angeli in caelo. — VI. Sancti in necessitatibus nostris nos adiuvant. — VII. Adumbratur hodie etiam mysterium iustificationis . . . . . . Pag. 343-350

FERIA SEXTA INFRA HEBDOMADAM TERTIAM QUADRAGESIMAE

I. Ostenditur mirabilis conversio animae infidelis. — II. Conversio effectus est electionis et praedestinationis divinae. — III. Christus est verus mundi Salvator et vera salus, — IV. quia liberat a peccato et confert ipsum fontem gratiae, Spiritum Sanctum. — V. Duo sunt fontes bonorum: natura in mundo et Christus in Ecclesia. — VI. Beneficium salutis dicitur donum Dei, quia a Deo mundo datur non petitum, sed oblatum. — VII. Christus dicitur Salvator et salus, quia speciale opus eius est salvare. — VIII. Ipse thesaurus est infinitus, sed absconditus . . . . Pag. 351-360

II. Alia Homilia

I. Christus maxime sitit salutem etiam unius animae. — II. Vera religio interna et externa esse debet. — III. Ad salutem requiritur vera fides et vitae sanctitas . . Pag. 360-363

III. Alia Homilia

I. Singulariter hodie agitur de conversione samaritanae ad fidem. — II. Mulier haec infidelis figura est haereticorum. — III. Christus auctor est verae fidei et verae salutis. — IV. In eo reperitur nostra salus . . . . Pag. 363-366

DOMINICA QUARTA QUADRAGESIMAE

I. Ostenditur hodie Christus divinus hominum benefactor, — II. quia Deus omnipotens, infinitae sapientiae et bonitatis. — III. Hodiernum Evangelium clara est demonstratio divinae providentiae in mundo. — IV. Pietas singulariter meretur divinam providentiam; neglectus autem religionis in causa est penuriae. — V. Inter Christum et Ecclesiam foedus intercedit mutuorum officiorum. — VI. Pluribus modis ostenditur divina providentia in S. Scriptura. — VII. Divina providentia mundum sustentat . . . . Pag. 367-376

II. Alia Homilia

I. Hodiernum miraculum figurat mysterium SS. Eucharistiae. — II. Christus in Eucharistia praesens est sub utraque specie. — III. Communio sub utraque specie necessaria non est. — IV. Ostenduntur huius Sacramenti auctor, ministri et fructus. — V. Nullum exstat praeceptum de communione sub utraque specie; Christus tantumdem tribuit uni speciei quantum utrique. Pag. 376-384

FERIA SECUNDA INFRA HEBDOMADAM QUARTAM QUADRAGESIMAE

I. Irascitur hodie Christus ex divini honoris zelo. — II. Super omnia vitia Deus avaritiam odit. — III. IV. Multa sunt avaritiae damma. — V. Odit Dominus mercaturam iniquam. — VI. Com-

mendatur mercatura spiritualis. — VII. Hodie Christus irascitur, quia pecuniae causa Deus contemnitur . . . . Pag. 385-394

II. Alia Homilia

I. Habemus hodie historiam et mysterium et finem huius facinoris. — II. Deus habere voluit templa. — III. Triplici de causa templum venerandum est . . . . Pag. 395-398

FERIA TERTIA INFRA HEBDOMADAM QUARTAM QUADRAGESIMAE

I. Ostenditur hodie Christus verus Messias, divinus legislator et doctor; — II. sed Iudaei doctrinam eius recipere renuebant, — III. ex mala eorum voluntate, a satana obcaecati. — IV. Fides christiana verissima est. — V. Superhumana doctrina Christi a satana esse non poterat. — VI. Multis argumentis probatur fidem christianam divinam esse. — VII. Christus divinae legis dogmata praedicabat more Prophetarum. — VIII. Proponitur hodie Christi sanctitas et doctrina . Pag. 399-410

II. Alia Homilia

I. Christus ostenditur divinus doctor, quia Deus-homo. — II. Ostenduntur etiam illius doctrinae qualitates eiusque discipuli . . . . Pag. 410-414

FERIA QUARTA INFRA HEBDOMADAM QUARTAM QUADRAGESIMAE

I. Habemus hodie lucem divinae sapientiae et tenebras humanae ignorantiae. — II. Caecus iste hominem infidelem designabat. — III. Iudaei Christum eiusque fidem non recipiebant ex pravo animo. — IV. Corporalis illuminatio huius caeci spiritualem illuminationem per fidem significat. — V. Multa mysteria designantur hodie in caeco nato. — VI. Lumen fidei magnum Dei donum est. — VII. Duplex caecitas datur: non videre quae sunt et videre quae non sunt. — VIII. Consideratur historia et mysterium illuminationis huius caeci . . . . Pag. 415-426

II. Alia Homilia

I. Duo videnda sunt in hoc miraculo: historia et mysterium. — II. Historia ostendit Christi divinitatem; — III. mysterium designat Sacramentum Baptismi eiusque effectus. Concupiscentia non est peccatum, sed effectus peccati . . . . Pag. 426-430

FERIA QUINTA INFRA HEBDOMADAM QUARTAM QUADRAGESIMAE

I. Ostenditur hodie magna mundi miseria, mors, et magna Dei misericordia, Christus. — II. Multa legimus in Scripturis de brevitate vitae. — III. Christus venit ut homines a morte liberaret. — IV. In morte renascimur vitae aeternae. — V. Mors in corpore imago est peccati in anima. — VI. Vere magnus Christus, quia homo-Deus, quod hodie ostendit mortem superando . Pag. 431-438

II. Alia Homilia

I. Mors non est creatura Dei. Utilitates et damna mortis expenduntur. — II. Christus, auctor vitae, mortem superavit . . . . Pag. 438-442

FERIA SEXTA INFRA HEBDOMADAM QUARTAM QUADRAGESIMAE

I. Magnum miraculum hodie Christus operatus est. — II. Deus hominem maxime diligit. — III. Christus Lazarum vere diligebat, sed distulit eum aegrotum sanare ut mortuum resuscitaret. — IV. Deus amicos suos in hoc mundo tentat, cum eos vehementer diligat. — V. Habemus hodie imaginem resurrectionis mortuorum, de qua ridet stulta philosophia. — VI. Ex multis ostenditur hodierni miraculi magnitudo, — VII. quod Christus operatus est motus caritate sua et intercessione sororum Lazari. — VIII. Homo exhorret meditationem mortis, quia non cogitat se resurrecturum . . . . Pag. 443-452

II. Alia Homilia

I. Magnum fuit hodiernum miraculum, quo Christus probavit divinitatem suam. — II. Christus hodie ostenditur vera vita, imo auctor vitae universalis, — III. cum temporalis tum aeternae perfectae. — IV. Ex hoc miraculo ipse agnitus fuit verus Deus. — V. Elucent hodie divinae virtutes in Christo et humanae miseriae in Lazaro . . . . Pag. 452-458

DOMINICA PASSIONIS

I. Multae perfectiones Christi elucent ex hodierno Evangelio: — II. humanitas, patientia, fortitudo et sapientia, — III. et sic ostenditur propheta divinus, vita et doctrina sanctissimus. — IV. V. Acerbissimam persecutionem Christus hodie a Iudaeis passus est, — VI. qui Christum odio habebant quia exagitati a satana erant. — VII. Sic fides impugnatur a mundo opera satanae . . . . Pag. 459-469

II. Alia Homilia

I. Ostendit hodiernum Evangelium Christi magnitudinem ad ostendendam doctrinae ipsius veritatem. — II. Veritatem christianam mundus semper odio habuit, quia Deum et divina ignorat ex animo depravato. — III. Ostenditur hodie veritatis divinae dignitas, utilitas, sublimitas et sanctitas . . . . Pag. 469-473

III. Alia Homilia

I. Proponitur hodie disputatio inter Christum et Iudaeos de veritate fidei christianae. — II. Probat Christus doctrinam suam veram esse, divinam, utilem et excellentissimam . . Pag. 473-474

FERIA SECUNDA INFRA HEBDOMADAM DOMINICAE PASSIONIS

I. Christus hodie specialiter fons appellatur, quia ipse fons est totius bonitatis. — II. Magna est in Ecclesia copia gratiarum Spiritus Sancti, — III. quae multis imaginibus designatur. — IV. Agit hodie Christus preconem verbi Dei. — V. Abundantia gratiarum appellatur aqua saliens in vitam aeternam. — VI. Ostendit Christus se fontem perennem esse omnium bonorum. — VII. Spiritus S. hominem constituit filium et heredem Dei. — VIII. Pauci sunt qui Christum summum bonum quaerunt et inveniunt . . . . Pag. 475-485

II. Alia Homilia

I. Elucent in hodierno Evangelio summa synagogae iniquitas et infinita Christi caritas. — II. Christus semper se exhibuit fontem omnium bonorum, — III. quia vere auctor est omnis felicitatis, cum sit verus Deus . . . . Pag. 485-490

FERIA TERTIA INFRA HEBDOMADAM DOMINICAE PASSIONIS

I. Fugiens Christus Iudaeorum persecutionem ostendit divinam suam prudentiam, — II. quam nos suo exemplo docet. — III. Prudentia divinum quoddam lumen est ad rectam dispositionem vitae. — IV. Loquitur hodie Christus de mundo et de tempore. — V. Tempus magnum Dei donum est . . . . Pag. 491-499

II. Alia Homilia

I. Elucent hodie patientia ac prudentia Christi, — II. qui nobis praebet exempla vitae et documenta doctrinae. — III. Dictis et factis docet Dominus tempus bene expendere et prudenter vitam instituere. — IV. Multa sunt moralia documenta ex hodierna historia evangelica. — V. Galilaea figura est Ecclesiae fidelis, Iudaea imago mundi qui Christum contemnit, — VI. quia spiritu satanae plenus est . . . . Pag. 500-508

FERIA QUARTA INFRA HEBDOMADAM DOMINICAE PASSIONIS

I. Traditur hodie clarissima Christi cognitio. — II. Hodiernum Evangelium continet omnia quae de Christo a Prophetis vaticinata fuerunt, —III. singulariter de persecutionibus, quas passurus erat ex Iudaeorum impietate. — IV. Describitur quid Christus sit et quid christianus homo. — V. Loquitur Christus de mysterio electionis ac praedestinationis et media indicat ad finem hunc consequendum. — VI. Dantur etiam signa electionis et reprobationis. — VII. Oportet ut quam citius Deo nos dedicemus ne reprobi efficiamur. — VIII. Probat Christus ex operibus se verum Messiam esse verumque Deum . . . . Pag. 509-521

II. Alia Homilia

I. Habemus hodie historiam, mysterium et metaphoram; — II. traduntur enim divina mysteria credenda, — III. divina promissa speranda et divina praecepta facienda . . . Pag. 521-526

FERIA QUINTA INFRA HEBDOMADAM DOMINICAE PASSIONIS

I. Exhibetur hodie imago verae conversionis. — II. Amor causa est beneficii et beneficium causa amoris. — III. Magnum miraculum est vera poenitentia, — IV. quae tantum auxilio gratiae possibilis est. Magdalena suis lacrimis baptizata, facta est vera christiana. — V. Multa considerantur circa convivium istud Christo exhibitum. — VI. Proponitur Magdalena novum et insolitum miraculum . . . . Pag. 527-536

II. Alia Homilia

I. Proponitur conversio et sanctificatio Magdalenae. — II. Considerantur causae iustificationis. — III. Divinam gratiam de condigno mereri non possumus, ideo donum Dei appellatur. — IV. Hodiernum Evangelium simile est Evangelio filii prodigi. — V. Multa considerantur circa hoc convivium. — VI. Magdalena pulcherrima imago est verae poenitentiae . . . Pag. 537-544

FERIA SEXTA INFRA HEBDOMADAM DOMINICAE PASSIONIS

I. Ostenditur hodie perversitas humanae prudentiae. — II. Hodiernum concilium coactum fuit a Deo, ab hominibus, a satana. — III. Plurimi sunt fructus passionis et mortis Christi. — IV. In ho-

dierno concilio cernitur hominum caecitas mentis et perversa voluntas. — V. Prophetavit Caiphas divinitus inspiratus, sed quod dixit non intellexit. — VI. Saepe humana prudentia cum divina providentia contendit, — VII. sed semper in sui ipsius interitum. — VIII. Rationes status excaecant mentes et obdurant corda principum . . . . Pag. 545-554

II. Alia Homilia

I. Magnum fuit hodiernum concilium historia, mysterio et conclusione. — II. Qua humanum, pessimum est, qua vero divinum, optimum . . . . Pag. 555-557

III. Alia Homilia

I. Considerantur concilii huius historia et mysterium, causae et effectus. — II. Pugnat hodie humana prudentia cum divina. In lucta carnis et spiritus saepe caro vincit . . . Pag. 557-562

DOMINICA IN PALMIS

I. Describitur hodie gloriosus Christi triumphus. — II. Consideratur persona triumphantis. Christus vere Rex Optimus Maximus est, — III. qui tribus hodie titulis decoratur. — IV. Describitur apparatus huius triumphi. — V. Hodiernus triumphus multa mysteria continet . Pag. 563-568

II. Alia Homilia

I. Hodie Christus ostenditur rex undequaque mirabilis, — II. vere Rex Optimus Maximus, quia Deus omnipotens et beneficentissimus. — III. In turba fideli cernitur quid sit Ecclesia Christi. — IV. Triplici de causa Christus mundo attulit laetitiam . . . . Pag. 569-574

Brevis Allocutio

Christus hodie appellatur Rex iustus, Salvator et pauper . . . . . . Pag. 574-575

III. Alia Homilia

I. Tria ostenduntur hodie: Christus Rex, regnum ipsius et subditi. — II. Christum regem omnes Scripturae praedicant. — III. Regnum eius Ecclesia est, sive triumphans in caelo, sive militans in terra, sub utroque Testamento . . . . Pag. 576-580

FERIA SECUNDA INFRA HEBDOMADAM MAIOREM

I. Paratur hodie coena Christo in obsequium pietatis. — II. Elucet in Magdalena vera pietas, in Iuda autem falsa. — III. Bethania figura Ecclesiae, ubi iusti cum peccatoribus vivunt. Tum gratia tum peccatum semper crescunt . . . . Pag. 581-586

Brevis Allocutio

Domus Bethaniae Ecclesiam figurat, coena autem opera pietatis . . . . Pag. 586-587

II. Alia Homilia

I. Habemus hodie historiam et mysterium. — II. Agitur de iustificatione peccatoris per poenitentiam. — III. Diligenter examinanda est conscientia . . . . Pag. 587-590

FERIA TERTIA INFRA HEBDOMADAM MAIOREM

I. Contra peccatum institutum fuit Sacramentum poenitentiae. - II. In lege ad expianda varia peccata varia habebantur sacrificia. — III. Sacrificium pro peccato figura erat Poenitentiae. — IV. Sacerdotium Christi revera peccata dimittit divina auctoritate. — V. Poenitentia tribus constat: cordis contritione, oris confessione et satisfactione. Auricularem confessionem omnes SS. Patres docent . . . . Pag. 591-595

II. Alia Homilia

I. Poenitentiae Sacramentum magnum est divinae bonitatis et potentiae miraculum. — II. Poenitentiae ostenduntur necessitas, — III. veritas et figurae, — IV. promissiones et institutio. Confessio non est humanum inventum. . . . . Pag. 596-602

FERIA QUARTA INFRA HEBDOMADAM MAIOREM

I. Sacramentum Eucharistiae maximum fuit beneficium Ecclesiae collatum. — II. Continet Christum, confert immortalitatem, ideo maxima ei debetur veneratio. — III. Eucharistia data fuit in cibum, in praemium et remedium. — IV. In hoc Sacramento Deus vere comeditur . . Pag. 603-608

II. Alia Homilia

I. Eucharistiae mysterium ingenio humano metiri nequit. — II. Divini huius Sacramenti habemus in manna figuram, — III. et promissionem, — IV. ex ipsis etiam Domini verbis, — V. et institutionem. — VI. Christus instituens hoc Sacramentum, non figurate locutus est. — VII. Veritas huius Sacramenti elucet ex perpetuo usu Ecclesiae. — VIII. Haec fides semper animis fidelium insedit, nec necesse est ut mysteria intelligamus, sed ut ea credamus . . Pag. 608-620

FERIA QUINTA IN COENA DOMINI

I. Christus Summus Sacerdos est et hodie sacerdotes consecrat. — II. In institutione sacerdotii et in Missae sacrificio Christus ostendit infinitam suam caritatem et omnipotentiam. — III. Tria continentur in mysterio Missae: consecratio, oblatio et communio. Omnes fideles quodammodo sacerdotes sunt. — IV. Maxima opus est puritate ad percipiendum divinissimum hoc Sacramentum . . . . Pag. 621-624

II. Alia Homilia

I. Christus sacerdos est secundum ordinem Melchisedech ratione incruenti sacrificii, et hodie sacerdotes ordinat. — II. Missa est verum sacrificium, — III. non metaphoricum, sed verum et reale. Refutantur novatores. — IV. Missa semper habita est uti verum sacrificium Ecclesiae, ex testimonio SS. Patrum, — V. et Scripturarum; — VI. indicatur etiam in ipsis institutionis verbis. — VII. Ad essentiam sacrificii pertinet consecratio et communio. — VIII. Missa est sacrificium propitiatorium, eucharisticum, latreuticum et maxime impetratorium . . . Pag. 625-636

FERIA SEXTA IN PARASCEVE

I. Passio Christi opus Dei et satanae fuit. — II. Recensentur fructus Dominicae passionis. — III. Specialissimus fructus remissio peccatorum fuit. — IV. In Christi passione tria specialim conside-

rantur. — V. Passio Christi in Divinis Litteris multifarie repraesentatur. — VI. Opus fuit divinae caritatis, potentiae et sapientiae . . . . Pag. 637-646

II. Alius Sermo

I. Christi martyrium maximum fuit. — II. Christus innocens passus est, — III. et voluntarie. — IV. Maximos passus est dolores tum internos cum externos . . . . Pag. 646-650

III. Alius Sermo

I. Considerantur quattuor partes passionis Christi: — II. a) quis est qui patitur; — III. Christum patientem admiratus describit Isaias; — IV. b) a quibus patitur; — V. c) quid patitur; — VI. d) ad quid tanta patitur. — VII. Isaias in tres partes distinxit Christi passionem; — VIII. sic et D. Paulus. — IX. In verbis Christi in cruce declarantur fructus illius passionis. — X. Regius Vates Christi passionem torrentem appellat . . . . Pag. 651-666

DOMINICA RESURRECTIONIS

I. Angelus praedicat Christi resurrectionem. — II. Assignantur causae huius mysterii, — III. assignatur etiam modus, — IV. effectus quoque recensentur, quorum praecipuus fuit magnum gaudium Humanitatis Christi, Ecclesiae et B. Virginis. — V. Christus ostendit sibi gratissimum fuisse pium mulierum studium. — VI. Hodie Christus mortem superavit . . Pag. 667-674

II. Alia Homilia

I. Habemus hodie Angelum concionatorem, ipsius concionem et auditores. — II. Angelus praedicat dictis et factis. — III. Assignatur tempus huius concionis. — IV. Resurrectio Christi fructus fuit passionis et mortis suae. — V. Saepe Scriptura loquitur de Christo sub lapidis metaphora ad ostendendam illius humilitatem et gloriam . . . . Pag. 674-680

FERIA SECUNDA INFRA OCTAVAM PASCHAE

I. Christus ipse hodie concionatorem agit, — II. et magnam habet concionem. — III. Ostenduntur huius apparitionis forma, modus, finis et effectus. — IV. Duo hi discipuli in fide haesitantes imaginem referunt haereticorum. — V. Deus in mundum absconditus venit, ut homines instruere posset; sic hodie Christus . . . . Pag. 681-688

FERIA TERTIA INFRA OCTAVAM PASCHAE

I. Agitur de prima apparitione Christi suscitati. — II. Huius apparitionis considerantur modus, — III. finis, — IV. et effectus. — V. Circa hanc apparitionem plurima notanda sunt contra haereticos . . . . Pag. 689-698

CORRIGENDA

Pag.	47	Linea	26	loco	quodam — quadam
»	500	»	18	»	designata — designatum
»	501	»	25	»	proprias — proprietates
»	510	»	19	»	super eos — super eas
»	522	»	2	»	novi mensis — noni mensis